BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVII
D
21
NAPOLI

21

Google

Digitized by Google

Google

D. IO. IAC. MASCOVII

# PRINCIPIA IVRIS PVBLICI IMPERII ROMANO-GERMANICI

EX IPSIS LEGIBVS, ACTISQVE PVBLICIS ERVTA

ET

AD VSVM RERVM ACCOMMODATA.

---

EDITIO QVARTA.

CVM AVGVSTISS. IMPERATORIS, NEC NON REGIS POLONIAE ET ELECTORIS SAXONIAE PRIVILEGIIS.

---

LIPSIAE

APVD BERNH. CHRISTOPH. BREITKOPF.

CIↃIↃCCL.

# PRAEFATIO.

*Quae ad priuatos vſus Inſtitutionis Academicae de Iure Publico Imperii Romano-Germanici quondam compoſueram, ea nunc pauliſper recenſita in publicum emitto. Ex hoc ſcopo ſcribentis de forma et partitione operis, deque tota ſcribendi ratione aequus Lector iudicabit. Eius Imperii Statum, quaque regitur rationem nouiſſe, et per ſe inſigne, et Germano praeterea neceſſarium eſt. Equidem Clariſſimi Auctores multa quae ad hoc argumentum pertinent, poſteris reliquerunt. Sed eadem cauſa quae prima fronte abſterrere a ſcribendo poterat, maxime impulit. Siquidem inter diuerſas opiniones, et plerumque inter ſe contrarias difficilis eſt electio, praecipue vbi gliſcentibus partium ſtudiis ſcenae ſeruiunt ſcriptores, diuerſa plane dicturi, ſi aliam perſonam ſors imponat. Maxima itaque cura fuit, veram Reipublicae conſtitutionem, et publicarum priuatarumque rerum adminiſtrationem, explicare; quod primum eſſe debet in Ciuili diſciplina,*

*quae regere ciuitatem conſiliis, fundare legibus, emendare iudiciis docet* *.

*Certa itaque ſectari animus fuit, quaeque ipſis legibus Imperii, aut vſu non dubio nituntur. Interdum antiqua attingo, quoties ex illis praeſentium ratio explicari, aut illuſtrari poteſt. Conſtitutis rite principiis, paratior Coniectura eſt etiam de iis, quae ſaepe in arduo tractandae Reipublicae momento incidere ſolent, iuris, conſiliique ambigui. Decidere de talibus non eſt noſtri arbitrii. Sed illos reſpiciunt, quibus ad clauum ſedentibus*

> Per varios vſus artem experientia fecit
> Exemplo monſtrante viam.

*Nemo itaque ſuccenſeat verecundiae noſtrae, cum in controuerſiis potentiorum vetus illud* Non liquet, *nonnunquam deprehendit. Namque in iis, dum cauſa vtrinque agitur, quamdiu Reipublicae Iudicium in ſuſpenſo manet, priuati ſuffragium raro ſine inuidia, atque ſuſpicione, plerumque absque auctoritate eſt. Indicaui tamen, vti et in reliquis fere, ſcriptores, qui vel diuerſas partes tuentur, vel pro ſententia, quam ipſe ſequor, argumenta, teſtimonia, exempla cumulauerunt. Nonnulla ipſe iam alibi fuſius tractaui, quaedam et breui forte diligentius recognita dabo, nunc ſuo quaelibet loco breuiter notaſſe, atque apte partes compoſuiſſe contentus.*

* Cic. de Oratore II. 28. *Ad Conſilium de R. P. dandum, caput eſt noſſe Rempublicam.*

CON-

# CONSPECTVS
## OPERIS.

## PROLEGOMENA.

De Natura et Conſtitutione Iuris Publici, inprimis Germanici, eiusque optima docendi Methodo.

## LIBER I.

CAP. I. *De Legibus Germaniae Publicis, et ſpeciatim de Receſſibus Imperii.*

CAP. II. *De Aurea Bulla.*

CAP. III. *De Conſtitutionibus Pacis Publicae, Ciuilis, et Religioſae.*

CAP. IV. *De Capitulatione Imperatoris.*

CAP. V. *De Principiis Iuris Publici Eccleſiaſtici in ſpecie, vbi de Concordatis Nationis Germanicae cum Curia Romana.*

CAP. VI. *De Tabulis Pacis, Foederumque cum exteris, vbi de Pace Veſtphalica, Neomagenſi etc. et in genere de reliquis Actis et Monumentis, quorum in Iure Publico vſus eſt.*

CAP. VII. *De Iure Publico non Scripto, ſeu Obſervantia Imperii.*

CAP. VIII. *De Iuris Naturalis, itemque Romani Iuſtinianei, Canonici, et Feudalis Longobardici vſu, et Auctoritate in Germania, ratione Iurisprudentiae publicae.*

## LIBER II.

CAP. I. *Generalia de Iure Finium in Imperio Romano-Germanico.*

CAP. II. *De Regni Germaniae, in ſpecie ſic dicti, Origine, et Finibus.*

CAP. III. *De Regni Lotharingiae ad Germanicum Acceſſione, et diuerſo Prouinciarum eius ad Imperium Habitu hodierno.*

CAP. IV. *De Regni Burgundiae cum Regno Germaniae Coniunctione etc.*

CAP. V. *De Italiae cum Germania nexu.*

CAP. VI. *De Regni Germanici Diuiſione in Circulos et Politia Circulorum.*

## LIBER III.

CAP. I. *De Forma Imperii Romano-Germanici.*

CAP. II. *De Electione Imperatoris.*

CAP. III. *De Imperiali Regalique Imperatorum et Regum Romanorum Coronatione.*

CAP. IV. *De Maieſtate, Titulis, et Inſignibus Imperatoris.*

CAP. V. *De Rege Romanorum, qui viuo Imperatore eligitur.*

CAP. VI. *De Auguſta, ſiue Imperatrice, et Regina Romanorum.*

CAP. VII. *De Aula Imperatoris, Archiofficiis, Officiisque Palatinis, ac Ordine Curiae Imperialis.*

CAP. VIII. *De Vicariis Imperii.*

LI-

# LIBER IV.

CAP. I. *De Statibus Imperii in genere.*

CAP. II. *De Collegio Electorali: et Praerogatiuis, ac Dignitate Electorum in genere.*

CAP. III. *De Electoribus ſingulis.*

CAP. IV. *De Principibus Imperii Eccleſiaſticis: vbi de Sacris Germaniae Metropolibus, earumque Suffraganeis, et de Epiſcopis exemtis.*

CAP. V. *De Principibus Secularibus: vbi agitur de priſcis officiis, et dignitatibus Regni Germaniae, ex quibus Principum, Comitumque Imperii Tituli originem trahunt.*

CAP. VI. *Collegii Principum Recenſio.*

CAP. VII. *De Vrbibus Imperii immediatis.*

# LIBER V.

CAP. I. *De Partibus Summi Imperii per Germaniam, et primo de Iure Sacrorum, vbi et de Libertate Eccleſiae Germanicae, intuitu Curiae Romanae.*

CAP. II. *De Iurisdictione Imperii, et cura Politiae: vbi in ſpecie de Re Monetaria, et Curſu Publico.*

CAP. III. *De Bonis Publicis, ſiue Domaniis Imperii, vbi de Aerario, de Collectis, et Matricula.*

CAP. IV. *De Iure Belli, Pacis, Foederum, et Legationum intuitu totius Imperii.*

CAP. V. *De Comitiis Imperii.*

CAP. VI. *De Iudiciis Imperii, in ſpecie de Conſilio Imperiali Aulico.*

CAP.

CAP. VII. *De Camera Imperiali.*

CAP. VIII. *De Iudicio Aulico Rothwilenſi, et Iudiciis Imperii Prouincialibus, per Sueuiam et Franconiam.*

CAP. IX. *De Iuribus Reſeruatis Caeſaris.*

## LIBER VI.

CAP. I. *De Territoriis Statuum et Superioritate Territoriali.*

CAP. II. *De Iuribus Statuum circa Sacra.*

CAP. III. *De Politico Territoriorum Regimine: vbi de Iurisdictione, Domaniis, Aerario etc.*

CAP. IV. *De Statuum Imperii Iure Belli, Pacis, Foederum et Legationum.*

CAP. V. *De Succeſſione in Territorio: vbi de Iure Primogeniturae, Apanagio etc.*

CAP. VI. *De Conditione Priuata Statuum Imperii, ſeu Negotiis, in quibus Iure Priuatorum vtuntur.*

## LIBER VII.

CAP. I. *De Ordine Equeſtri Immediato.*

CAP. II. *De Ordinibus militaribus in Germania: in ſpecie de Ordine Teutonico.*

CAP. III. *De Prioratu Germanico Ordinis Equitum Domus S. Iohannis etc.*

PRO-

# PROLEGOMENA.

## DE NATVRA ET CONSTITVTIONE IVRIS PVBLICI, INPRIMIS GERMANICI, EIVSQVE OPTIMA DOCENDI METHODO *.

*Iuris diuiſio. 1-3. De iuris publici vniuerſalis, et particularis indole atque ortu. 4-7. Iurisprudentia publica quid? 8. Eius differentia a Politica 9. item a notitia Rei Publicae 10. Iuris publici Germanici ortus, et docendi methodus multiplex. 11-17. Quaenam optima videatur? 18.*

Vocabulum Iuris notat vel normam actionum humanarum: vel ſumitur pro facultate morali ex illa reſultante.

II. Ex variis diuiſionibus iuris huc pertinet, cum diuiditur in vniuerſale et particulare.

III. Eſtque pro diuerſo reſpectu ad ſocietatem ciuilem vel publicum, quod ad ſtatus publici adminiſtrationem comparatum eſt, vel priuatum, quod ad cauſas priuatorum pertinet.

IV.

* Conf. Io. SCHILTERI Diſſ. de Natura et Origine Iuris Publici. PREGIZERI Diſſ. de Diſciplina Notitiae S. R. Imperii.

IV. Ius publicum itaque oritur ex legibus, et pactis ad ſtatum ciuitatis publicum praecipue, et directo ſpectantibus.

V. Diuiditur et ipſum in vniuerſale et particulare. Vniuerſale continet principia generalia doctrinae ciuilis, de iure principum populorumque erga ſe inuicem, itemque de officiis imperantium et ſubditorum mutuis.

VI. Illa generalia principia legibus imperantium, aut pactis illorum cum ciuibus, interdum et cum exteris, diuerſimode apud ſingulos populos determinantur. Vnde ius publicum particulare cuiusuis ciuitatis manat.

VII. Cum ſtatum publicum ciuitatis ordinare eius ſit, qui ſummam habet poteſtatem, pro diuerſo Rerumpublicarum ortu, diuerſaque forma, diuerſa quoque eſt iuris publici particularis origo, et obligandi ratio.

VIII. Habitus leges publicas cognoſcendi, et applicandi ad negotia ſtatus, vocatur iurisprudentia publica.

IX. Differt ergo a Politica, quae, ſi in latiori vocem ſenſu accipias, eſt habitus regendae cuiuslibet ciuitatis, adeoque et iuris publici inſtituta comprehendit.

X. Itemque a notitia Reipublicae: vtpote quae rurſus latius patet, et praeter ius publicum, Hiſtoricam quoque, Geographicam, ac Politicam notitiam complectitur.

XI.

XI. Nec tamen tractari feliciter Ius Publicum poteſt, absque exacta Hiſtoriae, et Politices cognitione. Illa oſtendit originem rerumpublicarum, occaſionemque legum, et conuentionum: haec rationem illarum, commoda, aut incommoda, eorumque remedia.

XII. Quae iam ſigillatim applicanda ſunt ad ius publicum Imperii Romano-Germanici: in quo eo magis neceſſaria eſt haec iurisprudentiae pars, quo plures ſunt, quorum intereſt ſtructuram reipublicae nouiſſe, cum ad conſeruationem iurium Imperii, tum ad Reipublicae particularis adminiſtrationem.

XIII. Diuerſus in Germania legum fundamentalium ſtatus pro diuerſa Reipublicae conditione fuit. Sub Carolingis, et diu quoque poſt illos, paucae leges de ſtatu publico.

XIV. Illarum numerus ſenſim auctus eſt, prouti res Eccleſiae, aut cauſae feudorum, aut bellorum rationes poſcerent, vt certa quaedam capita in litteras redigerentur. Conſeruata ſunt comitiorum decreta, pactorum tabulae, aliaque acta publica.

Vid. Auctoris Oratio de Ortu & Progreſſu Iuris Publici.

XV. Sed in ſyſtema redigi ſerius coeperunt.

XVI. Cumque poſtea ICti in ſcholis ius publicum explicare inciperent, alii alia methodo vſi ſunt. Nonnulli Iuri Romano nimium tribuerunt, commiſcentes veteris Imperii Romani

formam cum praeſenti Reipublicae ſtatu, cumque inſtitutis Germaniae.

XVII. Alii quidem domeſtica principia ſecuti ſunt, ſed ad hypotheſin aliquam applicarunt *, eaque omnibus incommodis, quibus hypotheſes obnoxiae eſſe ſolent, ſine vlla neceſſitate ſubiecerunt.

* Exemplo eſſe poteſt *Hippolytus a Lapide:* item hypotheſis, Germaniam eſſe ſyſtema ciuitatum, foedere inaequali vnitarum: immo ipſum illud iactatum adeo ſyſtema V. aut VII. populorum veteris Germaniae.

XVIII. Methodus ex ipſo obiecto diſciplinae, eiusque forma et ſerie deſcendere debet, eſtque quo ſimplicior, eo melior *. Ius publicum ſcriptum ex ipſis imperii legibus; Obſeruantia ex monumentis fide dignis aſſerenda.

* Conf. quae de methodo iuris publici diſputat TITIVS in Specimine I. P. in Praef. et quae contra eum protulit FELZIVS in Diſſ. de Methodo Iuris Publici.

XIX. Hiſtoria autem, et prudentia ciuilis illuſtrationi inſeruire debet.

XX. Ordinem ſyſtematis eum ſequi viſum eſt, quo initio principia iuris publici repraeſententur: dein origo Reipublicae Germanicae, et fines, quibus poſt tot mutationes circumſcribitur; tum ſubiectum ſummae per Germaniam poteſtatis, et modus, quo ea ſe per diuerſas regiminis partes exſerit: ac denique Statuum particularium indoles, et cum vniuerſali Republica connexio ſiſtantur.

LI-

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# LIBER I.

## CAPVT I.

## DE LEGIBVS GERMANIAE PVBLICIS ET SPECIATIM DE RECESSIBVS IMPERII.

*Principia iuris publici vel propria vel communia. 1.*

*Propria ſunt leges Imperii. Illarum diuiſio in ſcriptas et non ſcriptas. 2.*

*De legibus Imperii publicis in genere. 3. ſeq.*

*De interpretatione earundem. 7. 8.*

*De Receſſibus Imperii in ſpecie 9. ſeq.*

Principia, ex quibus cognoſcitur ius publicum Imperii Romano-Germanici, vel propria ſunt, quae ſcilicet ad hanc diſciplinam vnice pertinent, vel communia, quorum etiam in aliis iurisprudentiae et doctrinae ciuilis partibus vſus eſt.

II. Principia propria ſunt leges Imperii et foedera, quae ſtatum eius reſpiciunt. Diuiditur autem ius publicum quoque in ſcriptum, et non ſcriptum. Illud continetur legibus expreſſis, tabulis pactorum, aliisque actis publicis: hoc moribus et obſeruantia.

III. Legum quidem ferendarum non idem in Imperio ſemper obtinuit modus. Ceterum hodie, ſi ab antiquioribus diſcedas, in quibus

ferendis liberior Regum auctoritas fuit, leges Imperii publicas vocare licet, *Sanctiones auctoritate Imperatoris, et Conſenſu Ordinum Imperii factas, quae formam, ſtatumue Reipublicae reſpiciunt.*

IV. Illae quidem, quibus ipſa forma ciuitatis continetur, *fundamentales* vocari ſolent.

V. In magna vero legum publicarum multitudine, quarum aliae tantum fuerunt temporariae, aliae conditionem R. P. qualis quoquo tempore fuit, reſpexere, ad eas praecipue attendere debemus, quibus hodiernus Imperii ſtatus innititur.

VI. Legibus hiſce Imperator quidem, et Status collectiue ſumti, obligantur tanquam ex conventione; ſed Status ſinguli, et reliqui Ciues, ſubditique Imperii, tanquam ex lege proprie dicta *.

* Poſſe eandem Sanctionem, diuerſo reſpectu, et legis, et pacti vim habere, iam obſeruauit GROTIVS de Iure Belli et Pacis Lib. II. cap. 14. §. 9.

VII. Interpretatio legum Imperii publicarum doctrinalis etiam a priuatis ſuſcipi poteſt.

VIII. Authentica vero non niſi ab Imperatore, et Statibus Imperii coniunctim, expetenda eſt *.

* Vid. INSTR. PACIS OSNABRVGENSIS art. VIII. §. 2. et art. V. §. 55. CAPITVLATIO CAROLINA art. II.

IX. Inter leges Imperii publicas ſcriptas praecipuum locum habent Receſſus Imperii, quatenus ad ſtatum publicum pertinent.

X.

X. Hoc nomine veniunt decreta Comitiorum, mutuo Imperatoris et Statuum Imperii conſenſu ſancita, et ſub finem illorum publicari ſolita. In quibus etiam occurrunt Conſtitutiones nonnullae argumenti ſingularis, vti *pacis publicae*, *religioſae*, *etc.* *

* Ampliſſima Receſſuum Imperii Collectio in lucem edita eſt Francofurti ad Moenum, An. 1747.

XI. Comitialibus hiſce decretis auctoritatem coniunctim dant, Imperator, et Status Imperii collectiue ſumti, quorum conſenſus non tanquam conditio, ſed tanquam cauſa ſocia requiritur *.

* Arg. PACIS OSNABRVGENSIS Art. III. De modo formandi, itemque publicandi Receſſum, infra, in doctrina de Comitiis, agemus.

XII. Vtrum Status Imperii in ſuis territoriis, diuerſam a diſpoſitione Receſſus Imperii legem ferre queant? in vtramque partem diſputatur *. Affirmari id poteſt, quoad priuatum ius, non quoad publicum.

* Conf. TITIVS in Spec. Iuris publ. L. 1. c. 1. §. 59.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## CAP. II.

# DE AVREA BVLLA.

*Aurea Bulla quando et vbi publicata? 1.*
*Eius Argumentum. 2. 3.*
*Exemplar authenticum. 4.*
*De vſu, atque mutatione Aureae Bullae. 5. ſq.*

Inter leges publicas praecipue notari quaedam merentur, quae ipſa Reipublicae fundamenta continent, ideoque in Capitulationibus Imperatorum nominatim confirmari ſolent. 1) Inter eas primum locum hic damus Conſtitutionibus Caroli IV. in Curia Noribergenſi, et Metenſi, A. 1356. ſancitis, quae ab appenſo ſigillo imperiali aureo, nomine Aureae Bullae κατ' ἐξοχήν vocantur 2).

1) Vid. CAPITVL. Imp. Franciſci. Art. II. §. 3.

2) Inanis fere eſt disquiſitio, quis eas litteris tradiderit? Aeque abſonum BARTHOLO ICto hanc operam, quam ipſi Imperatori Carolo tribuere.

II. Continent diuerſa iuris publici capita, quae definiri maxime tum e R. P. videbatur, inprimis quae ad electionem, et coronationem: itemque ad iura et dignitatem Electorum, ordinemque Curiae imperialis, officia Palatina, eorumque functiones, pertinent.

III. Sancitae ſunt ab Imperatore, communicato cum Electoribus conſilio, et in ſolenni Curia publicatae *.

* AVREA BVLLA Tit. 3. §. 2. et Tit. 12. §. 2.

IV.

IV. Varia extant exemplaria. Sed inprimis celebre eſt fama, quod Francofurti, in vrbe deſtinata electioni Imperatorum, ſeruatur.

V. Merito conſtat Aureae Bullae auctoritas ſua in negotiis, quorum cauſa lex tum lata fuit. Occurrunt tamen nonnulla, que nunquam in vſum deducta fuerunt. Nonnulla mutatis ſeculi moribus locum amplius non inueniunt, certe non tam ſtricte ſeruantur: vti praecepta de conductu et comitatu Electorum, de arcendis peregrinis etc.

VI. Nonnulla etiam lege recentiori abrogata ſunt. Ita quae Tit. 17. de Diffidationibus ſanciuntur, ceſſant poſt promulgatam pacem publicam.

VII. Quando quidem omnis lex, vbi ſalus R. P. poſtulat, ampliari aut mutari poteſt ab ea auctoritate, penes quam eſt legum ferendarum poteſtas.

Conf. IAC. BRVNNEMANNI diſſ. de Mutatione A. B.

## CAP. III.

# DE CONSTITVTIONIBVS PACIS PVBLICAE, CIVILIS, ET RELIGIOSAE.

*De Conſtitutione pacis publicae. 1-3.*
*Contenta eius. 4.*
*Conſtitutio pacis religioſae eiusque vindiciae. 5. ſeq.*
*Contenta eius. 9.*

Commemorandae quoque hic ſunt Conſtitutiones duae, de ſeruanda pace publica, ciuili et religioſa, quibus publica ſecuritas, et communio iuris innititur. Altera eſt Maximiliani I. de perpetua pace publica, qua veluti no-

vo vitae ciuilis vinculo Status, ſubditosque Germaniae, ſublata vi priuata, ſociauit.

II. Scilicet cum diu laboraſſet Germania privati belli licentia, eamque Imperatores ſancita ſubinde ad certum tempus pacis formula, aut Status ipſi, initis eam in rem foederibus, aegre continerent *, Maximilianus in comitiis Vormatienſibus A. 1495. perpetuam pacem ſanciuit. Tum inſtitutum Iudicium Camerae Imperialis, coram qua iure omnes experirentur; ordinataque per Circulos Germania, vt pax ipſa, et Camera melius conſeruari poſſet.

* Hiſtoriam pacis publicae dedit Io. Phil. Dattius libris V. Vlmae 1698.

III. Haec Conſtitutio pacis publicae poſtea in variis comitiis * repetita, et accuratius explicata: inque tabulis pacis Weſtphalicae, et Capitulationibus Imperatorum confirmata eſt. Singulari commentario eam illuſtrauit Iac. Gailius.

* E. g. in Comitiis Auguſtanis A. 1548. v. Reichs - Archiv Part. Gen. p. 107.

IV. Contenta eius praecipua ſunt:

1) Ne quis bellum alteri denunciet, eum ſpoliet, capiat, obſideat, aut vi poſſeſſione ſua deiiciat; ſed iure omnes experiantur.

2) Vt quilibet ſubditos alienos, per territorium ſuum, libere, et ſine moleſtia commeare ſinat.

3) Ne quispiam alteri ſubditos ſuos ſubducat, vel eos contra dominum concitet, profugosue ob delicta foueat.

4) Vt Status homines vagos cerceant.

5) Ne quis violatoribus pacis conſilio et ope adſit, ſed potius imploratus auxilium aduerſus illos ferat, bannumque exequi iuuet.

6) In violatores poena banni ſtatuta eſt, ad quam non niſi coram Imperatore, vel Camera agi poteſt: item poena 2000. Marcarum auri puri; ad quam, vti et ad priuatam ſatisfactionem, etiam coram alio iudice competente agere licet.

V. Ortis de religione diſſidiis, poſt varia tentamina, tandem in transactione Paſſauienſi ea componendi ſpes facta eſt.

VI. Ita demum Auguſtae Vindelicorum An. 1555. pacata tum R. P. Ferdinandus Romanorum Rex, ſuo et fratris Imperatoris nomine, in publico Statuum eccleſiaſticorum, et ſecularium conuentu, adeoque omnium Ordinum auctoritate, ſanciuit conſtitutionem Pacis Religioſae *.

* Hiſtoriam huius transactionis dedit IO. SCHILTERVS. Acta publica ad eam pertinentia collegit LEHMANNVS.

VII. Quae aliquoties poſtea repetita, et denique in Inſtrumento Pacis Weſtphalicae confirmata, atque vlterius declarata eſt.

VIII. Verſatur circa externum religionis ſtatum: adeoque intra fines iuris, quod in quolibet populo ſummae poteſtati circa ſacra competit.

IX.

IX. Praecipua capita ſunt:

1) Vt concedatur libertas, quoad internum et externum diuinum cultum, et pleniſſima ſecuritas Auguſtanae Confeſſioni addictis Electoribus, Principibus, et Ciuitatibus Imperii, (et nobilibus immediatis *) aeque ac Catholicis. Neutra vero pars alteram contumeliis afficiat, nec aliter, quam amica compoſitione finiantur controuerſiae circa religionem obortae †.

* §. 13. † §. 2. et 3.

2) Excluduntur omnes alius religionis ſectae *.

* Ibidem. 4.

3) Adiecta tamen conditio, quam Reſeruatum Eccleſiaſticum (den geiſtlichen Vorbehalt) vulgo vocant, qua Catholicis cauebatur, vt ſi quis forte Archiepiſcopus, Epiſcopus, Praelatus, aut alia perſona eccleſiaſtica ad ſacra Auguſtanae Confeſſioni addictorum tranſiret, ille excideret eccleſiaſtica dignitate, et inde pendentibus bonis eccleſiaſticis, ſalua tamen exiſtimatione. Interpoſita autem aduerſus illud Reſeruatum proteſtatio Euangelicorum *.

* Ibid. §. 5.

4) Iurisdictio eccleſiaſtica Pontificis, et Epiſcoporum etc. intuitu Auguſtanae Confeſſioni addictorum *, vsque ad compoſitionem controuerſiarum religionis ſuſpenditur.

* In

* In Sachſen die zur Augſpurgiſchen Confeßion, Religion, Glauben, Beſtellung der Kirchen-Miniſterien, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien gehören.

5) Bona eccleſiaſtica a Proteſtantibus vsque ad illud tempus occupata, illis relinquuntur *.
* §. 6.

6) Cauetur, ne Status alterutrius religionis, Statum alium, vel eius ſubditos, vi, aut prauis artibus inducat ad mutationem religionis *.
* §. 10.

7) Subditis autem diuerſae a domino religionis, facultas emigrandi conceditur *.
* §. 11.

8) Poena banni in violatores ſtatuitur, aeque ac in Conſtitutione pacis publicae.

## CAP. IV.

# DE CAPITVLATIONE IMRERATORIS.

*Capitulatio quid?* 1.
*Eius origo.* 2.
*Certa formula ſub Carolo V.* 3.
*De Capitulatione perpetua conſultationes.* 5. *ſeq.*
*Ius adcapitulandi Electoribus ſeruatum.* 10.

Inter leges fundamentales porro locum habet Capitulatio Imperialis. Ita vocatur pactum inter Imperatorem atque Electores initum, quo ille ſtatim peracta electione, ante coronatiónis ſolen-

ſolennia, ad certum adminiſtrandi Imperii modum, iureiurando * ſe adſtringit.

* Obtinetque vſu, vt etiamſi iam per legatos iusiurandum praeſtitum fuerit, ipſe tamen praeſens repetat.

II. Iam ſub Carolingis obtinuit, vt reges inter auſpicia Principatus iura populi, et eccleſiae ſe tuituros promitterent 1): ſenſim vero plura ſingularia ſtipulari proceres coeperunt 2).

1) Vid. Acta Coronationis Caroli Calui in regno Lotharii, ap. du CHESNE T. II.

2) Vid. e. g. quae ſtipulati ſunt Electores, cum deſtituto Venceslao Rupertum Palatinum eligerent.

III. In electione Caroli V. ſolennius acta res, et ad certa capita (ſeu vt olim loqui amabant, *capitula*) redacta Electorum ſtipulatio, vt inde adeo formam quaſi ſuam, et nomen Capitulatio acceperit.

IV. Ab illo tempore ſolebant ſoli Electores, totius Imperii nomine, inter conſultationes de eligendo Imperatore, Capitulationem perficere, et nouiſſimam formulam pro norma adhibere, in qua mutarent, aut cui insererent, quae rationes Imperii poſtulare viderentur.

V. Sed inter Conſultationes de pace Weſtphalica, potentiores aliquot principes poſtulabant, vt omnium Imperii Ordinum auctoritas in adornanda Capitulatione intercederet, et certa et conſtans aliqua formula ſcriberetur, ad quam Electores cum electo Romanorum Rege paciſcerentur.

rentur. Quae res tum, vna cum aliis, ad ſutura comitia reiecta *.

* I. P. Oſnabrug. Art. VIII. §. 3.

VI. Neglecta vero in comitiis proxime ſequentibus eius tractatio: et Electores A. 1653. cum Ferdinando IV. itemque A. 1658. cum Leopoldo, priſco ritu pactum adornarunt. Anno demum 1663. in comitiis magno animorum motu ſuſcitata iterum haec diſputatio fuit. Exhibebatur delineatio capitulationis perpetuae, iamque in plura capita vtrumque collegium conſenſerat, cum languere iterum inciperet tractatio, et mox intermitteretur. Neque Electores cum Ioſepho ad modum exhibitae delineationis pacti, ſed Leopoldinam ſecuti ſunt.

VII. Sub Ioſepho An. 1709. tentatum denuo negotium, cum vtcunque procederet, mors Imperatoris An. 1711. interrupit *.

* Hiſtoriam Conſultationum de Capitulatione perpetua vid. apud AVCTOREM Meditationum ad Inſtrumentum Pacis Caeſareo-Suecicum, p. 948.

VIII. Tum autem Electores, quoniam de plerisque capitibus inter collegia iam conuenerat, fundamenti loco, in adornanda Capitulatione delineationem illam perpetuae, quatenus probata fuerat, adhibuerunt.

Vid. Praefatio der gegenwärtigen Verfaſſung der Kaiſerlichen Regierung ꝛc.

IX. Eadem Capitulatione * promiſit Imperator, ſe operam daturum, vt penitus conficiatur

tur id negotium. Effecitque, vt A. 1712. rurſus in id incumberent Ordines. Erecti itaque animi ad ſpem optati exitus, maxime ex quo conuenerat de non inſtituendo nouo Electoratu, absque conſenſu comitiali. Sed nouae difficultates ex improuiſo moram iniecerunt.

* Art. XXX.

X. Interea ius adcapitulandi Electoribus reſeruatum fuit, quo nomine venit facultas, pro temporum ratione nouas conditiones adiiciendi. Atque eundem in modum cum Imperatoribus, Carolo VII. et Franciſco adornata eſt Capitulatio *.

* Vid. CAPITVLAT. Imp. Franciſci, Art. XXX.

XI. Ad Capitulationem Caroli V. Limnaeus commentatus eſt. Ad Ioſephinam habemus obſeruationes Vlr. Obrechti 1): Ad Imp. Caroli VI. Capitulationem Anonymi Spicilegium Obſeruationum 2), et Car. Ottonis Thyllii Commentationem 3). Imp. Caroli VII. Capitulationem, quae et Gallice verſa extat, vberibus Commentariis inſtruxit Moſerus. Muldnerus in Capitulatione Harmonica oſtendit, qua ratione diligentius ſubinde exculta fuerunt regalis pacti capita.

1) Quae vna cum Meditationibus ad Inſtrumentum Pacis Caeſareo-Suecicum prodiere.
2) Francofurti ad Moenum 1714. 4.
3) IBIDEM 1717. 4.

CAP. V.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## CAP. V.

# DE PRINCIPIIS IVRIS PVBLICI ECCLESIASTICI IN SPECIE, VBI DE CONCORDATIS NATIONIS GERMANICAE CVM CVRIA ROMANA.

*Principia Iuris publici eccleſiaſtici propria.* 1. *De auctoritate Conciliorum: inprimis Conſtantienſis et Baſileenſis.* 2. *Itemque Conciliorum nationalium et prouincialium.* 3. *Speciales conſtitutiones.* 4. *Concordata inter Nicolaum V. et Fridericum III. inita.* 5. *Contenta eorum.* 6. *Et auctoritas.* 7. *ſeq.* *Statuta, et priuilegia Eccleſiarum ſingularia.* 10.

Legibus hiſce, ſtatus publicus, cum ciuilis, tum eccleſiaſticus, in Germania nititur. Sunt tamen et fundamenta quaedam ſtatui eccleſiaſtico propria.

II. Ex conciliorum numero, praeter Concilia Oecumenica vetera *, huc ſpectant praecipue Decreta Concilii Conſtantienſis, et Concordata in eo inter ſedem Romanam et nationem Germanicam inita. Ex Baſileenſi Concilio huc pertinent Decreta, quae ſancita ſunt, antequam Eccleſia Germanica ab eo ſecederet.

* Sed cedit Conciliorum auctoritas, vbi lex imperii aliter diſponit ARG. Inſtrum. Pacis Oſnabrugenſis art. XVII. §. 3. Neque aliter recipi potuit Concilium Tridentinum.

III. Praeterea in Germania quoque cauſas eccleſiaſticas in Concilio Nationali 1), aut prouinciali 2), tractare moris quondam fuit.

1) Tale fuit Althemenſe, ſub Conrado I. De quo vid. Commentar. de Rebus Imper. I. 5.

2) De Conciliis Moguntinis diſputauit IO. ANDR. SCHMIDIVS. Dolendum ſane eſt, nondum haberi Collectionem Conciliorum Germaniae, qualem Cl. SCHANNATVS promiſerat.

IV. Nonnulla Iuris eccleſiaſtici capita ſingularibus Conuentionibus, inter Imperium et Sacerdotium initis, definita ſunt. Talis eſt transactio Henrici V. cum Calixto II. Papa, qua is abdicata inueſtitura per baculum et annulum, liberam Eccleſiis electionem permiſit.

V. Tale etiam eſt pactum inter Fridericum III. et aliquot Imperii Principes, ab vna, et Nicolaum V, ab altera parte, ſub titulo CONCORDATORVM initum 1). Scilicet Eccleſia Germanica diu de prouiſionibus Curiae Romanae, quibus omnis fere electio, et collatio beneficiorum tollebatur, nec non de exactionibus eiusdem, queſta erat. Nec ſperata ex Concilio Baſileenſi remedia ſucceſſum habuere. Sed Imperator vtcunque tranſigere cum Pontifice maluit 2).

1) Vid. haec Concordata ap. GOLDASTVM in Conſtit. Imperial. T. I. p. 207. et paſſim alibi. Habemus ex Catholicis GEORGII BRANDEN, Canonici Auguſtani, Collectanea ſuper Concordatis inter S. ſedem Apoſto-

Apoſtolicam, et inclytam nationem Germanicam. Coloniae 1600. 4. Item HENRICI CANISII Notas in Concordata Germaniae, quae Inſtitutionibus eius Iuris Canonici, Ingolſtadii Anno 1600. editis, adiectae ſunt. Ex Proteſtantibus praeſto ſunt Obſeruationes AD. CORTREII.

2) Conf. HENRICVS LINCKIVS de Concordatis Nationis Germanicae.

VI. Quatuor capita continent, aguntque 1) de beneficiis, de quibus prouidere poſſit Papa. 2) De electione. 3) De alternatiua menſium in capitulis. 4) De annatis.

VII. Haec tamen Concordata non ab omnibus recepta. Immo multi ea ab initio improbarunt.

VIII. Neque Romana Curia ſemper iis ſtetit. Qua de re ſaepius conqueſti Status Catholici, ad Caeſaris auctoritatem confugerunt 1). Itaque in Capitulatione ſpondet Imperator operam dare, vt Pontifices Concordata rite ſeruent 2).

1) Vid. e. g. Grauamina der ältern approbirten Orden, und deroſelben Gewalthabere an die Röm. Kaiſerl. Maj. pro conſeruatione et manutentione Concordatorum nationis Germanicae, in comitiis Ratisbonenſibus Anno 1641. exhibita, apud LIMNAEVM Mantiſſ. 9. ad Capitulat. Caroli V.

2) Capitulat. Imperialis art. XIV.

IX. Proteſtantes autem Status, per pacem Religioſam et Weſtphalicam 1) ab hiſce Concordatis immunes declarati ſunt. Iidem aliquando cum Romae Concordatorum ratio non haberetur,

tur, conſilium Caeſari dederunt, vt ipſe quoque, abolitis iis, Eccleſiae Germanicae libertatem, ſecundum decreta Concilii Baſileenſis, inſtauraret 2).

1) Art. V. §. 5. Add. CAPITVL. CAROLINA *l. c.*
2) Vid. litteras ad Imperatorem datas in der Staats-Canzley T. 9. p. 769. Conf. Io. GEORGII BRVCKMAN Diſſ. *de Abrogatione Concordatorum.*

X. Caeterum Eccleſiis etiam ſingulis propria ſtatuta ſua, pacta, et priuilegia ſalua ſunt.

## CAP. VI.

# DE TABVLIS PACIS, FOEDERVMQVE CVM EXTERIS, VBI DE PACE WESTPHALICA, NEOMAGENSI etc. ET IN GENERE DE RELIQVIS ACTIS ET MONVMENTIS, QVORVM IN IVRE PVBLICO VSVS EST.

*Tractatuum cum exteris in iure publico vſus. 1. 2.*
*De Pace Weſtphalica. 3. 4. Neomagenſi. 5. Ryſuicenſi. 6.*
*Eiusque articulo IV. 7.*
*De Pace Badenſi. 8. Et Vindebonenſi, vtraque. 9. 10.*
*Aliorum Actorum publicorum vſus. 11. ſeq.*
*De fide et auctoritate diplomatum. 14. 15.*

Ad principia iuris publici pertinent tractatus cum exteris *, quatenus illis aut ipſe R. P. ſtatus afficitur, aut de mutua praeſtatione, aut de finibus Regnorum, deue dominio ac iure Prouinciarum ſingularium diſponitur.

* Eximium ſpecimen, qua ratione foederum conſideratio in quolibet regno inſtitui poſſit, dedit AMELOTVS in *Obſervationibus ad foedera regni Galliae.*

II. Latiſſime patet vſus illorum in iure publico Romano-Germanico *. Pro ſpecimine dabimus Pacis inter Imperium, et Galliam foedera, facto a Pace Weſtphalica initio **.

* Difficile fuerit praeſtare intuitu Imperii, quod AMELOTIVS praeſtitit intuitu foederum Regni Galliae, ob diuerſum Reipublicae Statum, et foederum multitudinem. Vbi non ſuppetunt pacta ab vniuerſo Imperio cum exteris inita, ratio habenda eſt foederum ſingularium, quae Imperatori, aut vicinis Imperii Statibus, cum illis intercedunt. Talia ſunt Auſtriacorum cum Heluetis, nec non cum Regno Poloniae, (intuitu Vngariae, et Bohemiae) itemque Brandenburgicae Domus, cum eodem Regno, foedera.

** Seriem foederum, quae inter Imperium, Galliamque iam olim inita fuerunt, adumbraui in Diſſertatione *de Iure foederum in S. R. Imperio* §. XV.

III. Pax Weſtphalica eſt ſimul lex maxime fundamentalis Imperii, aduerſus omnem exceptionem, atque proteſtationem, totius Imperii auctoritate munita *.

* Art. XVII. §. 2. 3.

IV. Conſtat duplici inſtrumento. Alterum Monaſterii cum Gallis, alterum Oſnabrugae cum Suecis confectum. Et Monaſterienſe quidem ab eo tempore fundamentum fuit omnium pacificationum inter Imperium et Gallos.

V. Cum occaſione belli Hollandici Imperium aduerſus Gallos arma ſumſiſſet, in pace

Neomagenſi An. 1679. inter Imperium et Gallum nihil magnopere innouatum. Sed in tractatibus ſingularibus Regum et Principum, qui bello interuenerant, tam quoad Imperii ipſius, quam prouinciarum aliquot fines, nonnulla mutata fuerunt.

VI. Mox nouum a Gallis conflatum bellum magnos in Germania motus concitauit, nequicquam fidente vicennalibus induciis, Ratisbonae An. 1684. factis. Illud compoſitum Ryſuici in Hollandia a. 1697.

VII. In hac pacificatione adiecta articulo IV. clauſula: *religione tamen catholica Romana in locis reſtitutis, in ſtatu, quo nunc eſt, remanente*, Ordinum Imperii concordiam vehementer turbauit.

VIII. Haud multo poſt, Anno 1702, occaſione Succeſſionis Hiſpanicae, bellum ab Imperio aduerſus Regem Galliae, et nepotem eius Philippum, decretum. Illud vero compoſitum Pace Badenſi* An. 1714. cum Gallis inita.

* Neque attenditur in Imperio ad ea, quae forte aliter definita fuerant in Pacificatione Vltraiectina.

IX. Ac denique Pace, quae Vindebonae An. 1725. inter Imperatorem, et Philippum V. Hiſpaniae regem, ſancita fuit.

X. Sed noua ex improuiſo tempeſtas in Italia, atque ad Rhenum erupit, dum Galliæ, Hiſpaniae, et Sardiniae Reges Imperii et Auſtriacae domus terras, in Germania et Italia, inuadunt. Impo-

Impoſitus bello finis Pacificatione Viennae An. 1738. inita *.

* Haec Pacificationum inter Imperium, et Regnum Galliae ſeries. In recente ſunt memoria, quae poſt Imp. Caroli VI. mortem, vsque ad nuperam Pacem Aquisgranenſem, euenere.

XI. Praeterea immenſa actorum publicorum ſeges eſt, quae ad probanda et illuſtranda varia capita Iuris publici, tam Imperii vniuerſi, quam Statuum ſingulorum, ſeruiunt. Talia ſunt fundationes Epiſcopatuum, et Monaſteriorum, Inueſtiturae, expectatiuae, collationes dignitatum, itemque priuilegia ab Imperatoribus conceſſa Statibus, e. g. exemtionis etc.

XII. Item Pacificationes, et foedera Statuum cum exteris *. Ita e. g. Pace Pyrenaea, Aquisgranenſi, et Neomagenſi An. 1678. inter Hiſpanos et Gallos inita, admodum mutatus eſt ſtatus circuli Burgundici. Nec non pacta Statuum inter ſe mutua, vti familiae, confraternitatis, etc.

* Conf. quae notaui ſupra ad §. 2.

XIII. Et horum quidem Actorum publicorum ampliſſimas habemus collectiones, adornatas ab Hortledero, Lundorpio, Lunigio, auctoribus Theatri et Diarii Europaei: quibus et exteri iungendi, Victorius Siri, Lambertus, et ipſum Corpus diplomaticum, etc. Multa tamen in eius generis compilationibus plerisque adhuc deſiderantur *.

* Id inprimis curandum in veterum tabularum editionibus, vt ad authenticum exprimantur: tum vt, antiquae inprimis, integrae dentur, cum ſubſcriptionibus,

et ſigillis: et quoniam maximopere ſaepe intereſt ad authenticorum fidem recurrere, vt notetur, vnde deſcriptae ſint. Profuerit quoque indicaſſe, vtrum iam alibi editae, itemque vbi forte ab aliis in dubium vocatae, aut defenſae fuerint. Quod ſi argumenta praefigat editor, et paſſim notulis eas illuſtret, eo melius de lectore merebitur.

XIV. Veritas Diplomatum, inprimis antiquorum, ſecundum artis diplomaticae praecepta examinari debet *.

* Nota ſunt IO. MABILLONII, aliorumque Virorum doctorum, in rem diplomaticam merita. Nouam quoque laudis materiam in eadem palaeſtra quaeſiuit Ill. SCIPIO MAFFEI, edita Hiſtoria diplomatica. Ceterum Germanis rei Diplomaticae ſtudioſis pro tyrocinio eſſe poteſt HERTII Diſſ. *de Fide Diplomatum Germaniae Imperatorum et Regum.* Vol. II. Opuſculorum p. 589. Operoſior diſquiſitio de diplomatibus Imperatorum, vsque ad Fridericum II. eſt in Chronico Gotuicenſi. Parte I. Inter Controuerſias de fide veterum tabularum, notiſſima eſt in Germania de diplomate Lindauienſi diſceptatio.

XV. Validitas illorum ex Conditione et Statu Reipublicae, qualis quoquo tempore fuit, aeſtimatur.



CAP.

## CAP. VII.

# DE IVRE PVBLICO NON SCRIPTO, SEV OBSERVANTIA IMPERII.

*Obſeruantiae Imperii origo. §. 1.*
*Definitio. 2. ſeq.*
*Obiectum. 5.*
*Effectus. 6. 7.*
*Quomodo probanda? 8. 9.*
*Quis iudex in Obſeruantiae dubia? 10.*

Hactenus de iure Germaniae publico ſcripto. Sed multa quoque negotia publica, non ſecus ac priuata, iure non ſcripto, nempe Obſeruantia, et longo vſu nituntur *. Quippe mores non modo in vita communi multum valent; ſed etiam in foro, et adminiſtratione Reipublicae, adeoque inter ipſos Principes, liberasque ciuitates **.

* Vnde Obſeruantiarum Imperialium notitia requiritur a iudice et aſſeſſoribus Camerae in Ord. Cam. P. I. Tit. 3. §. 1. ſeq.

** Chr. Thomasivs de Iure Conſuetudinis, et Obſeruantiae.

II. Hanc Obſeruantiam Germani vocant Reichs-Herkommen 1). Eſtque regula per traditionem inducta, quam in rebus et negotiis iure ſcripto non definitis, ordinandis, expediendisque ſequimur 2).

1) Hergebrachte Rechte, Gebräuche, Herkommen und Gewohnheiten.

2) Vid. Kvlpisivs de Obſeruantia imperiali. §. 10.

III. Illa traditio nititur diuturno vſu, quo ſaepe aliquid factum conſtet, et ita, vt tanquam iuſte factum receptum fuerit: (in quo differt a noua vſurpatione). Vimque obligandi adeo ex tacito Imperatoris et Statuum conſenſu trahit.

IV. Etſi inter illa, quae ad Obſeruantiam hodie referuntur, multa forte conſenſu expreſſo olim inſtituta eſſe poſſunt, ac ſolo deinde vſu propagata.

V. Valet autem Obſeruantia tam in negotiis Imperii publicis 1), quam in modo ea expediendi 2); et ipſo, quem vocant, ſtylo Curiae 3).

1) E. g. Circa electionem Imperatoris: ne alius, quam qui natione Germanus, eligatur. Imperatores ipſi ius Primariarum Precum ex Obſeruantia repetunt. Functiones archiofficiorum in multis ſola Obſeruantia nituntur.

2) E. g. in modo mittendi legatos, tractandi in comitiis, in ſolenni proceſſione, re - et correlatione, publicatione Receſſuum Imperii etc. add. KVLPISIVS §. 28.

3) Inde in Receſſu Imperii de anno 1570. §. 75. ſeq. dicitur der alte wohlhergebrachte Stylus.

VI. Obſeruantia Imperii eandem habet vim ac ius ſcriptum, atque ideo ius antiquius ſcriptum per Obſeruantiam declarari *, immo tolli † poteſt.

* Ita LIVIVS XLV, 32. *Vſum* vocat *optimum legum correctorem.*

† Hinc

† Hinc interdum cauetur in legibus, ne Obſeruantiam contra allegare liceat, vt in Conſtitut. Pacis publicae, de An. 1495. tit. 10. wir ſetzen auch.

VII. Viciſſim et Obſeruantia vel iure ſcripto tollitur, vel exoleſcit deſuetudine, vſuiue cedit recentiori.

VIII. Probanda eſt ab allegante, quod fit per deductionem actuum, ex quibus conſentientibus Imperatoribus, et Ordinibus Imperii aliquid factum appareat.

IX. Hi vero actus ipſi teſtibus, aut documentis fide dignis probantur. Tutiſſimum autem eſt, ex rerum geſtarum commentariis, qui in Archiuis aſſeruari ſolent, quid alias in ſimili caſu obſeruatum ſit, doceri.

X. Sed cum ſaepe contrariae partes ad Obſeruantiam prouocent 1), quaeri ſolet, penes quem decidendi ſit auctoritas? Et ſane, quia Obſeruantia legis ſpecies eſt, ius vero legislatorium, cuius pars interpretatio legum authentica habetur, inter Imperatorem et Status commune eſt, videtur hoc quoque iudicium ad eos coniunctim pertinere 2).

1) E. g. Olim in Diſputatione, vtrum in conſultatione comitiali idem rerum ordo retinendus ſit, qui in propoſitione Imperiali fuerat.

2) Videatur KVLPISIVS l. c. §. 32.

CAP

## CAP. VIII.

# DE IVRIS NATVRALIS ITEMQVE ROMANI IVSTINIANEI, CANONICI, ET FEVDALIS LONGOBARDICI VSV, ET AVCTORITATE IN GERMANIA, RATIONE IVRISPRVDENTIAE PVBLICAE

*De vſu Iuris Naturalis in Iure publico. 1.*
*Item Iuris Romani. 2. ſeq.*
*Et Canonici. 6. ſeq.*
*Specimen textuum Iuris Canonici, qui in Iure publico allegari non poſſunt.*
*De vſu Iuris Feudalis Longobardici. 10. ſeq.*
*Quis vſus Iuris Prouincialis, in Iure publico. 15.*

Hactenus de principiis iuri publico propriis. Inter communia, quae etiam aliis diſciplinis inſeruiunt, primum hic locum damus Naturali et Gentium Iuri, cui in rebus Imperii tam domi, quam in negotiis cum exteris, locus eſt. Status quoque in negotiis publicis, quae legibus Imperii definita non ſunt, eadem libertate, qua alii ſupremi principes, ciuitatesque, illo vtuntur.

II. Ius Romanum, qua tale, ad Germaniam non pertinet; ſed ſponte, et primum quidem tacito Imperatoris Ordinumque Imperii conſenſu, deinde etiam expreſſo, receptum eſt. Verum in ſubſidium tantum, cum iura domeſtica deficiunt, et quatenus ad ſtatum Germanorum quadrat.

III.

III. Iam vero ius publicum Romanorum in pauciſſimis rebus ad praeſentem Imperii, et territoriorum particularium ſtatum quadrat *. Vbi autem conuenit, deficiente domeſtico iure, controuerſiae ex illo in iudiciis Imperii deciduntur, e. g. in cauſis Fiſci, Tributorum etc.

* Quia alia eſt R. P. forma, alia ſacrorum indoles: nec prouinciarum et magiſtratuum formula, qualis in Romano iure occurrit, Statibus Imperii et territoriis illorum conuenit.

IV. In negotiis priuatis Statuum Imperii, quae iis ſcilicet cum priuatis communia ſunt, e. g. tutela, teſtamentis, contractibus etc. quorum quidem effectus etiam ad ſtatum publicum pertingit, vtuntur iure priuato, niſi vbi rationes publicae, et libertas illorum ac dignitas exceptioni locum faciunt.

V. Scilicet Imperii iudicia, in cauſis eiusmodi, deficientibus legibus patriis, ſecundum ius ciuile Romanum pronunciant: et in toto proceſſu remedia illius iuris admittuntur *.

* Conf. VLR. OBRECHTI Oratio *de Vſu Iuris Ciuilis in decidendis controuerſiis publicis.* Itemque altera *de Connexione iuris priuati et publici.*

VI. Ex iure Canonico, quatenus iuris poſitiui humani rationem habet, atque ex Decretis Conciliorum, et Pontificum epiſtolis conſtat, Decretum aeque ac Decretales, voluntaria receptione in Germania inualuerunt 1), ſed in quan-

quantum leges Imperii 2), Canones Concilio-rum nationalium, ſingulares conſuetudines, pactiones, et priuilegia eccleſiarum non obſtant.

1) Vid. BOEHMERI Diſſ. *de Vſu Iuris Canonici in foris Proteſtantium* Cap. I.

2) Adeoque non attenditur e. g. ad cap. *Venerabilem X. de electione et elect. poteſtate*, quo Innocentius III. Papae aſſerit ius examinandi perſonam electi Imperatoris, eumque vel confirmandi, vel reiiciendi. Neque attenditur ad id, quod idem Papa cap. I. *de ſacr. vnct.* de vnctione regali praecepit. Multo minus congruit c. 2. *de ſententia et re iudic. in VI.* quod Papae facultatem abdicandi Imperatoris tribuit. Quis porro ferat ex Clementinis c. *Paſtoralis de ſentent. et re iudic.* quo Clemens V. ſuperioritatem Papae, et vicariatum Imperii ſtabilire ſategit? Quis eiusdem Clementis decretalem de iureiurando ab Imperatore Pontifici praeſtando? Quis decretalem Iohannis XXII. qua ſibi vicariatum durante interregno vindicat in Extrav. *ne ſede vacante quid innouetur?*

VII. Inter Catholicos quidem multa inde in cauſis Statuum Eccleſiaſticorum deciduntur, quae etiam ſtatum publicum Eccleſiae nationalis afficiunt, vt de Legatorum, Primatum, et Metropolitanorum iuribus, de electione, poſtulatione, et confirmatione Epiſcoporum, vnitione Eccleſiarum etc.

VIII. Iidem Status Catholici in negotiis etiam priuatis ſuis, quae ad forum eccleſiaſticum pertinent, atque a diſpoſitione iuris Canonici pendent, eiusdem auctoritatem ſequuntur.

IX. Sed Proteſtantes eo, neque in publicis, neque priuatis obligantur. Praeterquam in iis capitibus, quae ſponte retinuerunt: quod prae-

cipue

cipue factum, quoad iura Eccleſiarum, et Collegiorum Canonicorum; itemque in variis partibus Proceſſus, et negotiis priuatis, in quibus Iuris Canonici auctoritas prae ciuili praeualuit*.

* Conf. BOEHMERVS l. c. cap. 2. §. 12. et ſeq.

X. Multa quoque ex Feudalibus inſtitutis iuri publico inſeruiunt. Equidem Imperatores ſolebant olim Feudales cauſas in Curia, magis ex conſuetudine, et Parium ſententia, quam ad Legis ſcriptae normam tractare. Nonnulla tamen capita legibus etiam publicis definita ſunt.

XI. Status quoque Imperii potentiores in ſua quisque Curia leges ſuas, et Conſuetudines habent *.

* Vid. LVNIGII Theſaurus Iuris Feudalis. Lipſiae 1727. f. 3. Vol.

XII. Verum tamen et Ius illud Feudale, quod corpori Iuris Ciuilis adiectum reperitur, (Longobardicum vulgo vocant) vna cum Iure Romano in Germania inualuit, et non doceri modo in Academiis coepit, ſed in Iudiciis etiam Imperii, et Curiis Feudalibus Statuum auctoritatem obtinuit.

XIII. Fundatam adeo intentionem habet, qui eo nititur. Admittitur tamen probatio, ſi alter excipiat, non quadrare illud ad cauſam, aut capitulum, de quo agitur, non eſſe receptum *.

* E. g.

* E. g. quoad caſum Feloniae id oſtendit IOH. CAR. SPENERVS in *Examine Longobardicae doctrinae de Felonia ad Status Imperii communiter applicatae.*

XIV. Itaque Iudicia Imperii in decidendis controuerſiis, etiam publici Iuris, ſtatuta quidem, legesque proprias, et Imperii publicas, ante oculos habent; verum vbi illa deficiunt, pro indole cauſae, ad Ius commune, ciuile, canonicum, feudale, recurrunt *.

* In Ord. Iud. Aul. Caeſ. Tit. I. Aſſeſſores Iudicii iudicare iubentur, nach guten Ordnungen und Gewohnheiten, und in Mangel dererſelben nach denen Kaiſerlichen Rechten. *Similiter in R. I. de An. 1654. §. 105. legitur:* benebens ſollen Cammer-Richter bey Adminiſtration der heilſamen Juſtiz, ſo wohl die Statuten und Gewohnheiten, als die Reichsabſchiede und gemeine Rechte vor Augen haben, und wohl betrachten.

XV. Veterum autem legum Germanicarum 1), et Speculi Saxonici, aut Sueuici 2) vſus demum eſt, vbi conſuetudo aliqua ſpecialis probari, aut iuris, quo vtimur ortus et progreſſus indicari, ac illuſtrari debet 3).

1) Vſum iurium Prouincialium in cauſis Statuum Imperii priuatis adſtruit SCHILTERVS in Iure Publ. Lib. I. T. II. §. 17.

2) De non vſu Iuris Feudalis Alemannici ſcr. STEPH. CHR. HARPRECHT.

3) Conf. AVCT. COLLOQVIORVM de Statu Camerae Imperialis p. 199.

LI-

# LIBER II.

# DE FINIBVS IMPERII: VBI ET DE DIVISIONE GERMANIAE IN X. CIRCVLOS.

## CAP. I.

## GENERALIA DE IVRE FINIVM IN IMPERIO ROMANO-GERMANICO.

*Ius finium quotuplex? 1. Quomodo conſtituatur? 2. Circa mutationem finium regula. 3. Mutatio quot modis fiat? 4. 5. Praeſcriptioni inter liberas gentes locus. 6. Applicatio ad Imperium. 7. ſeqq. De cura recuperandorum amiſſa. 11. ſeq.*

De territorio Imperii, atque ipſo prouinciarum nexu, prima merito eſt diſquiſitio: eaque cum ad poſſeſſionem tuendam, tum ad amiſſorum vindicias conducit.

II. Tuendorum finium cura fluit ex ipſa primaeua Reipublicae conſtitutione, et pacto fundamentali, quo ciuitas ſemet inuicem obſtrinxit. Inde apparet, quae regiones, qui populi, et qua formula in communem Rempublicam convenerint, quid ſinguli illi debeant, quidue viciſſim ab illa expectent.

III. Circa mutationem obtinet regula: Quaecumque ſemel in poteſtatem rite venerunt, in illa aeternum ius eſt, niſi iuſta mutatio contigerit.

IV. Haec vero induci non poteſt, niſi conſenſu partium; qui vel ſponte per pacta declaretur, vel poſt ſolenne bellum interponatur.

V. Sed tamen et conſenſus tacitus ſufficit, quando tacite fit alienatio *.

* Vid. TITIVS in Specimine Iuris publici L. I. c. 8. §. 13. add. GROTIVS de I. B. L. II. c. 4.

VI. Adeoque et praeſcriptioni inter liberas gentes, ad regionum dominia in certo collocanda, locus eſt.

Vid. TITIVS l. c. §. 21. adde VERLHOFII Vindicias dogmatis Grotiani de praeſcriptione inter liberas gentes.

VII. In disquiſitione de finibus * Imperii Romano-Germanici, primum conſtitutio eius, regnorumque et prouinciarum fines explicari debent: tum ingens, quae conſecuta eſt, mutatio.

* De finibus Imperii primus ordine, et ex veris principiis commentatus eſt HERM. CONRINGIVS. Ante illum hoc argumentum attigerat D. LEONHARDVS WVRFBAIN in Relationibus Hiſtoricis (Norib. 1636. editis) P. V. et VI.

VIII. Itaque cum Imperium hoc Germaniae, Italiae, Burgundiaeque coniunctione ſteterit, regno-

regnorum illorum nexus, limitumque deſignatio, pro fundamento erit.

IX. Itaque vbi conſtat, regnum aliquod integrum in ditionem Imperii veniſſe, cum de vnius alteriuſue regionis aut vrbis ad Imperium habitu diſputatur, non requiritur praeciſe, ad aſſerenda Imperii iura, vt probetur qualitas feudalis; ſed ſufficit, ſi eam intra fines regni illius fuiſſe probaueris *.

* De quo fuſius egi in Diſſertat. *de Nexu regni Lotharingiae* etc. §. VII. et §. XXIV. not. 1.

X. Sed illi ampliſſimi quondam Imperii Romano-Germanici fines, immane quantum mutati ſunt, non vna eademque ratione. Prouinciae quaedam et ciuitates in plenam libertatem ſe aſſeruerunt. Quaedam aliis Dominis conceſſae. Multa inique ſubtracta, nonnulla dubiae formulae ſunt. Quae omnia in ſequentibus, vbi per ſingula regna ibimus, diſtinctius explicari poterunt.

XI. De recuperandis, quae iniuſte ſubtracta ſunt Imperio, ſaepius conſultatum eſt. Ea cura Imperatoribus in ipſa Capitulatione commendatur; adeoque praeſcriptio aduerſus Imperium, ab exteris, praeſertim ab iis, qui negant eam aduerſus ſe valere, allegari regulariter nequit *.

* Vid. Meditationes ad Capitulationem Ioſephi art. XII. not. 1.

XII. Spem quidem recuperandorum varia impedimenta, et difficultates haud leues morantur *. Quin et interdum Germani ipſi nimis patienter ſpectare iacturas ſuas viſi ſunt. Dubitarunt adeo nonnulli, conſultumne ſit, praetenſionibus antiquis, in terras a potentibus dominis per ſecula poſſeſſas, inſiſtere? Verum per rerum ciuilium viciſſitudines ea temporum conditio ſubinde oritur, qua aſſeri poſſint iura, de quibus obtinendis, recuperandisue alias vix cogitare licuiſſet.

* De quibus BOECLERVS in Notitia Imperii L. II. c. 4.

## CAP. II.

# DE REGNI GERMANIAE, IN SPECIE SIC DICTI, ORIGINE ET FINIBVS.

*De finibus Imperii quo ordine agendum. 1.*
*Antiqui fines ex deſcriptione Taciti. 2.*
*Mutationes ex migratione Germanorum. 5.*
*Populorum, ex quibus ortum Germaniae regnum, recenſio. 6.*
*Franci. 7.*
*Alemanni. 8.*
*Thuringi. 9.*
*Friſii. 10.*
*Saxones. 11.*
*Boioarii. 12.*
*Slauorum in Germaniam magnam immigrationes. 13.*
*Germanici populi in unam ciuitatem redacti. 14.*
*Qua formula? 15.*
*Regni Francici forma et modus habendi. 16. 17.*
*Fines eius ſub Carolo M. 18.*
*Ex eius diuiſione ortum Regnum Germaniae. 19.*
*Fines huius regni. 20.*
*Populi, qui eo continebantur. 21. ſeqq.*

*Id*

*Id ſeparatum a familia Caroli. 23.*
*Quod iure factum. 25. ſeqq.*
*Acceſſiones eius Sclauicae. 29.*
*An diſtinctio inter terras iuris Germanici et Sclauici locum habeat? 30.*
*Regni Germanici cum Imperio Romano vnitio. Forma tamen eius integra. 31. 32.*
*Regni Germaniae titulus. 33.*
*Finium mutatio. 34. Vbi imprimis de parte Heluetorum et Belgii foederati. 35. 36.*
*Finium verſus Daniam ſtatus. 37. 38.*
*De antiquo Imperii in Hungariam iure. 39. ſeq.*
*Poloniae Duces, vt Imperio olim obnoxii? 42. ſeq. Vbi in ſpecie de Sileſia. 44. 45.*
*De Pruſſiae priſco ad regnum Germaniae habitu. 46. ſeq.*
*Idem Liuoniae. 56.*

In disquiſitione de conſtituendis Imperii Romano-Germanici finibus, initium merito fit a regno Germaniae in ſpecie ſic dicto, quod regnorum Lotharingiae, et Burgundiae, aliarumque prouinciarum acceſſionibus creuit, vnitique ſibi Imperii Romani Maieſtatem, et decus hactenus ſuſtinet.

II. Germaniae non iidem ſemper fines fuerunt. Antiquorum rationem e Tacito praecipue petimus. Illius aeuo Germani, qui ad ſiniſtram Rheni ripam colebant, ſub Romanorum imperio degebant, eaque Germania, ex Romano more, in ſuperiorem et inferiorem, diuidebatur. Germania magna vero, ſeu libera, ad quam hoc loco praecipue reſpicimus, ad Occidentem Rheno terminabatur, ad Meridiem Danubio. Verſus Septentrionem et Orientem Germaniae nomen latiſſime profert Tacitus. Nam et Suiones, et vltra ſitas gentes, illi accenſet. Nec ad Ortum Germanos a Sar-

 matis

matis alio limite diſcernit, quam montibus et mutuo metu.

III. Germania haec magna nunquam Romanorum armis in formam prouinciae redacta fuit. Sed, quamuis bellis ſaepe attrita, libertatem tamen retinuit.

IV. Neque vnum antiquitus regnum fuit. Verum diuerſi, qui in illa degebant populi, cognati quidem ſanguine, ceterum autem liberi, ſuo quisque ingenio vixerunt; ac prout res ferret, vel foedus inuicem, vel bellum habuere *.

* Quod fuſius repraeſentaui in den Geſchichten der Teutſchen Lib. II. §. 34.

V. Propior itaque ad vſum eſt disquiſitio de finibus ab eo tempore, quo populi magnae Germaniae in vnam ciuitatem coaluere. Scilicet ingens exorta eſt, praecipue V. Seculo, rerum commutatio. Plures enim populi Germanici in Romanas Prouincias immigrarunt *: nonnulli etiam noua in illis regna condiderunt, vt Gothi, Vandali, Sueui, Burgundi, Langobardi, etc.

* Vid. Geſchichte der Teutſchen L. VIII. qui totus eſt de harum gentium migrationibus.

VI. In Germania autem eo tempore potiti ſunt rerum Franci, Alemanni, et reliqui Sueui, Bauari, Thuringi, Friſii, et Saxones. Horum nomine

nomine continebantur, quotquot veteres populi auitas ſedes retinuerant.

VII. Franci 1) ad inferiorem Rheni partem habitauere, donec vltra flumen progreſſi, Gallias, Chlodouei praecipue auſpiciis, in poteſtatem redegere. In iis Franci Salii 2), et Ripuarii, legibus etiam ſuis, maxime inclaruerunt.

1) De Origine Francorum vid. Geſchichte der Teutſchen V. 31.

2) De Saliis IBID. Lib. VI. 31. de lege Salica IBID. VIII. 45.

VIII. Alemanni *, qui ſuperiores ad Rhenum oras, et circa Moenum incoluerant, non minus ac Franci continuo fere cum Romanis bello clari, fracto illorum Imperio, Germaniam ſuperiorem, et Rhaetiae partem occupauerunt. Cum illis coaluere Sueui reliqui; ita vt vnum deinde ducem haberent, et Alemannorum, Sueuorumue nomine promiſcue vocarentur **.

* De Origine Alemannorum IBID. Lib. III. 19.

** De Sueuis, qui cum Alemannis coaluerunt, Lib. XI. 21. not. 1.

IX. Thuringorum * Regnum per terras Hermunduris quondam, Cattisque cultas vigebat.

* De Origine illorum IBID. IX. 30. De Regno autem Thuringorum P. II. Anm. 5 et 6.

X. Friſii, quorum prima ad Germanicum mare inter dextrum Rheni oſtium, et Amaſim

ſedes 1), late poſtea nomen vtrinque propagarunt, ita vt verſus Occidentem ad Scaldin vsque inualeſceret 2).

1) Vid. IBID. III. 14.

2) Haec diligenter explicuit MENSO ALTINGIVS in Antiquitatibus Germaniae inferioris.

XI. Saxones, in Cherſoneſo Cimbrica primum maritimis excurſionibus inclaruerunt. Vnde et in Britanniam mouerunt 1). Partim cis Albim ſe diffudere 2), diuiſi in Veſtfalos, Oſtfalos, et Angarios: vnde ducatus Saxoniae Angariae, et Veſtfaliae poſtea appellatus eſt.

1) Vid. Geſchichte der Teutſchen VI. 2.

2) Vid. IBID. IX. 2.

XII. Boioarii, qui hodie Bauari, fracto Romani Imperii limite per Noricum, et Rhaetiam ad Alpes vsque Tridentinas inualuere *.

* IBID. XII. 42. et Anmerkung 35.

XIII. Itaque dum Germani in Romanis prouinciis ſedem figunt, atque alii populi alio migrant, Slauicae Nationes eo facilius in vacuas, aut certe rarius habitatas, ſedes ſuccedunt: omnemque plagam Orientalem, et oram Balthici Maris implent *. Ex iis ante alios innotuerunt Moraui, Bohemi, Sorabi, Abotriti, Vilzi, etc.

* Vid. Geſchichte der Teutſchen VIII. 16. et P. II. Anmerk. 31.

XIV.

XIV. Quotquot vero in Germania magna remanſerant populi, a Francis tandem deuicti, et in vnam Rempublicam redacti ſunt, adeoque hinc demum communis ciuitatis, et iuris publici Germanici origines repeti debent.

XV. Alemanni quidem, Thuringi, Boioarii, Friſii, iam a Merouingis deuicti, et in poteſtatem redacti. Ita tamen, vt leges ſuas, quarum pleraeque ſuperſunt 1), et inſtituta: pars etiam, vt Alemanni, et Boioarii, duces ſuos retinerent. Carolus M. tandem Saxones quoque debellauit, totamque gentem An. 803. in fidem recepit, ea conditione, vt cum Francis vnus eſſent populus, ſed ſuis tamen moribus viuerent 2).

1) In HEROLDI, et LINDENBROGII Codice legum antiquarum Germanicarum.

2) Vid. EGINHARDVS in Vita Caroli M. Antiquus POETA SAXO:

> Tum ſub iudicibus, quos rex imponeret ipſis,
> Legatisque ſuis, permiſſi legibus vti
> Saxones patriis, et libertatis honore.

XVI. Regni Francorum forma, ab ipſo ortu, fuit Monarchica, ſed temperata populi auctoritate, ita, vt in publicis conuentibus res maioris momenti expedirentur.

XVII. Merouingi hereditario iure regnauerunt *. Sub Carolingis temperatum illud ali-

quantulum fuit, ſpecie aliqua electionis populo conceſſa †.

* Vid. Geſchichte der Teutſchen. XVI. 35.

† Vid. P. DANIEL in Praefatione ad Hiſtoriam Francicam.

XVIII. Regnum vero Francorum ad ſummam amplitudinem prouexit Carolus M. Is enim, praeter ea, quae in Italia, titulo Imperatoris Romanorum, Regisque Longobardorum habuit, Francici regni iure poſſedit, quicquid terrarum, ab Occidente Iberus in Hiſpania, a Septentrione Eidora, ab Ortu Albis, atque Sala in Germania claudebat. In limite Septentrionem et Orientem verſus Sclauicae nationes, Abotriti, Vilzi, Sorabi, Carentani etc.: nec non Hunnorum ſeu Auarum pars, in obſequio erant *.

* Iſtriam, Liburniam, et Dalmatiae partem mediterraneam Imperio Caroli M. paruiſſe, obſeruat ECCARDVS Rer. Francic. T. II. p. 70. et 166.

XIX. Regnum hoc Caroli M. inter filios Ludouici Pii ita diuidebatur, vt Lotharius, qui a patre Imperator appellatus fuerat, obtineret Italiam: Ludouicus Germaniam: Carolus Neuſtriam; quicquid vero terrarum ab altera parte Rhenus, ab altera Rhodanus, Moſa et Scaldis continet, adiiceretur Lothario.

XX. Atque tum primum Germania regni formula cenſeri coepit, quod plerumque Franciae Orien-

Orientalis, ſubinde etiam Teutonicum vocatum eſt. Terminus eius initio ad Occidentem fuit Rhenus, niſi quod vltra flumen Moguntia, Spira, et Wormatia cum pagis ſuis, relictae eſſent Ludouico: ad Septentrionem Eidora: ad Meridiem Alpes. Ad Orientem populi Sclavici, et Hunnici, Francis tributarii, latus claudebant.

XXI. Itaque in communione ciuitatis manſerunt, regnique Germaniae formula comprehenſi fuerunt pars Francorum, Alemanni, Boioarii, Friſiorum pars, Saxones et Thuringi.

XXII. Illud Germaniae regnum inter Ludouici Germanici filios diuiſum, ſub Carolo Craſſo iterum vnitum eſt.

XXIII. Germani denique, poſt Ludouici infantis obitum, regem extra Carolinam domum elegerunt Conradum I.

XXIV. Quo ipſo tamen forma Regni mutata non fuit *: Sed manſit idem ius regium, eadem tractandae Reipublicae ratio.

* Orti quidem ea occaſione inteſtini motus. Nam Lotharingi rebus nouis ſtuduere. Et Bauaros ab obſequio Arnulphus Dux diſtraxit. Sed Henricus I. et Lotharingiam aſſeruit, et Arnulphum ad officium adduxit.

XXV. Eodem autem iure, in eligendo Conrado vſi ſunt Germani, quo paullo ante Franci

Occi-

Occidentales, Itali, et Burgundi, alios ſibi Reges, neglecta Caroli ſtirpe, ſumſerant.

XXVI. Quin et Carolus Simplex, Franciae Occidentalis Rex, qui ex maſcula Caroli M. ſtirpe ſupererat, ſolusque contradicere forte potuiſſet, Henricum I. pro legitimo rege agnovit *.

* COMMENTAR. de Rebus Imperii I. 9.

XXVII. Ita orta ſunt ex Imperio Francico Carolino diſtincta regna, quorum nulli in ſpecie competebant omnia iura, quae Carolus M. habuerat.

Conf. HERTIVS in Notitia Regni Francorum veteris, cap. I. §. 28. ſeq.

XXVIII. Et proinde nec Gallis in Germaniam, neque Germanis in Galliam, quicquam ex iure Caroli M. praetendere licet.

XXIX. Populi Sclauici vero, qui in limite Regni Francorum habitabant, ac maieſtatem eius colebant, deinde partim in ius ciuitatis Germanicae recepti ſunt, vt Duces Bohemiae, Duces Pomeraniae *, et Principes Venedorum, ex quibus Mecklenburgici Duces genus trahunt. Partim ſubacti penitus, aut expulſi ſunt, coloniis Germanicis in eorum locum ſubſtitutis: vt in Marchia Brandenburgica, et Miſnica contigit.

* De Pomeranis teſtis eſt SAXO GRAMMATICVS. L. XVII. p. 375. *Fridericum I. An. 1181. Caſimirum et Boleslaum, Slauorum principes, in caſtris Lubecenſibus, datis ſolenniter vexillis, in numerum Principum Germaniae cooptauiſſe.*

XXX.

XXX. Equidem a nonnullis iuris publici ſcriptoribus propoſita eſt diſtinctio inter terras iuris Germanici, et iuris Sclauici: ſed nullo ad rempublicam vſu.

XXXI. Regnum Germaniae, ex quo Romanum cum illo Imperium vnitum fuerat, quod ab Ottonis I. temporibus deriuari debet, nomine quoque eius contineri ſolebat.

XXXII. Sed ſeparatam tamen formulam, Comitia legesque ſuas, et inſtituta retinuit *.

* Conf. HERM. CONRINGIVS *de Romano Germanorum Imperio.*

XXXIII. Denique Maximilianus I. titulum Germaniae, in ſolenni ſtylo curiae, iunxit Imperiali: quod ab eo tempore conſtanter ſeruatum eſt.

XXXIV. Ceterum primaeuos regni Germaniae fines, cum praeſenti illorum Statu comparaturus valde mutatos, et hinc auctos, inde imminutos deprehendit.

XXXV. Ita pars veteris Alemanniae inque illa vrbs et pagus Tigurinus, hodie confoederatis Heluetiae pagis accenſetur, de quorum exemtione infra agimus.

XXXVI. Maior Friſiae veteris pars, exemta Imperio, libertate inter confoederatas Belgii prouincias gaudet.

XXXVII. Verſus Septentrionem manet **Eidora** Germanici et Danici iuris limes. Namque Henricus Auceps vltra quidem regnum protulit, conditaque fuit Marca Slesuicenſis. Sed Conradus Salicus eam Danis reddidit: manſitque iuris Danici prouincia *.

* Id prolixius demonſtratum ab aula Danica, cum aliquando in cauſa, quae in Slesuicenſis ducatus ditione vertebatur, appellatum eſſet ad Cameram Imperialem. Vid. MARTINI CHEMNITII, Cancellarii Holſatici, Bericht von Gelegenheit und Unterſcheid der beyden Herzogthume Schleswig und Holſtein 2c.

XXXVIII. Equidem ab eo tempore Danorum reges coluiſſe quandoque Imperii Maieſtatem leguntur, in ſpecie Lotharii et Friderici I. temporibus. Sed ea obſequia partim ex perſonali foedere profecta ſunt, partim ad regnum potius Slauorum, quod aliquando Danici principes, beneficio Imperatorum, tenuerunt, quam ad ipſam Daniam videntur reſpexiſſe.

XXXIX. Quae in Pannonico limite, et Hunnia, ſeu Hunnorum regione, Regni Francici quondam iura fuerant, paulatim intercidere.

XL. Hungaria ipſa quidem Henrici III. tempore iterum Germanico Imperio ad tempus ſubiecta fuit *.

* Vid. Commentar. de Rebus Imperii V. 23.

XLI. Sed turbata ſub Henrico IV. Republica, plenam libertatem reſumſit, atque illibatam

ſerua-

ſeruauit. Ex quo Auſtriaci ea potiti ſunt, Imperio propugnaculi inſtar eſt aduerſus Turcas, a quibus et ipſa Germanicis opibus vindicata fuit *.

* Hinc An. 1566. poſtularunt Status Germaniae a Maximiliano II. vt Vngariam, tanto Germaniae impendio adverſus Turcas aſſertam, imperio adiiceret. Sed reſpondit, hanc operam alia ratione compenſandam. Vid. R. I. de An. 1566. §. über voriges haben uns ꝛc.

XLII. Verſus Orientem Polonorum Duces leguntur tributarii fuiſſe Regum Germaniae.

Diſſent. IO. SCHVLZIVS in Tr. de Polonia nunquam tributaria.

XLIII. Non tamen praeciſe, vt videtur, ratione ipſius Poloniae hodiernae: ſed ratione terrarum, quas inter Viſtulam atque Viadrum poſſederunt.

XLIV. Illi certe Principes Poloni, qui Sileſiam tenuerunt, cenſum ſoluiſſe Imperatoribus leguntur.

Carolus IV. in Diplomate, quo Sileſiam regno Bohemiae vnit, memorat *cenſum, quem Poloniae et Sileſiae Duces, Sacro Imperio ſoluere tenebantur.*

XLV. Hi autem poſtea ad Reges Bohemiae ſe conuerterunt, totamque Sileſiam, aeque ac Luſatiam, Carolus IV. Regno Bohemiae, conſenſu Electorum, in perpetuum Anno 1355. vniuit *.

* Vid. Diploma Caroli IV. apud GOLDASTVM de Regno Bohemiae, in Appendice n. XLIV.

XLVI.

XLVI. Nobilis porro in hac finium inueſtigatione eſt quaeſtio, de Pruſſiae et Liuoniae erga Germaniam habitu. Nos hic praecipua momenta, quibus iudicium de illa niti queat, attingimus.

XLVII. Vbi de Pruſſia quaeritur, primum ſeparanda eſt, quae ſaepe ſub communi Pruſſiae nomine comprehenditur, Pomerellia. Haec ad ſiniſtram Viſtulae ripam protenditur, et intra fines Germaniae ac ſub poteſtate Imperii omnino antea fuit. Vnde et auctoritate Imperatoris opus erat, cum Valdemarus, Marchio Brandenburgicus, eam Ordini Teutonico venderet *.

* Vid. Diplomata Henrici VII. alterum de Anno 1310. alterum de Anno 1311.

XLVIII. Pruſſi autem ipſi originarie ſui iuris fuerunt, nec Germanorum nec Polonorum regno obnoxii.

XLIX. Eos bello ſubegit Ordo Equitum Teutonicorum, inuitatus ad auxilium ferendum, a Conrado Maſouiae Duce. Ordo quidem Imperatorem tanquam patronum veneratus eſt. Diſputatum autem, itane in poteſtatem redegerit Pruſſiam, vt Imperio ſimul ſupremum in illam ius acquiſitum fuerit? In feudum certe eam non obtulit Imperio: neque ſub Maximiliano I. in Circulorum numerum referri paſſus eſt.

L. Cae-

L. Caeterum Status Pruſſiae prouinciales excuſſuri iugum Ordinis Teutonici, An. MCCCCLIV. ad Caſimirum IV. Poloniae Regem ſponte ſua, liberrimoque iudicio, ſe conuerterunt *.

* Vid. Abfall der Preuſſen von den Creuzherren, in der Pohlniſchen Bibliothek, P. IX.

LI. Poſt acre bellum pars Pruſſiae in Fide Polonorum manſit, pars Ordini Teutonico ſub conditione Feudi relicta eſt.

LII. Quod cum aegre ferret Ordo, nouum mox bellum, et noua tandem pax, inter Sigismundum Regem, et Albertum Marchionem, Ordinis hactenus Magiſtrum Anno 1525. Qua conuenit, vt pars Pruſſiae ſub Rege Poloniae maneret, reliquam Albertus in feudum haereditarium, Ducatus Pruſſiae titulo, a Rege acciperet.

LIII. Ordo autem nouo Magiſtro electo, Albertum in ius vocauit: decreta etiam a Camera Imperiali aduerſus ipſum proſcriptio, ſed nullo effectu.

LIV. Anno 1611. Ducatu Pruſſiae potitus Iohannes Sigismundus, Elector Brandenburgicus, et ſimultanea etiam inueſtitura fratribus conceſſa eſt. Deinde Fridericus Wilhelmus ſupremum ius in Ducatu, per pactum Velauienſe, An. 1657. a Polonis obtinuit. Et regium tandem nomen Anno 1701. ſibi aſſeruit filius eius Fridericus, quem Imperator Leopoldus pro rege agnouit *.

* Conuenerat ante hac de re inter Imperatorem et Fridericum; de quo foedere conf. LAMBERTI T. I. p. 381. et 382. Litteras Leopoldi gratulatorias ad nouum Regem, vid. IBIDEM p. 382.

LV. Nequicquam contradicebat Ordo Teutonicus 1), quamuis et Papa Clemens XI. omni ope noui Regni titulo obniteretur 2).

1) Exhibito An. 1702. in Comitiis grauamine. Contra calamum ſtrinxit Petrus von Hohenhard, in libro, cui titulus: Vertheidigtes Preuſſen.

2) Conf. Epiſtolas plurimas, quas in ea cauſa ad Principes Catholicos dedit.

LVI. Liuonia * quoque Seculo XII. frequentari Germanicis coloniis coeperat. Albertus poſtea, Liuoniae Epiſcopus, Ordinem militum Enſiferorum inſtituit, ad ſubigendos facilius populos, et tuendam religionem Chriſtianam. Haec autem militia Ordini Equitum Teutonicorum, ſub Magiſtro eius Hermanno de Salza, vnita fuit; atque ab eo tempore Magiſtrum ab iſto accepit.

* Conf. IO. DAN. GRVBERI Origines Liuoniae: et IO. HENR. BOECLERI Diſſ. de acquiſito et amiſſo Imperii in Liuoniam Iure.

LVII. Sed Walterus Plettenbergius, Equitum per Liuoniam Magiſter, a nexu illo ſeſe liberauit 1), atque tum inmediate Germanicae ciuitatis eſſe coepit Liuonia 2).

1) Conf. FRID. MENIVS in Prodrom. Hiſtorico Iuris Liuonici p. 12.

2) Equidem in REC. IMP. de Anno 1500. ſtatuitur, vrgendum eſſe, vt inueſtitura petatur de terris Liuonicis: Petitam tamen non conſtat.

LVIII.

LVIII. Archiepiſcopus Rigenſis, et Magiſter Ordinis per Liuoniam, in Comitiis ſuffragio gauiſi ſunt 1). Et Liuoni leges et iurisdictionem Imperii agnouerunt 2), locumque appellationi ad Cameram Imperialem dederunt 3). Vrbes quoque in Liuonia priuilegia ab Imperatoribus acceperunt.

1) Receſſui Imp. de Anno 1530. ſubſcripſere: Archiepiſcopus Rigenſis, Magiſter Ordinis in Liuonia, (der Teutſchmeiſter in Liefland) et Epiſcopus Curoniae.

2) Exempla vid. apud BOECLERVM l. c. p. 49. et 95.

3) Praeiudicium vide apud GYLMANNVM in Praeiudiciis Camerae Imperialis p. 31.

LIX. Poſtea ingruente bello Ruſſico, in diverſas partes diſtracta Liuonia, cum fruſtra auxilium Germaniae imploraſſet *. Vrbs Revalia, et Eſtlandia dediderunt ſe Regi Sueciae, cui protectionem Liuoniae Imperator Carolus V. demandauerat.

* Vid. REC. IMP. de Anno 1559. in quo cauſa Liuoniae tractatur §. 8-17.

LX. Reliqua Prouincia per pactum Vilnenſe Anno 1561. Sigismundo Auguſto, regnoque Poloniae, et magno ducatui Lithuaniae, in has conditiones ſe dedidit: primum vt praeſtaret Rex, ne mutatio haec ipſis apud Imperatorem et imperii Ordines, praecipue Magiſtrum Ordinis Teutonici, damno ſit: tum vt Curoniam, et Semgalliam, Gothardus Kettlerus, Ordinis

per Liuoniam Magiſter, Ducatus titulo in Feudum maſculinum a regno Poloniae teneret *: quae vltra Dunam ſita, ea regno Poloniae accederent.

* Is Anno 1562. III. Non. Martii, abdicato Ordine, a Radziuilio Dux appellatus: de quo conf. THVANVS Lib. 58. Iacobus Curlandiae Dux a Ferdinando III. titulum S. R. I. Principis obtinuit.

LXI. Equidem Maximilianus II. in pace Sedini Anno 1570. inter Suecos Danosque inita, iura Imperii in Reualiam, et Eſtlandiam adhuc tuitus eſt. Sueciae quoque Reges commendatam ſibi ab Imperio Liuoniae protectionem aliquoties agnouerunt. Ei in R. I. de Anno 1576. decreta ab Imperio ſolennis ad Moſchum legatio pro liberanda Liuonia, ſed nullo effectu.

LXII. Ita prouincia tum armis Suecorum et Polonorum aduerſus Ruſſos aſſerta fuit. Neque cum Poloni Anno 1582. et Sueci Anno 1595. cum iis pacem inirent, Imperii nomine quicquam actum. Neque in pace Oliuenſi, qua Poloni Suecis maiorem Liuoniae partem cedebant, licet adeſſent Leopoldi Auguſti legati, antiqui iuris mentio facta eſt *.

* Et tamen in Comitiis Anno 1653. Leopoldus Wilhelmus, Archidux Auſtriae, Magnus Ordinis Teutonici Magiſter, exhibito libello, conſilium et opem Imperii Ordinum ad recuperationem Pruſſiae ac Liuoniae petierat. Vid. PFANNERVS in Hiſtoria Comitiorum etc. L. V. §. 53.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## CAP. III.

# DE REGNI LOTHARINGIAE AD REGNVM GERMANIAE ACCESSIONE, ET DIVERSO PROVINCIARVM EIVS AD IMPERIVM HABITV HODIERNO *.

*Regni Lotharingiae ortus et fines. 1. ſeq.*
*A Germaniae regibus poſt Carolingos aſſertum. 4.*
*Modus vnionis Lotharingiae cum regno Germaniae. 5.*
*Partium eius diuerſus hodie ad Imperium habitus. 6.*
*Lotharingiae diuiſio. Superioris fines. 7.*
*De formula Ducatus Lotharingiae ſuperioris, ſeu Moſellanici. 8. Caroli V. cum Antonio Duce de ea transactio. 9.*
*De Ducatu Barri obiter. 10.*
*Feuda, quae Dux ab Imperio tenet. 11.*
*Tres Epiſcopatus Lotharingici Galliae ceſſi. 12.*
*Itemque Landgrauiatus Alſatiae. 13. 14.*
*Lotharingiae inferioris fines. 15. Partiumque eius diuerſus ad Germaniam habitus. 16.*
*De formula Ducatus Lotharingiae inferioris, ſeu Brabantiae. 17. Marchiae et ciuitatis Antuerpiae. 18. Ducatus Limburgici. 19. Comitatus Hannoniae. 21. Et Namurci. 22. Vrbis et ditionis Cameracenſis. 23. Flandriae Imperialis. 24. Ducatus Luxemburgi. 25. Ducatus Geldriae. 26. Comitatuum Hollandiae et Zeelandiae. 27. Ditionis Vltraiectinae. 28.*
*Nexus harum terrarum cum Imperio ſub domo Burgundica, et Auſtriaca. 29. Caroli V. compactata. 30.*
*Diminutio Circuli Burgundici: Pars Belgii in libertatem aſſerta. 31. Gallorum acquiſitiones. 32. Pars Geldriae Regi Pruſſiae conceſſa. 33.*
*Belgii Burgundici ad Imperium habitus. 34. ſeq. Poſſeſſio eius Auſtriacis aſſerta. 36.*

* De eo plenius egi in Diſſ. de Nexu Regni Lotharingiae cum Imperio Romano-Germanico.

 Quas

Quas in diuiſione imperii Carolingici, praeter Italiam terras cis Alpes acceperit Lotharius I. Imperator, capite praecedente indicatum eſt. Is inter tres filios regnum rurſus diuiſit: obtinuitque Ludouicus, qui inter Auguſtos ſecundus numeratur, Italiam: Lotharius iunior, quicquid terrarum a finibus Voſeſi, ad mare Germanicum vsque, inter Rhenum, Moſam atque Scaldin ſitum eſt, quae regiones ab eo Regnum Lotharii, et Lotharingia etiam, appellatae ſunt: Carolus, natu minimus, Prouinciam *.

* Vid. Diſſ. de Nexu Regni Lotharingiae etc. §. 2. 3.

II. Poſt Lotharii iunioris obitum, patrui Ludouicus Germaniae, et Carolus Neuſtriae rex, regnum eius, in conuentu ad Marsnam, aequis portionibus diuiſerunt. Sed filii Ludouici Balbi, totum reliquerunt Ludouico iuniori, Germanici filio, Franciae Orientalis Regi.

III. Arnulphus imperator illud filio naturali Zwentiboldo regendum conceſſit: ſed Lotharingi paullo poſt ad Ludouicum, Arnulphi filium legitimum, et in regno Germaniae ſucceſſorem, ſe conuerterunt.

IV. Eo defuncto fluctuauerunt aliquandiu inter Franciae Orientalis, et Occidentalis Reges, donec Henricus I. eos regno ſuo aſſereret 1). Quod ius Otto M. et ſucceſſores aduerſus Neuſtriae

ſtriae reges armis, pactisque tuiti ſunt. Vt adeo Germanorum Principum poſſeſſio titulis omnibus nitatur, quibus conſtitui imperia, terrarumque dominia poſſunt 2).

1) Vid. COMMENTAR. de Rebus Imper. I. 13. et 14.
2) IBID. III. 5.

V. Quod vero ad modum formulamque coniunctionis attinet, quanquam initio reges et Imperatores titulum *Lothariorum* ſeorſim expreſſerint, conſtat tamen, tam arcte vnitas fuiſſe haſce prouincias Germaniae, vt vnum demum regnum cenſerentur *.

* Vid. Diſſert. de Nexu Regni Lotharingiae etc. §. 7.

VI. Caeterum mutata ſenſim rerum facie, non permanſit idem Statuum Lotharingiae ad Imperium habitus. Alii ſunt penitus in ciuitate Germanica: vt Archiepiſcopatus Colonienſis, et Treuirenſis, Ducatus Iuliaci, Cliuiae etc. Alii peculiaribus pactis modum obſequio, quo imperium colerent, poſuere, vt prouinciae, quae in Burgundicum Circulum relatae fuerunt. Alii, excuſſo penitus obſequio, plena libertate fruuntur, vt pars foederati Belgii. Alii aeque auulſi ab Imperii compage, in alienam poteſtatem peruenerunt. Quae iam diſtinctim explicabimus.

VII. Diuiſa Lotharingia in ſuperiorem et inferiorem, vtque facilius in obſequio contine-

 retur,

retur, duplex Ducatus inſtitutus fuit *. Lotharingia ſuperior terras inter Rhenum et Moſellam, atque inde ad Moſam ſitas complectebatur. Vnde Ducatus ille Moſellanicus paſſim appellatur.

* COMMENTAR. de Rebus Imper. II. 21.

VIII. Ducatus hic Moſellanicus antiquum Lotharingiae nomen ſeruauit: quamuis non ea, qua olim fuit, amplitudine. Duces ipſi quondam in Feudum eum ab Imperio tenuerunt.

IX. Sed Ferdinandus I. Rex Romanorum Anno 1542. in Comitiis Noribergae, fratris Caroli V. et ſuo nomine, cum Antonio Duce, transegit, ac Ducatum Lotharingiae pro libero Ducatu certis Conditionibus agnouit, et ſub protectionem Imperii recepit *.

* Vid. Reichs-Archiv. P. Sp. Contin. II. Fortſ. 3. p. 299.

X. De Ducatu Barri, vtrum Germaniae, an Galliae Feudum ſit, acriter Chifletius 1), et Blondellus 2) diſputarunt. Sed Reges Galliae in poſſeſſione vel quaſi directi dominii fuerunt. Et nunc quidem vtriusque Ducatus conditio penitus mutata 3).

1) In Commentario Lotharienſi.

2) Vid. Ei. Barrum Campano - Francicum.

3) Scilicet vterque Ducatus in Ius Gallicum transſcriptus, et Duci Lotharingiae Magnus Ducatus in Etruria conceſſus.

XI.

XI. Praeterea Duci alia aliquot Imperii feuda manebant, eorumque ratione locus in Comitiis adſignatus, nimirum Marchionatus Pontis Moncionis, Comitatus de Blanckenberg, Marchionatus Hattonis Caſtri etc. *.

* Vid. litteras inueſtiturae Rudolphi II. de An. 1609. etc. conf. Diſſ. de Nexu Regni Lotharingiae §. XII.

XII. Iam ante per ſuperiorem Lotharingiam protulerat limitem Gallus, vrbesque Verdunum, Metim, Tullum, in poteſtatem redegerat. Eas Imperium vna cum ipſorum Epiſcopatuum diſtrictibus, et ſupremo quidem iure, in pace Monaſterienſi ceſſit, reſeruato iure Metropolitano Archiepiſcopi Treuirenſis *.

* Vid. INSTRVMENTVM Pacis Caeſareo-Gallicae cap. XI. §. 70.

XIII. Alſatiam quoque tenet, quae et ipſa pars Lotharingiae ſuperioris fuerat, ad Ducatum Sueuiae deinde translata 1). Scilicet eadem pace Galliae Regi ceſſus fuit ab Imperio, et domo Auſtriaca, (cuius antiqua haec erat poſſeſſio) Landgrauiatus ſuperioris et inferioris Alſatiae, et Praefectura X. ciuitatum Imperialium, per Alſatiam ſitarum 2). Sed mox Ludouicus XIV. ipſas quoque has ciuitates penitus in poteſtatem redegit.

1) Vid. OBRECHTI Prodrom. Rerum Alſat. cap. IX. §. 79.

2) IBID. cap. XI. §. 73. et ſeq.

XIV. Vrbem Argentoratum denique occupauit Anno 1681. et acribus ſtudiis fruſtra repetitam, in Pace Ryſuicenſi retinuit.

XV. Lotharingia inferior a confluentibus Rheni et Moſellae, inter Rhenum et Moſam, ac porro Scaldin, ad mare vsque excurrebat.

XVI. Partium eius haud minus diuerſa hodie ad imperium eſt relatio. Nonnullae quidem in ciuitate Germanica manſerunt; pleraeque ſub Burgundicae, et poſtea Auſtriacae domus auſpiciis coniunctae, et ſub complexu Circuli Burgundici, velut de nouo ſociatae Imperio, in varias iterum mutationes inciderunt.

XVII. Ducatus ipſe poſt varios Duces, qui omnes Imperatorum, Regumque Romanorum maieſtatem coluerunt, ad Godfridum Barbatum, Comitem Louanii, beneficio Henrici V. peruenit, ac penes poſteros eius permanſit. Illa gens, cum in Bracbatenſi pago ampliſſimos fundos haberet, Henricus III. Dux, Brabantiam Ducali titulo inſeruit, atque ab eo tempore Duces Lotharingiae et Brabantiae vocati ſunt.

XVIII. Vnita eſt huic Ducatui, et velut pars Brabantiae habetur Marchia Antwerpiae: antiquum et ipſa Imperii Feudum *.

* Vid. Diſſert. cit. §. XXVII.

XIX.

XIX. Item Ducatus Limburgi, qui ſub confeſſione iuris Imperii ad Brabantinos peruenit *.

* IBID. §. XXV.

XX. Burgundiae Duces, Brabantiae Ducatu potiti, Imperii iura in illum agnouerunt 1). Equidem diſputatum fuit, integerne Ducatus feudum eſſet Imperii, an tantum quaedam partes eius? Sed ita res temperata, vt in literis inueſtiturae declararet Imperator, concedere ſe, *quicquid in Ducatibus Lotharici, Brabantiae, Limburgi etc. (a S. R. I. in feudum mouetur 2)*.

1) Vid. IBIDEM §. XXIII.

2) IBIDEM §. XXIV.

XXI. Comites Hannoniae coluerunt Maieſtatem Imperii: tam ipſius Hannoniae intuitu, quam intuitu comitatus Valentianarum.

XXII. Namurci quoque Comitatus Feudum Imperii fuit. Guilielmus omiſſum aliquandiu clientelae ſacramentum Carolo IV. renouauit *.

* Vid. IBIDEM §. 28.

XXIII. Cameracum vrbs, cum vicino agro, Imperialis iuris fuit. Nam et Epiſcopi Regalia ab Imperatoribus acceperunt: et praefecturam vrbis, et arcis, reges Hiſpaniae beneficio Imperii habue-

habuerunt *, donec Gallis in Pace Neomagenſi Cameracum relinquerent.

* IBIDEM §. XXXI.

XXIV. Flandria vna cum comitatu Arteſiae, vtpote trans Scaldin ſitae, ad Franciam Occidentalem olim ſpectabant, erantque Feuda coronae Gallicae. Comes Flandriae tamen in regno Lotharingico ab Imperatoribus Germanicis tenuit comitatum Aloſtae, terram de Vaas, et quatuor Praefecturarum: quae ideo Flandria Imperialis vocata eſt *.

* Vid. Diſſertat. cit. §. XXXII.

XXV. Luxemburgum 1) clariſſimae quondam in Imperio familiae ſedes, ſub Feudi conditione a Carolo IV. Ducatus titulum obtinuit 2), ac denique ad Philippum Burgundum, vna cum Comitatu Chiniaco (*Chyni*) peruenit.

1) Si ſitum regionis ſpectes, ad Lotharingiam potius ſuperiorem referenda erit. Huc vero eam retuli, quoniam cum reliquis Lotharingiae inferioris partibus, quae in Burgundicae domus poteſtatem venerunt, eadem formula continetur.

2) Vid. Diſſ. cit. §. XXVII.

XXVI. Neque Geldriae Ducatus (quam dignitatem a Ludouico Bauaro Imperatore obtinuit) alia conditione, quam Feudali, ad domum Burgundicam peruenit. Fridericus III. Carolum Ducem, Maximilianus filium ſuum Philippum, de eo inueſtiuit.

XXVII.

XXVII. Hollandiae * et Seelandiea comitatus, partes et ipſi regni Lotharingiae. Ad indicia ſupremi Imperatorum iuris referas actus, quos Albertus I. et Ludouicus Bauarus, circa ordinandam in comitatibus ſucceſſionem, exercuere.

* De Ortu Comitatus Hollandiae v. COMMENTAR. de Rebus Imperii IV. 12.

XXVIII. Vltraiectinus Epiſcopatus a Regibus Francorum fundatus, ſuperioritatem Regni Germanici agnouit, vt tot priuilegia ab Imperatoribus impetrata, per totam ſeriem Epiſcoporum teſtantur. Henricus Epiſcopus, quod hoſtilem Geldri Principis vim ſuſtinere non poſſet, Anno 1528. Carolo V. Imperatori, tanquam Duci Brabantiae, et Comiti Hollandiae, territorium Epiſcopatus ceſſit, ſola iurisdictione ſacra ſibi, et ſucceſſoribus, reſeruata 1). Inde factum, vt Dominium Traiectenſe, et Trans-Iſulanum recenſeatur in litteris inueſtiturae, quas Imperator Philippo II. de Belgicis prouinciis dedit 2).

1) Vid. tabulas in AVB. MIRAEI Donationibus Belgicis Lib. II. cap. 135.

2) Vid. formulam in PETR. STOCKMANNI Deciſion. I.

XXIX. Regiones hae Lotharingiae inferioris in ditionem Ducum Burgundiae, non vno titulo, peruenerunt. Et Duces quidem inſigni libertate in iis regendis fruiti ſunt, ſed ſaluis tamen Imperii iuribus. Itaque Maximilianum I. quo impe-

imperante velut noua regni compages adornata eſt, rogarunt Status, vt vrgeret filium Philippum, terrarum, quas ex Burgundica haereditate obtinebat, nomine, debitam imperio fidem praeſtare. Idem Imperator Anno 1512. Circulum Burgundicum inſtituit.

XXX. Circulus ille poſtmodum a Carolo V. in Comitiis Auguſtanis Anno 1548. velut de nouo conſtitutus eſt, adiectis etiam Flandriae et Arteſiae Comitatibus. Inita tum de nexu eius cum Imperio ſingularis conuentio, cuius haec ſunt praecipua capita: vt omnes iſtae prouinciae retinerent priſcam conditionem, ſiue Feuda Imperii fuiſſent, ſiue liberi Principatus, eſſentque omnes ſub cuſtodia, conſervatione, et auxilio Imperii: locum illarum nomine in Comitiis haberent ſucceſſores ſui: partemque tributorum ferrent, et eorum ratione ſubeſſent iurisdictioni Camerae Imperialis, caeterum ab ea omnino exemti: Incolae pacem publicam obſeruare tenerentur, ſed qui contra fecerit, coram magiſtratu ſuo tantum conueniretur *.

* Plura de hac transactione ad effectum deducta vid. in Diſſertatione de Nexu Regni Lotharingiae §. XXXV.

XXXI. Sed facies rerum in Circulo Burgundico, etiam quoad has Lotharingiae partes, valde mutata eſt. Ex illarum enim numero in libertatem ſe vindicauerunt Hollandia et Seelandia,

dia, cum parte Geldriae, comitatuque Zutphaniae, et ditione Vltraiectina, quae vna cum reliquis tribus prouinciis, Friſia, Groeningana, et Transſulana, clariſſimam foederati Belgii Rempublicam conſtituunt: impetrata poſt acerrimum bellum in pace Monaſterienſi Anno 1648. ab ipſo Hiſpaniae Rege libertatis ſuae confeſſione. Quam et Ferdinandus III. Imperator probauit.

XXXII. Magnam quoque partem ex Belgio Hiſpanico decerpſit Rex Galliae, et per pacificationem Pyrenaeam, Aquisgranenſem, Neomagenſem etc. retinuit: eamque ſupremo iure poſſidet.

XXXIII. Pars Geldriae, quae in obſequio Hiſpani manſerat, Regi Pruſſiae in pace Vltraiectina * relicta, eaque ceſſio, in pace Badenſi confirmata fuit.

* Occaſio illam petendi nata ex ſucceſſibus bellicis Anni 1706. Vid. LAMBERTVS T. IV. p. 332. ſeq.

XXXIV. Reliquae vero prouinciae Burgundo-Auſtriacae, adhuc eo ſunt erga Imperium habitu, qui in conuentione Auguſtana Anno. 1548. declaratus, et in Pace Monaſterienſi Caeſareo-Gallica * denuo confirmatus fuit.

* INSTRVM. Pacis Caeſareo-Gallicae Monaſterienſis cap. 3. *Circulus quidem Burgundicus ſit maneatque membrum Imperii, poſt controuerſias inter Galliam, Hiſpaniamque ſopitas, hac pacificatione comprehenſus. Bellis tamen in eo iam vertentibus, nec Imperator, nec vllus Imperii Status ſe immiſceat. In futurum vero, ſi inter*

*inter regna controuerſiae oriantur, firma ſemper maneat inter vniuerſum Imperium, et Reges, regnumque Galliae, de mutuis hoſtibus non iuuandis, ſupra dictae reciprocae obligationis neceſſitas; ſingulis tamen Statibus liberum ſit, huic illiue regno, extra Imperii limites, ſuppetias ferre, non tamen aliter, quam ſecundum Imperii Conſtitutiones.*

XXXV. Itaque et locum in comitiis habet Burgundica Legatio: et Imperium viciſſim defenſionem Circuli eius, cum Gallorum armis inuaderetur, ad ſuam curam pertinere exiſtimauit *.

* Conf. Kaiſerliche Reſolution, daß dem Burgundiſchen Creyſe, als einem vornehmen membro Imperii die begehrte Guarantie von Reichs wegen, wider Frankreichs feindliche Gewalt zu leiſten ſey. de An. 1674.

XXXVI. Aſſertae ex ſucceſſione Hiſpanica prouinciae illae fuerunt Imperatori Carolo VI. Auſtriaco. Qui cum Rege Magnae Britanniae, et Belgis foederatis, pro ſecuritate limitis illius, ſingularem conuentionem iniit *.

* Foedus hoc (*Traité de la Barrière des Païs-Bas* etc.) concluſum eſt Antuerpiae An. 1715.

CAP.

## CAP. IV.

# DE REGNI BVRGVNDIAE CVM REGNO GERMANIAE CONIVNCTIONE *.

*Regni Prouinciae ſ. Arelatenſis origo. 1.*
*Item Iurani ſ. Burgundiae noui. 2.*
*Vtriusque coniunctio. 3. 4.*
*Regnum Burgundiae vnitum Germaniae a Conrado Salico. 5. ſeq.*
*Modus vnionis. 7.*
*Fines regni. 8.*
*Nexus huius conſeruatio. 9. ſeq.*
*Solutum regni Burgundici Syſtema. 14.*
*In Gallorum poteſtatem vt venerit Lugdunum? 15.*
*Delphinatus? 16.*
*Comitatus Prouinciae? 17.*
*Quo titulo ſupremum dominium poſſideant reges? 18. ſeq.*
*De comitatu Aueniouenſi et Venaſcino. 20.*
*Porro Galli tenent Breſſiam. 21.*
*Principatum Arauſionenſem. 22.*
*Comitatum Burgundiae. 23. ſeq.*
*Exemti pars Heluetorum, foederatorumque. 27. ſeq.*
*Vbi in ſpecie de principatu Noui Caſtri. 32.*
*Gradus libertatis Helueticae. 33.*
*De reliquiis eius regni, vbi de Ducatu Sabaudiae. 34. ſeq. Epiſcopatu Baſileenſi, et Comitatu Montis Beligardi. 37. 38.*

* De illo fuſius egi in Diſſertatione de Nexu Regni Burgundici cum Imperio Romano-Germanico.

Poſt obitum Ludouici Balbi, Franciae Occidentalis Regis, regnum in Prouincia molitus eſt Boſo 1), quod filius eius Ludouicus, auctore primum Carolo Craſſo, mox et Arnulpho Imperatore, iure poſſidere coepit 2).

 1) Vid.

1) Vid. Acta Conuentus Mantalenſis in quo Boſo rex appellatus eſt, apud A. du CHESNE T. II. p. 480.
2) Vid. Acta conuentus Valentini, in quo Ludouicus rex appellatus l. c. p. 350. Fines regni huius ſingulari Diſſertatione deſcripſit R. P. PLANCHETVS: *Sur l' Etendüe du ſecond Royaume de Provence, dit le Royaume de Boſon, formé des Debris de l' ancien Royaume de Bourgogne.*

II. Non multo poſt in ſumma rerum perturbatione, quae poſt Caroli Craſſi obitum exorta eſt, Rudolphus in Burgundia cis Iuram regium nomen ſumſit, et regnum Burgundiae nouum, quod paſſim Iuranum vocatur, condidit.

III. Sub huius filio Rudolpho II. vtrumque regnum Prouinciae, et Burgundiae coniunctum fuit *.

* Vid. COMMENTAR. de Reb. Imperii I. 21.

IV. Vnde apud Scriptores modo Prouinciae, modo Burgundiae, aut ab vrbibus regiis modo Viennae, modo Arelatenſe regnum vocatur.

V. Ad Germaniae regnum acceſſit poſt obitum Rudolphi III. (qui Anno 1032. obiit,) ex pacto eius cum Conrado II. Salico, qui illud aduerſus Ottonem, Campaniae Comitem, armis aſſeruit *.

* Vid. COMMENTAR. de Reb. Imperii V. 8.

VI. Neque enim familiae ſaltem ſuae acquiſiuit Conradus, ſed regno: Adeoque extincta domo Salica, Burgundi nihilominus Germanicis Imperatoribus paruerunt.

VII.

VII. Ita vero Burgundiae regnum vnitum fuit Imperio, vt tamen multa propriae formae veſtigia retineret 1): ſcilicet coronationem 2), Palatium, Archiofficiales, leges et conſuetudines proprias.

1) Vid. Diſſ. de Nexu Regni Burgundiae Sect. II. §. VI. ſeq.

2) Coronatos in Burgundiae regno praeter Conradum Salicum, et Henricum III. legimus Fridericum I. Philippum, Fridericum II. Carolum IV.

VIII. Finium eius, cum Imperio vniretur, hae forte notae fuerint 1). Ad occaſum a reliqua Gallia Rhodanus diuiſit, ex quo Arari permiſtus fluit. Nam infra etiam vltra Rhodanum patuere 2). Ortum verſus in Heluetorum pagos vsque ad Arolam, et Vrſam, quae Burgundos ab Alemanniae ducatu diuiſit, excurrerunt. Verſus Septentrionem ad Vogeſi ſaltus confinia, atque inde ad vrbem Baſileam flexerunt. Verſus meridiem mare, et Alpes Cottiae, Graiae, et Penninae claudebant. Quae clarius apparebunt ex recenſione partium huius Regni, quam ſtatim ſubiicimus.

1) Vid. Diſſ. de Nexu Regni Burgundiae etc. Sect. I. 15. ſeq. Item COMMENTAR. de Reb. Imperii V. 9.

2) Ducatum Burgundiae falſo a nonnullis ad hoc Regnum paſſim referri, notaui in Diſſ. citata §. 17.

IX. Nexus inter Germaniam Burgundiamque a Friderico I. inſtauratus *, durauit non modo vsque ad Friderici II. tempora;

* Ab obitu Henrici III. videtur auctoritas Regia in Burgundis aliquantiſper labefactata fuiſſe. Notari meretur formula in tabulis ab Hermingarde, Regina, Rudolphi vidua, An. 1057. confectis: *eodem anno, quo mortuus eſt Henricus ſecundus Imperator*, REGE BVRGVNDIAE DEFICIENTE, apud GOLLVTIVM Mem. de Bourg. p. 287.

X. Sed a Rudolpho quoque Habsburgico aſſertus fuit, vt pax publica per Burgundiam ſancita, atque edita in comitatus Prouinciae ac Burgundiae, et Delphinum Viennae, Regii iuris documenta, teſtantur.

XI. Et quanquam deinde maiorem indies libertatem ſibi ſumerent Burgundiae Status, Imperatores tamen ſupremi in illos iuris actus ſubinde exercuerunt.

XII. Carolus IV. adhuc coronatus eſt Burgundiae Rex, Arelate Anno 1365. atque multa alia ſupremi iuris documenta edidit *.

* Conf. IACOBVS BOVIS in Libr. *la Royale Couronne des Roys d'Arles.* (Avignon. 1640. 4.)

XIII. Sigismundus etiam reliquias iuris regii tuitus eſt, et de inſtauranda vi et auctoritate Regni cogitauit *.

* Varia Principum huius regni a Caroli IV. tempore, edita erga Imperium officii teſtimonia, notaui in *Diſſert. cit.* Sect. II. §. 5.

XIV. Sed denique ſub Friderico III. cum Ludouicus XI. in Galliis regnaret, ac domus Burgundica ad inuidioſam ipſis imperatoribus potentiam

tentiam creuiſſet, iam ſic male cohaerens regni Burgundici compages penitus conuulſa, et prouinciae in diuerſas partes diſtractae. Pars alios nunc dominos habet, pars libertate fruitur, vix vna alteraue Germanico Imperio ſupereſt.

XV. Vrbs et ager Lugdunenſis in protectionem primum Regis Galliae *, mox in plenum obſequium conceſſit.

* Vid. tabulas pacti inter Archiepiſcopum, et Regem Philippum de An. 1307. apud LEIBNITIVM in Codice Iuris Gentium Diplomatico P. I. n. 29. p. 49.

XVI. Delphinatum, quae regio ſub Delphinis vltimae ſtirpis inſigniter amplificata fuerat, Humbertus Delphinus in Regiam Gallicam domum transtulit. In tabulis Anno 1343. de ea re confectis, vtraque pars cauit, fieri id *ſaluo Imperii iure* 1). Neque derogatum huic conditioni in nouioribus tabulis Anno 1349. conſcriptis 2), cum prouinciam Carolo de Francia reipſa traderet: quae acta Carolus IV. Imperator probauit 3).

1) Vid. tabulas *dans l'hiſtoire de Dauphiné* P. II. p. 452. (editionis Genev. de An. 1722.)

2) Vid. IBIDEM p. 601.

3) Vid. Diſſ. de Nexu Regni Burgundiae etc. Sect. II. §. 3. et 4.

XVII. Comitatum Prouinciae, clientelae vinculo Imperio innexum 1), Ludouicus XI. ac-

 cepit

cepit ex teſtamento Caroli Andegauenſis, comitis Prouinciae, et titularis Siciliae regis 2).

1) Raymundus Comes Friderico I. homagium praeſtitit. Vid. Diploma apud PETRVM DE MARCA de Marca Hiſpanica p. 1331. Feudi etiam titulo ad Siciliae reges peruenerat, a quibus profectum ius familiae Andegauenſis ſecundae.

2) Vid. *Preuves et Obſervations ſur les memoires de* COMMINES p. 215.

XVIII. Equidem Galliae Reges ſine titulo dominium directum harum Prouinciarum poſſident. Neque enim, ceſſionem eius ab Imperio factam, doceri poteſt †.

† Quippe ficta ſunt, quae de ceſſione Alberti I. et Henrici VII. vulgo feruntur, vt latius oſtendi in Diſſ. de Nexu Regni Burgundiae Sect. III. §. 2. 3. 4. Id vero prorſus inſolens videbitur etiam Gallicae gentis ſcriptoribus, quod *Abbas* de *Camps*, vt altius ſapere videretur, quam doctiſſimus Deſcriptionis Franciae * Auctor, aſſeruit: nempe *penes Reges Francorum Occidentalium ſemper fuiſſe ſupremum, et directum dominium prouinciarum Regni huius Burgundici; Imperatores et Reges Romanorum a Conrado Salico, vsque ad Conradum IV. gauiſos tantum fuiſſe dominio vtili, et quidem iure familiae, non imperii.* Inſerta eſt haec eius Diſſertatio Mercurio Pariſienſi m. Aprili An. 1723. hoc titulo: *de la Souveraineté de la Couronne de France ſur les Royaumes de Bourgogne Transiurane et d' Arles:* par M. de CAMPS, *Abbé* de SIGNY.

* Titulus operis eſt: *Deſcription Hiſtorique et Geographique de la France ancienne et moderne.* Auctorem conſtat eſſe V. C. Abbatem *de* LONGVERVE.

XIX. Adeoque Carolus V. inſtitit, vt vetus clientelae nexus ratione Prouinciae, et Delphinatus renouaretur *.

* Ca-

* Carolus V. inter tractatus de pace Madritenſi inſtitit, vt inueſtitura Comitatus Prouinciae peteretur: de quo vid. PVTEANVS in Tr. *touchant les droits des Rois tres Chretiens* etc. p. 342. Idem An. 1536. ſuo ad Aulam Gallicam legato in mandatis dedit, vt iura Imperii in Delphinatum vrgeret. Vid. CHIFLETIVS in Vindiciis Hiſpanicis p. 125.

XX. Neque praeſcriptio allegari poteſt. Imperatores enim in capitulationibus promittunt operam dare, vt bona ac iura Imperii alienata, et partim ad exteros deuoluta, recuperent: quo ipſo omnis praeſumtio animi derelinquendi, quae fundamentum eſt praeſcriptionis, eliditur *.

* Vid. Diſſ. de Nexu Regni Burgundiae etc. Sect. III. §. 5.

XXI. Praeterea Breſſiam, ac Bugiacum, (quam regionem Amadeum II. Sabaudiae Comitem, ab Imperatore Henrico IV. accepiſſe ſcribunt) Rex Galliae, Duci Sabaudiae ademit, ac pace Lugduni Anno 1605. ſancita, retinuit *.

* Conf. *Hiſtoire de la Conqueſte des pays de Breſſe*, etc. *par le Sr.* de la COPELLINIERE.

XXII. Arauſionenſem ditionem, itidem intra fines regni, ſitam, plena libertate poſſederunt Principes ſui. Nunc eam quoque tenet Rex Galliae, inque illum Rex Pruſſiae, tanquam haeres domus Arauſionenſis, in pace Vltraiectina, gentilitium ius tranſcripſit *.

* Vid. art. X. Pacis Vltraiectinae Gallo - Pruſſicae: in Actis Pacis Vltraiectinae T. III. p. 341. 342.

XXIII. Comitatus Burgundiae, cuius comites PALATINI titulo vſi leguntur, pars quondam Circuli Burgundici, pace Neomagenſi ab Hiſpaniae Rege Gallis relictus eſt *.

* Vid. INSTRVMENTVM Pacis Gallo-Hiſpanicae art. 11. et 12. Tum quidem Legatos Imperatoris, de ſeruando ſupremo Imperii in Comitatum iure, proteſtatos, ſcribit PVFENDORFFIVS de Rebus Frider. Wilhelmi L. XVI.

XXIV. Ita ſimul auulſus ab Imperio Archiepiſcopatus Veſontinus.

XXV. Itemque ciuitas Veſontio, quae locum habuerat inter ciuitates liberas Imperii, donec poſt pacem Veſtfalicam cum omni ſuperioritate addiceretur Regi Hiſpaniae, tanquam Burgundiae Comiti.

XXVI. Comitatum Auenionis, et Venecenſem, Ioanna Regina Siciliae, et Comes Prouinciae, Anno 1348. vendidit Papae, Clementi VI. quam venditionem confirmauit Carolus IV. * Pontifex ſupremo iure vtrumque Comitatum tenet.

* Vid. Inſtrumenta apud BZOVIVM ad h. a. n. 10. 11.

XXVII. Aliae Prouinciae ciuitatesque in libertatem ſe aſſeruerunt: et ab illo tempore partim Helueticae R. P. pars ſunt, vt ciuitas pagusque Baſileenſis et Solodurenſis.

XXVIII. Et maior pars pagi Bernenſis.

XXIX

XXIX. Subiectaque eidem ditio Epiſcopi Lauſannae, et Comitatus Vallenſis.

XXX. Partim in foedere cum Heluetis agunt, vt prouincia Valeſiae, in qua praecipua eſt Epiſcopi Sedunenſis auctoritas.

XXXI. Et Colonia Allobrogum.

XXXII. Itemque Principatus Noui - Caſtri, cum comitatu Vallengini. Is hodie ſupremo iure poſſidetur a Rege Pruſſiae: quem concilium prouinciae Anno 1707. d. 3. Nouembris verum haeredem declarauerat *.

* Vid. LAMBERT. T. IV. p. 539.

XXXIII. Quantum ad hos, et reliquos Helvetorum pagos attinet, declaratum eſt in pace Veſtfalica *, *ciuitatem Baſileenſem, et ceteros Heluetiorum Cantones eſſe in poſſeſſione vel quaſi plenae libertatis et exemtionis ab imperio: ac nullatenus eiusdem imperii dicaſteriis, et iudiciis ſubiectos.*

* Vid. INSTRVM. Pacis Oſnabrugenſe Art. VI. et Monaſterienſe cap. 5. Add. Acta betreffend Gemeiner Eydgenoſſenſchaft Exemtion etc. de An. 1651. f.

XXXIV. Pauca itaque ex illo regno, in Iure Germanico durauerunt: nempe Ducatus Sabaudiae *, ab Imperatore Sigismundo inſtitutus **.

* De Origine Comitum Sabaudiae vid. COMMENT. de Reb. Imper. V. 8.

** Amadeum VIII. ducem appellauit Camberiaci An. 1416. Caeterum tam notà Sabaudiae ad Imperium relatio, vt minime opus ſit refutare PVRPVRA

TVM, qui Ducem Sabaudiae non ſubeſſe Imperatori ſcribere auſus eſt, in *rubr. ff. de iurisdict. n. 20.* apud MENOCHIVM P. I. Conſilior. p. 104.

XXXV. Itemque Ducatus Caballienſis, qui partem Antuatium complectitur, cuius caput Neuidunum, ſiue Colonia equeſtris, hodie Thonon. Is quoque vna cum Ducatu Auguſtae, aliisque nonnullis feudis Burgundicis, Imperialibus inueſtituris continetur *.

* In Litteris Inueſtiturae ab Imp. Ferdinando II. An. 1632. Duci Victori Amadeo datae, praeter Ducatus Sabaudiae, Chablaſii, *et* Auguſtae, nominantur *Comitatus Geneuenſis, et Baugiaci, Baroniae Vacaudi, Faucigniani, et Gaii, Dominia Niciae, et Breſſiae, Marchionatus Oneliae* etc.

XXXVI. Dux Sabaudiae Comitiis in Germania ſaepe per legatos interfuit, et decretis illorum ſubſcripſit *.

* Vid. Subſcriptiones Receſſuum de An. 1542. 1551. 1559. 1566. 1570. 1576. 1582. 1594. 1598. 1613. et 1654.

XXXVII. Durauit etiam in Ciuitate Germanica, et Iure Comitiorum fruitur Epiſcopatus Baſileenſis.

XXXVIII. Et Comitatus Montis Beliardi; antiqua Domus Wirtenbergiae poſſeſſio *.

* Ex hac partium Burgundicarum recenſione melius conſtabit de finibus Regni, ſupra §. VIII. deſignatis. Quis iam non agnoſcit temeritatem Virorum doctorum, qui ipſum Regnum ad fabulas pene referunt. HADR. VALESIVS *imaginarium* vocat. DAVID BLONDELLVS iura regni *fumos* appellat, ac ideo Carolum IV. quem Regem Arelate coronatum ſupra notauimus, vt *fumiſitibundum* traducit.

CAP.

## CAP. V.

# DE ITALIAE CVM GERMANIA NEXV.

*Diuerſa Imperii Romani, et Regni Italiae notio.* 1.
*Imperii Romani renouati formula.* 2.
*Territorium eius proprium: vbi de ſupremo quondam Imperii in vrbem Romam iure.* 4. *ſeq.*
*A Carolo M. familiae quaeſitum:* 7. *Ab Ottone I. Germaniae.* 8.
*Poſſeſſio Papae: vbi de donationibus Conſtantini, Pipini, Ludouici Pii etc.* 9. *ſeq.*
*De reliquiis iuris Imperialis in terris Status Eccleſiaſtici.* 13. 14. *Vbi et de Comitatu Comaclii.* 15.
*De formula regni Italici.* 16. *ſeq. Iura eius ſeruata in Tuſcia.* 21. *In ſpecie in vrbem Florentinam:* 22. *item Piſarum.* 23. *Carolus V. iura haec inſtaurauit: Familiae Mediceae titulus:* 24. *Definitus ab Imperatore modus ſuccedendi.* 25. *Senae ſubfeudum Imperii.* 26.
*De Titulo Magni Ducis Etruriae.* 27. *Ius Imperii in Magnum Ducatum aſſertum.* 28. *ſeq.*
*Ius Imperii in ciuitatem Lucam.* 30.
*Alia Imperii per Etruriam feuda.* 31.
*Ius Imperii in Ducatum Mediolani.* 32. *ſeqq.*
*- - - In Ducatum Parmae et Placentiae.* 36. *ſeqq.*
*- - - Mutinae et Regii.* 47.
*- - - Mirandulae.* 48.
*- - - Mantuae.* 49. *ſeqq.*
*- - - Montisferrati.* 52. *ſeqq.*
*Vbi de Ducis Lotharingiae in eum praetenſione.* 55.
*Ius in Principatum Pedimontiae etc.* 56. *Vbi de Vicariatu Domus Sabaudicae.* 57.
*Genuae erga Imperium habitus.* 58. *ſeq. Vbi de dominio maris Liguſtici.* 60. *Et Marchionatu Finariae* 62.
*Feuda Imperii minora per Italiam: vbi de Feudis Langarum.* 63.
*Venetorum libertas.* 64. *Dominium illorum continentis ex partibus Regni Italiae creuit.* 65. *ſeq.*
*In Campaniam, Apuliam etc. antiquum Imperii ius.* 68. *Origo dominii directi ſedis Romanae in Regnum Neapolitanum.* 70.
*Titulus Regalis in Sardinia ab Imperatore.* 72.
*Modus vnionis Italiae cum Germania.* 73. *ſeq.*
*Imperialis, regaliſque iuris per Italiam modus.* 76. *ſq.*

Iura

Iura, quae Imperatori hodie in Italia competunt, vel ex titulo Imperii Romani, vel ex titulo Regni Italiae, etſi id cum Imperio deinde coaluit, proprias origines trahunt.

II. Imperii Romani hodierni forma et iura non debent ex formula veteris Imperii aeſtimari 1): neque gratia eſt immodico quorundam affectui, qui, ex eo principio, veteris Romae in prouincias quondam ſuas 2), nominatimque in Galliam 3), et Hiſpaniam iura, immo imperium aliquod orbis 4), Imperatoribus tribuunt.

1) De formula Imperii Romani ANDR. ALCIATVS, IAC. VINCENTIVS GRAVINA, aliique.

2) Locum hic habet monitum H. GROTII de I. B. et Pacis L. II. c. XXII. §. 13. *Ne in omnia quidem, quae olim fuere populi Romani, Imperator Romanus ius nunc habet. Multa enim, vt bello quaeſita, ita bello amiſſa ſunt. Alia pactionibus, alia derelictione in aliarum gentium aut regum iura tranſierunt.*

3) Galliam ſubiectam imperio pronuntiabat Bonifacius VIII. Papa, ſed nimium quantum infenſus Philippo Regi, in oratione, quam Romae, an. 1303. pro confirmando Alberto, Rege Romanorum, habuit, quamque edidit STEPH. BALVZIVS in Additionibus ad PETRI de MARCA de *Concord. Sacerd. et Imp.* P. I. Lib. II. §. 3.

4) Ita olim BVLGARVS aſſentabatur Friderico I. In eundem ſenſum BALDVS, et plurimi eius ſcholae ſcripſerunt, quos ſequitur FRANC. ZOANNETTVS Anteceſſor Ingolſtadienſis in Tr. *de Romano Imperio*, n. 144. et ſeq. Sed hodie non metuas Bartoli minas ad l. 24. *de captiv. et poſtl. rev: Et forte ſi quis diceret Dominum Imperatorem non eſſe Dominum et Monarcham totius orbis, eſſet haereticus: quia diceret contra determinationem eccleſiae.*

III

III. Reſtitutum fuit in Occidente nomen Imperii a Carolo M. Illum Papa Leo V. ex voluntate procerum, et populi Romani, Auguſtum appellauit, et coronauit Romae Anno 800. Principes etiam Orientis Irene, Nicephorus, Michaël, Imperatorem agnouerunt.

IV. Ad nouum hoc Imperium proprie ſpectabat vrbs Roma, cum Ducatu Romano, et prouinciis, quae ante Exarcho Rauennati paruerant, hodieque Sabinae, Romaniolae, et Marcae Anconitanae etc. nomine veniunt. Eas Carolus iam ante a Longobardis vindicauerat, tituloque PATRICII contentus, ſummam in iis poteſtatem retinuerat.

V.* Quantum vero ad vrbem Romam praecipue attinet, Imperatores ipſo iure Imperii ſupremum in ea dominium habuiſſe, probat iurisdictio ab illis in vrbe exercita 1), fides incolarum ſacramento adſtricta 2), nummique titulo Imperatoris Romae ſignati 3).

1) Vid. e. g. Leges a Lothario Aug. An. 823. in vrbe latas, apud BALVZIVM P. II. *Capitularium.*

2) Vid. e. g. formulam ſacramenti, quod Romae, tempore Eugenii Papae, Ludouico et Lothario AVGG. dictum. Formulam iurisiurandi quod Arnulpho Imperatori praeſtiterunt vid. in Ann. Fuldenſibus ad An. 895. in FREHERI Scriptoribus Rerum Germanic. T. I. p. 66. Friderico I. vt iuratum Romae narrat GODEFRIED. COLONIENSIS ad An. 1167.

3) Hoc argumentum imprimis vrget le BLANC in Diſſertat. de monetis Regum Franciae. Sed illi oppoſuit

VIGNO-

VIGNOLVS Lib. de Denariis Pontificum Romanorum.

V. [b] Probant et aliae obſequii teſtificationes, quae non niſi Dominis praeſtari ſolent. Ita moris fuit, vexillum vrbis ingredienti Principi exhibere. Ipſi Pontifices per annos Imperii bullas ſuas ſignauerunt *, et diu ſeruata eſt in precibus in Vrbe formula, *pro Imperatore noſtro.*

* Pontifices caracteres chronologicos in bullis ſuis diu ſumſerunt ab annis Imperatorum, quibus poſtea et annos pontificatus ſui addiderunt. Qui mos ad Seculum XI. durauit. *Sed tum*, inquit MABILLONIVS, de Re diplomat. Lib. II. cap. 25. p. 23. et 181. *omiſſis paulatim Imperatorum annis, ſuos ſubſtituerunt Pontifices, maxime a Gregorio VII. poſtquam ob inueſtituras Imperatorum nomen illis odioſum eſſe coepit.*

VI. Quin et priſca Imperatorum circa electionem, et confirmationem Papae auctoritas *, ex ipſo hoc imperii iure primum exorta eſt.

* De ea vid. EBERH. OTTONIS Diſſ. *de Iure Imperatoris circa electionem Pontificis Romani.* Conf. Geſchichte der Teutſchen, P. II. Obſeru. 17.

VII. Carolus M. id Imperium Francis, et ſuae maxime familiae quaeſiuit:

VIII. Otto M. Germaniae aſſeruit *: et ſucceſſores ſubinde fortiter vindicarunt **. Inde orta apellatio *Imperii Romani Nationis Teutonicae.*

* Vid. COMMENTAR. de Rebus Imperii II. 24.

** Meretur in eam rem legi SIGONII Liber VIII. de Regno

Regno Italiae, cuius argumentum ipſe ita deſignat. *Italici, qui illuſtres duos, Regni Imperiique titulos, ad exteros rurſus eſſe translatos, pro inſita animi magnitudine, acerbe ferebant, vt tribus regnantibus Ottonibus multa pro antiquo decore repetendo mouerunt, ſic Henrico, Conrado, et Henrico II. ſubinde rerum potientibus prorſus nunquam quieuerunt. Ceterum quemadmodum rebus nouis ſtudentes, ab his quoque, quos dixi, Regibus, virtute, opibusque compreſſi ſunt, hoc libro narrare pergemus.*

IX. Equidem vrbem Romam *, et pleraſque noui Imperii ditiones (aeque ac Spoletum et Beneuentum, Langobardici quondam Regni portiones) tenent hodie Pontifices Romani.

* Sed illa iam diu ante deſierat ſedes Imperii eſſe, valueratque illud HERODIANI Lib. I. cap. 6. *Ibi eſt Roma, vbi Imperator.*

X. Tuentur poſſeſſionem ſuam titulo donationis ab Imperatoribus et Regibus Romanorum factae. Equidem Conſtantini M. donationem nemo hodie allegauerit *.

* Vid. LAVRENTII VALLAE de falſo credita, et ementita Conſtantini donatione declamatio. Contra Vallam tamen propugnare eam auſus eſt AVGVSTINVS STEVCHVS; itemque IACOBVS GRETSERVS.

XI. Nec Pipini donatio, qua omnem ditionem Exarchatus datam Papae Romano iactitant, probari poteſt. Tabulae quoque donationis Ludouici Pii, quae ad Annum 817. referuntur, quarumque auctoritas adhuc in nuperis controverſiis de Ducatu Parmae et Placentiae allegata

fuit,

ſuit, niſi ſuppoſititiae, certe interpolatae ſunt *.

* De eius fide dubitarunt MABILLONIVS L. II. c. 3. et BALVZIVS in Miſcellaneis T. II. p. 1104. PAGIVS vero in Critica ad Annales BARONII ad An. 817. aeque commentitiam pronuntiauit ac Conſtantinianam. Idem data opera demonſtrauit auctor, qui de Iuribus Imperii in terras Status Eccleſiaſtici commentatus eſt.

XII. Sed magis fauere videtur diploma Friderici II. quo partem terrarum Comitiſſae Mathildis, de quibus inter Principes atque Pontifices Romanos diu diſceptatum fuerat, ſedi Romanae Anno 1220. conceſſit *: et maxime donatio Rudolphi Habsburgici, quam et ſecuti Imperatores confirmarunt.

* Vid. in LVNIGII Codice Italiae Dipl. T. II. p. 718.

XIII. Vtrum vero Imperatores ſupremo iure, in terras, quas donauere, ſe rite abdicauerint, acriter aliquoties diſputatum fuit *. Verum et hoc iam dudum fruitur curia Romana.

* Conf. AVCTOR Libri de Iure Imperii in Statum Eccleſiaſticum.

XIV. Superſunt certe Feuda quaedam Imperii in iſtis regionibus: et D. Leopoldus, tabulis Romae publice affixis *, omnes Vaſallos, ad petendam inueſtituram euocauit.

* Vid. apud LVNIGIVM l. c. T. I. p. 222.

XV.

XV. Inter illa et Comitatus Comacli *, armis a D. Ioſepho aſſertus fuit. De eo Imp. Carolus VI. cum Papa Innocentio XIII. tranſegit.

* Scripta mutua in hac controuerſia pleraque coniunctim recuſa ſunt in Germania An. 1713.

XVI. Imperio huic Romano penitus vnitum eſt regnum Italiae ſ. Longobardicum *, licet peculiaris formulae veſtigia quoad coronationem, et alia quaedam iura retinuerit.

* De fundatione Regni Longobardorum in Italia vid. Geſchichte der Teutſchen XIV. 6. et Anmerkung p. 145.

XVII. Carolus M. id victo Deſiderio, in poteſtatem redegit. Sed priſcam Regni formam, et leges ac inſtituta reliquit. Vnde et Rex Langobardorum, non ſecus ac Francorum, dici voluit.

XVIII. Otto M. illud vna cum Imperio Romano in ſpecie ſic dicto, Germaniae vniuit: duratque ab eo tempore nexus inter populos perpetuis olim bellis commiſſos: auſpicatus vtrique, ſi ſapienter illo vtuntur.

XIX. Diu viguit in Italia terra marique, Regni maieſtas, donec Friderici II. et Conradi IV. caſibus quateretur. Ab eo tempore dum Italia Guelphorum et Gibellinorum factionibus exagitatur, laxari quidem paululum obſequii vincula, Statusque maiori frui libertate coeperunt.

XX. Neque tamen ſoluta fuit ipſa Regni compages *, vti tot in Italicis hiſtoriis memorata, et tabulis publicis conſignata imperialis, regalisque poteſtatis documenta teſtantur. Quin adhuc Italiae Status, paucis exceptis, Imperii maieſtatem colunt: plurimi etiam feudali vinculo inſuper obligantur. Quod iam per partes eundo, diſtinctius docebimus.

* Quod vult SIGONIVS de Regno Italiae L. XX. et plures alii.

XXI. In Tuſcia * olim Marchiones, et ipſi Vaſalli Imperii, rerum potiti ſunt. Eorum poteſtate ſublata, ciuitates immediate ad Regnum pertinuerunt, et maxima incrementa habuere.

* Hoc argumentum copioſius tractaui in Diſſertatione de Iure Imperii in Magnum Ducatum Etruriae. Eruditam in eodem argumento operam nauarunt V. CL. NICOL. HIERON. GVNDLINGIVS, SIM. FRIDERICVS HAHNIVS, FRIDERICVS LVDOVICVS a BERGER.

XXII. Ante alias extulit ſe Florentia opibus, et fortitudine ac ingenio ciuium, ſubnixa priuilegiis Imperatorum, praeſertim Caroli IV. Ruperti, et Maximiliani I.

XXIII. Piſae aequo ſemper animo ſupremum regni ius agnouerunt: vsque ad illud tempus, quo Florentini vrbem in ſuam ditionem redegerunt.

XXIV. In-

XXIV. Inſtaurauit Regium Ius per Hetruriam Carolus V. Is Florentinos Anno 1530. ad obſequium reduxit, ac ordinata Republica, Alexandrum Mediceum principem ciuitatis eſſe iuſſit.

XXV. Eo deinde occiſo, Cosmo Mediceo, eiusque heredibus legitimis maſculis, principatum largitus eſt, qua conceſſione ius Mediceae domus fundatum fuit, aeque ac ipſe ſuccedendi modus.

XXVI. Vrbem ditionemque Senarum Carolus V. Titulo Vicariatus Imperii, Philippo II. filio, atque is iterum Cosmo, Florentino Duci, in feudum conceſſit.

XXVII. Titulum Magni Ducis cum Cosmus a Pio V. accepiſſet, contradixit Maximilianus II. nec ratus fuit ille, donec ab ipſo Imperatore tribueretur.

XXVIII. Quanquam ergo Medicei ſuperioritate territoriali, qualem indoles Imperii Germanici fert, gauderent; manebat tamen Imperio priſtinum ius, quod in Florentinam et Piſanam ditionem habuerat, et praecipue facultas ordinandi ſucceſſionem, vbi ſtirps maſcula Cosmi deficeret.

XXIX. [a] Itaque in foedere Londinenſi (*vulgo quadruplici*) Art. V. conuenit: *vt Status, ſeu Ducatus, a Magno Duce Hetruriae, Parmaeque*

 *et*

*et Placentiae Duce, modo poſſeſſi, futuris in perpetuum temporibus, ab omnibus partibus contrahantibus habeantur pro indubitatis S. R. I. feudis maſculinis:* vtque in caſu aperturae, filius Regis Hiſpaniarum Philippi V. ex Eliſabetha Farneſia, in dictis prouinciis ſuccedat. In quod Status Imperii quoque conſenſerunt. Idque repetitum in Pace inter S. Caeſ. Maieſtatem et Philippum, Hiſpaniae Regem Anno 1725. inita.

XXIX. [b] Sed aliter euenerunt haec deſtinata, per rerum, quae conſecuta eſt in Italia, conuerſionem, et Magnus Hetruriae Ducatus conceſſus eſt Duci Lotharingiae, nunc Imperatori, feliciter regnanti. Qui et mortuo An. 1737. Io. Gaſtone, vltimo ſtirpis Mediceae, poſſeſſionem adiit.

XXX. Ciuitas Luca, Ducum Tuſciae olim ſedes, deinde vt aliae in Hetruria vrbes, immediate ſubiecta Imperio, ſuis legibus vixit. Ludouicus Bauarus Anno 1328. vrbem cum vicino agro in Ducatum conuertit 1), ac Caſtrucium Ducem appellauit 2). Sed vrbis ab eo tempore variis agitatae procellis ſtatum, Carolus IV. Anno 1369. in melius mutauit. Nam Senatores, (ipſi *Anzianos* vocant) ſuos et Imperii Vicarios declarauit, et de Territorio, quod Vrbi tum confirmatum fuit, inueſtiuit: adiecitque facultatem cudendae monetae, et erigendae Academiae, atque alia inſignia priuilegia; quibus omnibus noua adminiſtrandae ciuitatis forma inducta eſt.

eſt 3). Eadem priuilegia Maximilianus I. An. 1509. in caſtris ad Patauium confirmauit 4). Patet vero ex ipſis hiſce priuilegiis, non ſublata tum in reliquis etiam Imperatorum iura. Quibus ante aliquot annos Imp. Aug. Carolus VI. Iurisdictionem ſuam ſundabat 5).

1) Vid. Diploma in LEIBNITII Cod. Iuris Gent. Diplomat. n. 65. p. 130.

2) Vid. Diploma IBIDEM n. 64.

3) Vid. Diplomata Caroli IV. et formulam homagii, quo Lucenſes fidem Carolo, et ſucceſſoribus eius adſtrinxere ap. LVNIGIVM in Codice Italiae Diplomatico P. II. p. 223. Haec libertatis Lucenſis initia, hanc eius indolem vnus omnium optime repraeſentat TVCCIVS Rerum Lucenſium Scriptor grauis et diſertus Lib. VI. ad An. 1369. Quem librum nondum typis editum, cum ex Bibliotheca ILLVSTRISSIMI MAECENATIS ad manus habeam, locum ipſum, quo auctor conceſſam ab Imperatore libertatem deſcribit, integrum huc transferre viſum eſt, quantumuis alias breuitati ſtudeamus. *L' Imperatore adunque, con tutto che aveſſe diſegnato di fermarſi in Lucca piu' lungo tempo, parte richiamato in Germania dalle occorrenze del Imperio, e parte pregato, e ſollecitato dal Pontefice, e da i Fiorentini, che, ſecondo l' Ammirato, offerſero danari a' Luchesi per tema del Viſconti, prontiſſimo a ſborſarne a Ceſare quanti ne voleva per avere il Dominio di Lucca, finalmente l' Imperatore ſi riduſſe a' confermare ſolennemente la Grazia della Libertà già conceduta, e poi apparecchiarſi alla partita. Par la qual coſa alli II. di Giugno 1369. chiamato il Magiſtrato degli Anziani nella Chieſa di S. Michele, e dato ordine a quanto era neceſſario, quivi in abito Imperiale, con la Corona in Teſta, ſi transferi con ſolenne pompa, mandandoſi innanzi immediatamente, doppo li altri Perſonaggi, Gio. Vintembergh ſuo Coppiero, Bolislao di Vuillart ſuo Mareſciallo, e Benettio Duca di Camerino, Vicegerenti in quel Atto*

 *dei*

*dei Principi elettori Temporali. Il maggior dei quali poſto in mezzo, rappreſentante il duca di Saſſonia, portava il Stocco Imperiale. Il ſecondo a man deſtra rappreſentante il Conte Palatino, portava il pomo rottondo. Il terzo a mano ſiniſtra rappreſentante il Marcheſe di Brandenburgo portava lo ſcettro. Quivi S. Maeſtà, doppo la Meſſa ſolenne celebrata dal Patriarca, conceſſe legitimamente, o più toſto confermò alla preſenza del Cardinal di Porto, del Veſcovo di Spira, di Lucca, di Trento, e di Spoleto, e di molti Principi, con nobiliſſima Ceremonia a i Luccheſi il Privileggio della Libertà, et in oltre con autorità Imperiale, creava particolarmente gli Anziani ſuoi Vicarii nella Città di Lucca, con l' aggiunta di molte altre Grazie, delle quali commandò che foſſerò ſpediti, ſiccome furone ſotto il medeſimo giorno, quattro diverſi authentici Iſtromenti.*

*Il primo Iſtromento fù della Conceſſione della Libertà, e della libera Giurisdittione conceſſa agli Anziani, e Popolo di Lucca, non ſolo nella Citta, ma in tutto lo Stato, che fino a quel tempo haveſſero goduto, ordinando che in eſſo foſſero nominatamente eſpreſſi tutti i Luoghi di eſſo ſtato, dei quali intendeva inveſtirgli. Queſti furono etc.*

*Il ſecondo Iſtromento fù il Privileggio della Facoltà conceſſa al maggior' Anziano, che poco doppoi comminciò a chiamarſi Confaloniero di Giuſticia, ſiccome anche oggi ſi chiama, di poter creare Notari, Cavallieri, legitimar naturali, authenticare Addottioni, Emancipationi, reſtituere in integrum etc.*

*Il terzo Iſtromento di poter conſtituirè nella medeſima Città uno ſtudio publico, con autorità di addottorare qualunque ſcienza.*

*Il quarto di poter far battère moneta d' argento, e d' oro, e di qualunque altro metallo in quelle forme, e d' quel Cugno, che a' loro più piaceſſe.*

4) Vid. Diploma, quale ex Archiuo R. P. Lucenſis depromtum eſt ap. LVNIGIVM l. c. P. II. p. 2226.

5) Vid. Acta in LVNIGII Cod. Ital. P. II. p. 2243.

XXXI. Dy-

XXXI. Dynaſtias quoque Plombini, Telamonis, Portus Herculis, et alia plura Imperii per Hetruriam Feuda paſſim commemorari videas.

XXXII. Ducatus Mediolanenſis, a Venceslao Rege Romanorum inſtitutus, qui Io. Galeacium Anno 1395. Ducem Mediolani appellauit *.

* Vid. Tabulas datas Anno 1395. d. 11. Maii ap. LVNIGIVM P.I. p. 426.

XXXIII. Ducatum, extincta Anno 1447. in Philippo Maria, Vicecomitum gente, Franciſcus Sfortia armis quidem aſſeruit. Neque tamen in dubium vocauit dominium Imperii directum: ſed inueſtituram a Friderico III. petiit; quanquam de conditionibus non conuenerit. Ludouicus Morus Sfortia inueſtituram impetrauit Anno 1494. a Maximiliano. Atque ipſe Ludouicus XII. Galliae Rex, qui ius auiae Valentinae, Io. Galeacii Vicecomitis filiae, prae ſe ferens, Ducatum armis in poteſtatem redegerat, ab eodem Maximiliano, Hagenoae Anno 1505. inueſtitus fuit.

XXXIV. Carolus V. autem poſt Franc. Sfortiae obitum, tanquam Feudum Imperio apertum, Philippo filio dedit: penes cuius poſteros eadem conditione manſit, ac cum reliquis Hiſpanicae hereditatis partibus, ad Imperatorem Auguſtum Carolum VI. reuocatus eſt.

XXXV. Fines tamen eius valde acciſi ſunt: Heluetis, Rhaetis 1), Venetis, denique et Sabaudo 2), ciuitates et agri ceſſi.

1) Vallem Tellinam, Maximilianus Sfortia, Rhaetis foederatis donauit: 1512.

2) Vid. Inueſtituram de Anno 1708. ap. LVNIGIVM l. c. p. 967. Per Pacem Viennenſem Art. 8. diſtrictum etiam Nouarenſem, et Tortonenſem accepit.

XXXVI. Vrbes Parma et Placentia, aeque ac reliquae Regni Longobardiae ciuitates, Imperatoribus Germanicis primum immediate ſubiectae fuerunt 1): ab iis praefectos acceperunt, variisque priuilegiis ornatae ſunt 2).

1) Vti et Comprehenduntur pace, quam Conſtantiae Fridericus I. cum vrbibus Longobardicis iniit.

2) Equidem tempore Ludouici Bauari, quo factiones Guelphorum paſſim in Italia praeualebant, Placentia, et Parma in poteſtatem Papae Iohannis XXII. venerunt. Sed nullo idoneo titulo. Ex mox Vicecomites Mediolani, fideles Imperio, iis potiti ſunt.

XXXVII. Poſtea, ſub titulo Ducatus Mediolanenſis comprehenſae, a Vice-Comitibus poſſeſſae ſunt; atque nominatim recenſentur in tabulis inueſtiturae a Venceslao, et Sigismundo datis.

XXXVIII. Eodem titulo a Sfortiis poſſeſſae, in poteſtatem quoque Ludouici XII. Regis Galliae, cum is vniuerſum Ducatum armis occupaſſet, venerunt.

XXXIX.

XXXIX. Gallis vero Anno 1512. Italia pulſis, occupatae fuerunt a Iulio II. Pontifice Maximo, qui ad firmandam dominationem iactabat, eas, ex antiquis Imperatorum donationibus, pertinere ad ius eccleſiae Romanae. Sed ſtatim contradixit Maximilianus Imperator *.

* Conf. FRANC. GVICCIARDINI Hiſtor. Ital. Lib. XI.

XL. Et reuera in Ducum poteſtatem rediere. Donec Leo X. inito Anno 1521. cum Imperatore Carolo V. foedere, obtineret, vt permitterentur eccleſiae *in ea Cauſa, qua Iulius Pontifex habuiſſet.*

XLI. Verum ille iuſtam cauſam non habuerat, et Carolus V. identidem teſtatus eſt, ſe nec perpetuum aliquod ius dare Leoni voluiſſe, nec inconſultis electoribus potuiſſe.

XLII. Paulus III. filio Petr. Aloyſio Farneſio vtramque vrbem titulo Ducatus, 1545. ſub annuo IXM. aureorum cenſu in feudum dedit.

XLIII. Sed Imperator Carolus V. contradicendo, ius Imperii in vtramque ditionem ſibi et ſucceſſoribus ſeruauit: cumque Anno 1556. Octauio duci, genero, Placentiam redderet, inter conditiones fuit, vt *Imperio, et Romanae Sedi ſaluae manerent rationes, quas haberent in Parmenſi ditione* *.

* Vid. THVANVS Lib. XVII. ad Annum 1556.

XLIV. Haec Controuerſia Anno 1707. iterum agitari coepit, cum Commiſſarii exercitus Caeſarei, ex Parmae et Placentiae Ducatu contributiones militares exegiſſent. Et in pace quidem An. 1709. cum Papa inita, conuenit, vt res in eodem ſtatu maneret.

XLV. Sed in foedere quadruplici ius Imperii in hunc Ducatum, aeque ac in Hetruriam aſſertum 1); quamuis illi conuentioni proteſtationem opponeret Curia Romana 2).

1) Vid. ſupra §. 29. a.

2) Pro iure Sedis Romanae exſtat: *Hiſtoria ſummi Imperii Apoſtolicae Sedis in Ducatum Parmae ac Placentiae*, Rom. 1721. ex Italico verſa. Item *Diſſertazione, ſopra la natura, et qualità delle città di Piacenza, e Parma*: f. quae et Gallice verſa prodiit ſub titulo: *Diſſertation Hiſtorique ſur les Duchez de Parme et de Plaiſance 1722.* 4. Pro iure Imperii: Zari Parma et Placentia Imperialis, et Ivsti Henningii Boehmeri *Vindiciae Imperiales pro Parmae et Placentiae Ducatibus.*

XLVI. Tum quidem ducatus deſtinabatur Carolo, Hiſpaniae Infanti. Iam ſignatum ab Imperatore diploma inueſtiturae euentualis, iamque in Italiam profectus erat Carolus Infans, poſt Antonii, vltimi Farneſiorum, obitum. Sed per bellum, Anno 1733. in Italia quoque exortum, mutata fuit rerum facies, adeoque Parmae et Placentiae Ducatus Imperatori Carolo VI. Auſtriaco obtigit *.

* Per Pacem Aquisgranenſem An. 1748. ceſſus eſt Philippo, Infanti Hiſpaniae.

XLVII. Mutina et Regium Lepidi, cum in ditionem Ateſtinae gentis veniſſent, Fridericus III. Bor-

Borſium, Mutinae et Regii Ducem, comitemque Rhodigii creauit, ſub cenſu annuo 4000. aureorum, in Feſto Aſcenſionis Chriſti ſoluendorum *.

* Vid. Diploma in LVNIGII Cod. Ital. P. II. p. 1639.

XLVIII. Ducatum Mirandulae Imp. Leopoldus, Franc. Mariae Pico ob feloniam ademit *.

* Vid. Tabulas ap. LVNIGIVM l. c. P. I. p. 1793. ſ. et P. II. p. 2351. Quae contra pro iure Domus PICAE Collegio Electorali Anno 1711. repraeſentata ſunt, vid. ap. Perill. Auctorem der gegenwärtigen Verfaſſung der Kaiſerl. Regierung in App. p. 534.

XLIX. Ducatus Mantuae a prima inſtitutione ſua in feudali erga Imperium nexu perdurauit. Itaque proſcripto ob feloniam Duce Ferdinando Carolo, Anno 1708. ad Domini directi poteſtatem recidit.

L. Retentusque eſt ab Imperatore Carolo VI. Auſtriaco, quanquam Dux Guaſtallae, vtpote proximus agnatus, eum ſibi deberi contendat *.

* Statum cauſae ſiſtit, additis ſcriptis aliquot, quae in ea prodiere, modo laudatus Auctor der gegenwärtigen Verfaſſung der Kaiſerlichen Regierung in Teutſchland, in App. p. 480. et ſeq.

LI. Guaſtalla, Nouellaria, Bozulum, Sablonetta, Caſtilioneum, quae minoribus natu principibus, e domo Gonzaga, titulos quondam dederunt, itidem Feuda ſunt Imperii.

LII.

LII. Regio Montisferrati olim proprios Marchiones habuit, quorum ſtirps maſcula cum in Io. Georgio Palaeologo defeciſſet, orta inter Duces Sabaudiae, et Mantuae de ſucceſſione controuerſia *, Carolus V. Anno 1537. eam adiudicauit Mantuano. Ducatus titulum impertiuit Maximilianus II.

* Pro Sabaudo ſcripſit IAC. MENOCHIVS Vol. I. Reſp. 1. Is negat Marchiam Montisferrati feudum fuiſſe Imperii.

LIII. Cum poſt mortem Vincentii Ducis, Sabaudus antiquum ius aduerſus Carolum Niuernenſem denuo vrgeret, pace Ratisbonae Anno 1630. facta, conuenit, vt Trinum cum diſtrictu terrarum, qui 15000. aureos quotannis referret, acciperet, quod et in pace Cheraſcenſi Anno 1631. et denique in pace Monaſterienſi Caeſareo-Gallica * Anno 1648. confirmatum fuit.

* Cap. 13.

LIV. Proſcripto vero Ferdinando Carolo Gonzaga, totus Montisferrati Ducatus Sabaudiae Duci in feudum datus eſt: et inueſtitura Viennae Anno 1708. peracta *.

* Vid. Tabulas Inueſtiturae ap. LVNIGIVM l. c. P. I. p. 963.

LV. Duci autem Lotharingiae, qui ex duplici capite eam regionem ſibi aſſerebat, quod aliunde ſatisfieri deberet, ſpes facta *.

* Vid.

* Vid. Libellum Legati Lotharingici Collegio Electorali Anno 1711. exhibitum, in der gegenwärtigen Verfaſſung etc. in Append. p. 532.

LVI. Principatus Pedimontii, nec non Marchionatus Seguſienſis, et Eporedienſis, inclita, vetuſtate, etiam ſua, imperii feuda, in Sabaudica Domo durauerunt 1). Carolus V. Comitatum Aſtenſem 2), et Marchionatum Ceuae addidit.

1) Vid. Inueſtitura Imp. Sigismundi, Amadeo VIII. primo Saubaudiae Duci data, ap. LVNIGIVM l. c. p. 687. Conf. Inueſtitura Ferdinandi II. de Anno 1632. IBIDEM p. 854.

2) De quo IOVIVS Hiſtoriar. Lib. XXXIV. f. 167. E. (edit. Pariſ. de An. 1554.)

LVII. In iisdem regionibus, Sabaudi Principes, itidem Imperiali beneficio, Vicariatum Imperii 1) tenent 2).

1) Vocatur *Vicariatus perpetuus, S. Romani Imperii Marchiae in Italia.* Sigismundus Imperator Ludouicum Sabaudiae Comitem, Anno 1412. Vicarium Imperii in partibus Pedimontii inſtituit. Illum Vicariatum ſubinde ampliauerunt Imperatores Carolus V. et Ferdinandus II.

2) Conf. Dn. a Munchshauſen Diſſ. de Vicariatu Italico.

LVIII. Ciuitas Genuae et Regibus Langobardis olim, et poſtea ſucceſſoribus illorum, Imperatoribus Germanicis, paruit.

LIX. Ideoque cum Ano 1396. Carolo VI. Galliae Regi in protectionem ſe dederet, adiecit limitationem *ſaluis iuribus et honoribus, quae et*

*quos*

*quos habet Romanum Imperium in vrbem Genuenſem.*

LX. Fridericus I. Genuenſibus oram maritimam a Monaco vsque ad Portum Veneris in Feudum dedit 1), itemque iurisdictionem tam in ciuilibus, quam criminalibus, quod Priuilegium Henricus VI. 2), itemque Fridericus II. An. 1220. 3) confirmauit.

1) Hoc inter fundamenta, ac titulos, quibus dominium Reipublicae Genuenſis in mare Liguſticum aſſerat, profert IO. BAPT. BVRGVS in Libro de Dominio Reipublicae Genuenſis in Mari Liguſtico p. 239.

2) Vid. IVSTINIANVS ad Annum 1191.

3) Friderici I. Henrici VI. et Friderici II. Diplomata in Tabulario Rei Publicae ſupereſſe teſtatur BVRGVS l. c. p. 239. 240.

LXI. Excuſſo Gallorum iugo, a Carolo V. confirmationem priuilegiorum Anno 1529. accepit, et nouis aucta eſt *: adiecta tamen clauſula, ſaluis Rom. Imperii iuribus. Subſcriptio etiam habet *in ciuitate noſtra Genua.*

* Confirmata haec a ſequentibus Imperatoribus, vid. in LVNIGII Cod. Ital. P. II. p. 2202.

LXII. Marchionatum Finarienſem Imperator Carolus VI. Anno 1713. Genuenſibus vendidit, ſub antiqua Feudi Imperialis conditione *.

* Vid. Contractum Venditionis ap. LVNIGIVM in Cod. Italiae T. I. p. 2374.

LXIII.

LXIII. Superſunt in Italia plura Feuda minora, atque inter illa nonnulla Ducatus, comitatusue titulis inſignia, quae hic recenſere nimis prolixum foret 1). In illis Feuda Langarum, quae Regi Sardiniae, tanquam ſubfeuda Imperii, per Pacem Viennenſem de Anno 1738. conceſſa 2).

1) Vid. Deſignatio illorum ap. ANDLERVM in Conſtitut. Imperial. T. II. p. 1020.

2) Art. 8.

LXIV. Venetorum Respublica omnimoda libertate hodie gaudet.

LXV. Regiones tamen, quas in continente poſſidet, Imperii ius olim agnouerunt, et vel immediate ad regnum Italiae ſpectauerunt, vt Patauium, Vincentia, Verona.

LXVI. Vel mediate: ita Brixia, et Bergamum, vrbes olim Ducatus Mediolanenſis: et loca territorii Fori Iulienſis partim Aquileienſis, partim Auſtriacae ditionis fuere.

LXVII. Veneti hodie in poſſeſſione vel quaſi ſupremi in illas iuris ſunt, intenti ſemper Conſiliis, quibus retineri illa, et Status Italiae conſeruari, poſſit.

LXVIII. In regionibus, ex quibus regnum Neapolitanum hodie compoſitum eſt, olim auctoritas Imperii Romano-Germanici aliquamdiu viguit. Nam Beneuenti, Salerni, Capuae reguli ſub Langobardorum regno fuerant.

LXIX.

LXIX. Et Normanni cum in has oras appuliſſent, ab Imperatoribus primum agros, et mox regalia iura acceperunt *.

* De Normannorum aduentu in Apuliam vid. COMMENTAR. DE REBVS IMPERII IV. 30. Henricum S. Imperatorem agros ipſis, certamque ſedem aſſignaſſe notatum IBIDEM: 31. Conradus Salicus eos in officio continuit. IBID. V. 4. et 17. Ab Henrico III. Comitatus primum et regalia impetrarunt. IBID. 26.

LXX. Sed ſenſim Pontifices dominium directum ſibimet aſſerentes, Normannorum Principes, conceſſo Ducatus titulo, ad ſuum obſequium pellexere *.

* Vid. Diſquiſitio PETRI GIANNONI de Origine huius Dominii directi in Hiſtoria Regni Neapolitani Lib. IX. cap. 3.

LXXI. Ex vicinis Italiae inſulis, Sicilia nouo Imperio Romano nunquam fuit ſubdita.

LXXII. Sardinia autem regni dignitatem a Friderico I. accepit *.

* ACERBVS MORENA in Annalibus Laudenſibus ad Annum 1164. *Parmam deinde reuerſum rogarunt* (ſcilicet Genuenſes) *vt 4000. marcarum acceptis, nouum Regni Sardiniae titulum inſtrueret*, i. e. *Bariſonem Arboreae, quae pars erat Sardiniae, iudicem, appellaret regem:* EVM INSVLAM AD COMMODA IMPERII OBTENTVRVM. Epiſcopum Leodienſem ex Comitatu Imperatoris miſſum, qui inaugararet nouum regem, ſcribit ALBERICVS ad Annum 1164.

LXXIII. De modo, quo vnita eſt Germaniae Italia, vnum alterumque hic notaſſe ſuffecerit. Retinuit

Retinuit quidem peculiarem ſtatum ſuum, idque arguit, coronatio Imperialis et Regia, et proprius Italiae Cancellariatus.

LXXIV. Germaniae autem haec praerogatiua, quod in ea Sedes Imperii, quodque quem Germani regem elegerint, illum Status et Vaſalli Italiae Imperatorem, Regem, ac dominum agnoſcunt.

LXXV. Vnde et tempore interregni ad auctoritatem Vicariorum Imperii reſpiciunt.

LXXVI. Modus vero iuris Regii in Italia non idem perpetuo fuit. Solebant Imperatores, in expeditionibus Italicis, rempublicam, pro temporum conditione, conſtituere, in comitiis, quae plerumque in campis Roncaliis, ad Padum, haberi ſolebant. Ita Fridericus I. omnia iura veterum Imperatorum ac Regum in Italia ſibi aſſeruit; ſed eum rigorem deinde in pace Conſtantienſi ex parte temperauit. Sub ſucceſſoribus eius Vicariorum Imperii per Italiam nomen et poteſtas magis magisque inualuit.

LXXVII. Caeterum maieſtatem Imperii Romanorum, atque Regni Italiae, multum quidem poſt tot rerum conuerſiones imminuti, adhuc hodie ſuſtinent Imperatores, per inueſtituras terrarum, iuriumque regalium, exercitium iurisdictionis, conceſſionem priuilegiorum, collationes dignitatum etc. *

* Et vel hinc patet iniquitas DAVIDIS BLONDELLI, qui in *Praefat. Apologetica*, *ad Defenſionem Genealogiae Francicae*, fol. XXXI. 3. b. etc. negat Romani Imperii titulum Germanis conuenire. Prolixius refellit illum IO. HENR. BOECLERVS in Diſſ. *de Sacro Romano Imperio.*

LXXVIII. Et proinde vti Statuum Italiae, Principumque et Vaſallorum ſingulorum merito curae ſuae commendatum habent, ita et fidelitatem illorum et in bello ſeruitia, exigunt *.

* Vid. Leopoldi litteras de Anno 1689. in LVNIGII Archiuo Imperii, Parte Generali p. 714. Add. Dni. BOEHMERI Diſſ. de *Subſidiis pecuniariis a Statibus Italiae Imperatori Romano-Germanico praeſtandis.*

LXXIX. Hunc nexum Regnorum, modumque iuris Imperialis in Italia, qui diligentius inueſtigare voluerit, multa eo ſpectantia deprehendet in feudalibus inſtitutis, inueſtituris, conceſſisue priuilegiis, et pactis ſingularibus, quae Imperatores cum Statibus Italiae ſingulis inierunt *.

* Curam vindicandorum iurium, feudorumque Imperii per Italiam, ſingularem, recepit Imperator in Capitulat. Art. X. Vornehmlich auch, dieweilen vorkommen, daß etliche anſehnliche dem Reich angehörige Herrſchaften, und Lehen, in Italien, und ſonſt veräußert worden ſeyn ſollen, eigentliche Nachforſchung derentwegen anzuſtellen, und die eingeholten Berichte zur Churfürſtlichen Mayntziſchen Canzley, um ſolches zu der übrigen Churfürſten, Fürſten, und Stände Wiſſenſchaft zu bringen, inner Jahres-Friſt nach unſerer angetretenen Königlichen Regierung an zu rechnen, ohnfehlbar einzuſchicken ꝛc.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## CAP. VI.

# DE REGNI GERMANICI DIVISIONE IN CIRCVLOS, ET POLITIA CIRCVLORVM.

*Germaniae diuiſiones variae. 1. ſeq.*
*Diuiſio in Circulos. 3.*
*Inſtituti huius finis. 7. ſeq.*
*Et Vtilitas. 14.*
*Politia Circulorum. 15.*
*De Directorio. 16. ſeq.*
*De Duce. 18. ſeq.*
*De Adiunctis Ducis. 24.*
*Conuentus Circulorum. 27.*
*Vbi de decretis Circulorum. 31. ſeq.*
*Status praeſens Circulorum. 36. ſeq.*
*De redintegratione Circulorum 47. ſeq.*

Argumento de Finibus Imperii Romano-Germanici annecti commode poteſt tractatio de diuiſione Regni Germaniae, de cuius iure publico praecipue hic agitur.

II. Variae quidem ſolent diuiſiones Germaniae proponi: ſed pleraeque dubiae ſunt, aut obſcurae, aut obſoletae, ſtatuique praeſenti minime conuenientes *.

* E. g. cum diuiditur in Superiorem et Inferiorem: aut in terram mediatam, et immediatam. Doctrinam ipſam de terra mediata et immediata, ſiue de membris Ciuitatis mediatis, et immediatis, acute explicat COCCEIVS in Libro de *Autonomia Iuris Gentium* cap. VIII. Sed cum illa doctrina ad Prouincias Germaniae applicatur, circa quaeſtionem facti grauia ſe exſerunt dubia.

III. Notatu omnium digniſſima, et ſola fere in vſu hodie eſt diuiſio eius in Circulos, qualis auctoritate publica facta.

IV. Rem iam antea tentatam, demum Maximilianus I. perfecit. Poſtquam is Pacem publicam ſanciuerat, Status Imperii, vt promtius illam tueri, et concurrere ad conſtituendum commune aliquod concilium, (*Regimentum Imperii* vocabant) poſſent, in Comitiis Auguſtanis Anno 1500. in ſex Circulos diſtributi ſunt, Franconicum, Bauaricum, Sueuicum, Rhenanum, Veſtfalicum, et Saxonicum.

V. In Comitiis Colonienſibus Anno 1512. 1) ampliatum hoc inſtitutum, adiectusque eſt Circulus Auſtriacus. Terrae quoque domus Burgundicae, quarum cum Imperio nexum inſtaurari petierant Status, Circuli Burgundici nomine, in hunc cenſum relatae. Inſtitutus etiam Circulus Rhenanus electoralis, ſiue inferior: et Saxoniae ſuperioris 2). Conſultatum in iisdem Comitiis de Bohemia et Pruſſia, Circulis adiungenda. Sed et Bohemus abnuebat: et ratione Pruſſiae, Teutonici Ordinis Magiſter: veriti, ne ita ad conferendam pecuniam, aliaque onera traherentur.

1) Vid. Receſſ. Imp. Colon. de Anno 1512. §. 11. 12.

2) Ordo Circulorum in Receſſ. Imp. Noribergenſi de Anno 1522. (Erklärung des Landfriedens) is reperitur: Auſtriacus, Burgundicus, Rhenanus inferior, Saxonicus ſuperior, Sueuicus, Franconicus, Bauaricus, Rhenanus ſuperior, Veſtfalicus, Saxonicus inferior.

VI. Caeterum illa diſtributio non tam ſollicite, et velut ad amuſſim facta eſt: adeoque paſſim de

de finibus Circulorum, et ad vtrum vnus alterue Status pertineat, controuerſiae obortae ſunt.

VII. Finis inſtituti ab initio erat, vt Status Imperii praeſentarent Aſſeſſores Regimento, et Camerae Imperiali: vtque arctius vniti, coniunctis viribus tuerentur pacem publicam: et ſummorum Tribunalium iudicata, ſi id a Magiſtratu ordinario fieri non poſſet, executioni darent *. Quam in rem peculiaris ordinatio executionis compoſita.

* Erklärung des Landfriedens de Anno 1522. tit. 1.

VIII. Succeſſu temporis alia quoque negotia, quae commode per Circulos tractari poſſe videbantur, iis demandata.

IX. E. g. iudicium de aequabilius ad vires cuiuslibet Status conſtituenda Matricula.

X. Inquiſitio in vectigalia, quae forte intra limites Circuli praeter fas exiguntur *.

* Conf. Capitulatio art. VIII. §. 28. et ſeq.

XI. Cura rei monetariae: cuius cauſa et officinae per Circulos inſtitutae, et peculiares ad explorandam monetam conuentus.

XII. Tum quoque in Circulorum conuentibus conſultari ſolebat de rebus, quae in Comitiis generalibus proponendae eſſent.

XIII. Denique exercitus ipſi, et pecuniae per Circulos deſcribi coeperunt. Circuli etiam aliquot mutuis obſtricti pactis, et exteris foedere ſociati, in grauiſſimis bellis, Rempublicam pro virili armis, conſilioque iuuerunt *.

* Laudari hic meretur Dn. IO. ADAMI KOPP Abhandlung von der Aſſociation der vorderen Reichs-Creyſſe.

XIV. Quae omnia probant, vſum omnino habere hoc inſtitutum, licet nec ad perfectae Reipublicae imaginem adſurgat, et ſcopo quandoque pro temporum, partiumue conditione excidat.

XV. Vt ſcopus propoſitus obtineretur, certa quaedam in Circulis Politia adornata, ſenſimque ita aucta eſt, vt tot pene ſyſtemata ciuitatum, quot Circuli in Germania reperiri videantur. Primo notandi ſunt Officiales Circuli; Director Dux, eiusque Adiuncti: et minores, vt Secretarii, Receptores, Monetarii etc. Tum ipſi Conuentus Circulares.

XVI. Directores nulla lege fuerunt definiti, donec Regimentum Imperii An. 1522. certis in quolibet Circulo Statibus iniungeret, vt pacem publicam, Noribergae ſancitam, publicarent *.

* Vid. Erklärung des Landſr. zu Nürnberg de Anno 1522.

XVII. De conuocatione autem et Directorio diuerſimode conſtitutum eſt: in Circulis nonnullis, vbi plures Status Eccleſiaſtici immediati ſunt,

ſunt, duo ſunt Directores, et nec ii vbique eadem poteſtate *; in reliquis vnus.

* Inde diſtinctio inter Directorem et Condirectorem: itemque inter Creyßausſchreibende Fürſten, et Directores: de quo vid. STRVVIVS Syntagm. Iuris Publ. c. V. §. XVII.

XVIII. Dux ſ. Praefectus militiae Circuli, olim Creyß-Hauptmann, hodie Creyß-Obriſter, Creyß-Feld-Marſchall, dictus *, curat rem militarem, exſequitur ſententias in iudiciis Imperii latas, prouidetque, ne in Circulo illegitimi delectus ab exteris inſtituantur.

* De eius officio late agitur in Rec. Imp. de Anno 1555. §. 60. Ord. Camerae P. III. tit. 48. R. I. de Anno 1582. §. 40. et de Anno 1654. Formulam iuramenti vid. in R. I. de Anno 1555. §. 58. Si Principi hoc Officium confertur, fidem dat: bey Fürſtlichen Würden und wahren Worten.

XIX. Legitur a Statibus Circuli, et quidem ex ipſo plerumque Circulo: quanquam et extra illum quaeri poſſit *.

* Rec. Imp. de Anno 1555. §. 56.

XX. Poteſtque hoc munus et Directori deferri, vt in Circulis Saxonicis, Bauarico, et aliis ſaepe contigit.

XXI. Regulariter Eccleſiaſticus Princeps eligi Dux non debet 1). Hinc cum An. 1551. Status aliquot Eccleſiaſtici in Franconia, Ducis officium detuliſſent Epiſcopo Bambergenſi, ne id ratum eſſet, peruicerunt Seculares 2).

 1) Vid.

1) Vid. Rec. Imp. Noribergenſis de Anno 1522. art. 3. und ſoll darauf ein jeder, der jetzt gemeldte Creyß inſonderheit, alsbald einen Hauptmann, der ein Fürſt, Freyherr, oder ſonſt in trefflichem und weltlichem Stand, auch zu ſolchem geſchickt, und fertig ſey, erwählen.

2) Conf. LIMNAEVS Addit. T. I. Lib. I. cap. 7. p. 49.

XXII. Debet Imperio nexu Subiectionis, vel Vaſallitico obſtrictus eſſe 1). Nec obeſt, ſi alii praeterea Regno Principiue obſtrictus ſit, modo illa obligatio non ſit contraria rationibus Imperii Germanici 2).

1) Rec. Imp. de Anno 1555.

2) Agitata fuit haec quaeſtio cum Anno 1625. Chriſtianus IV, Daniae Rex, in Circulo Saxoniae Inferioris Dux electus eſſet.

XXIII. Si ex Statibus Circuli eſt, gratis operam praeſtat, et per legatum quoque bellum gerere fas eſt; Si extraneus, ſtipendium poſcere licet, ſed propriam operam debet impendere *.

* Rec. Imp. de Anno 1555. §. 57. 58.

XXIV. Praeterea Status quidam in Circulo ſeliguntur, qui Duci conſilio et opera adſint, eoque impedito, vel negligente officium, vices eius ſuſcipiant. Vocantur Adiuncti, Zugeordnete *. Vnus ex illis dicitur Nachgeordneter, eſtque veluti Vicarius Ducis.

* Vid. IBID. §. 56.

XXV.

XXV. Numerus eorum ex arbitrio Circuli pendet. Ex antiqua lege deberent ex Statibus Secularibus tantum legi *. Sed illud non tam ſeuere obſeruatur.

* Vid. Rec. Imp. de Anno 1555. §. 56. it. Erklärung des Landfriedens, tit. 3.

XXVI. Hodie in Circulis, in quibus Status vtriusque religionis territorium habent, quosque ideo mixtos vocant, pari, ex vtraque, numero eſſe debent.

XXVII. Vt negotia ad Circulos delegata facilius expediantur, ſolent Comitia Circularia inſtitui. Certaeque fere vrbes iis deſtinatae.

XXVIII. Et hodie etiam; non rogato antea conſenſu Imperatoris, conuenire fas eſt *.

* Capitulat. nouiſſ. Art. XIII. 10. So ſoll auch inn- und außerhalb der Reichstage den Reichs- und Creyß-Ständen unverwehret seyn, ſo oft es die Noth, und ihr Intereſſe erfordert, entweder circulariter oder collegialiter, oder ſonſten ungehindert männiglichen zuſammen zu kommen, und ihre Angelegenheiten zu beobachten. Conf. Dn. GOEBELIVS de Conuentibus Circularibus §. 13.

XXIX. Conuocantur Status a Directorio. Sed circa modum variant inſtituta.

XXX. Eſtque in Caeſaris arbitrio, Commiſſarios eo mittere; et aliorum quoque Principum Legati in illis conuentibus audiuntur.

XXXI. Concluſio fit per maiora, atque à Directore in Receſſum redigitur, qui ſubſcriptione et ſigillis munitus, in Archiuum Circuli refertur.

XXXII. Interdum Caeſaris praeterea confirmatio expetitur.

XXXIII. Caeterum Circuli, eiusmodi concluſis, limites, in Conſtitutionibus Imperii praeſcriptos, non poſſunt egredi. Viciſſim Tribunalia Imperii Circulos, in cauſis, in quibus fundati ſunt, impedire nequeunt *.

* Ea Circulorum libertas diſertis verbis aſſeritur in Capitulat. nouiſſima Art. XII. §. 4. quem locum Dn. ESTOR illuſtrauit, ſingulari Diſſertatione *de reſtricta agendi, appellandique facultate, ratione bellicorum, ciuilium, et oeconomicorum, de quibus Circuli Germaniae ſtatuerunt.*

XXXIV. Interdum plurium Circulorum conventus agitur: vbi Directores, et Deputati tantum conueniunt. Omnium autem Comitia non niſi ſemel habita, Erfurti Anno 1567. vbi omnium, praeter Burgundicum, Circulorum Directores conuenerunt.

XXXV. Communicant interea plures Circuli conſilia, in negotiis communibus, vnde dicuntur **die correſpondirende Creyſſe.**

XXXVI. Status praeſens Circulorum ex noviſſimis deſignationibus optime intelligi poteſt. Hic

Hic pauca delibabimus ex Politia ſingulorum, maxime quae ad iura Directorum ſpectent.

XXXVII. Auſtriacum fere totum diu in poteſtate atque auctoritate habuerunt Imperatores Auſtriaci.

XXXVIII. Circulus Burgundicus hodie valde acciſus eſt *, neque in illo officia circularia vlla ſunt, cum regiones eius, quotquot ſuperſunt, vni Domino pareant.

* Conf. ſupra cap. III. §. 31. ſequ.

XXXIX. In Bauarico Elector Bauariae, et Archiepiſcopus Salisburgenſis Directorio funguntur.

XL. In Circulo Franconico conuocant vna Epiſcopus Bambergae, et alter ex Marchionibus Brandenburgicis. In ipſis conuentibus vi transactionis de An. 1559. ſolus dirigit Bambergenſis, Marchiones autem eo ordine vices mutant, vt Baruthina domus per quinquennium, Onoldina per triennium eas ſuſtineat *.

* Vid. LVNIGII Reichs-Archiv Part. Special. S. IV. p. 312. Conf. Sendſchreiben vom Mit-Ausſchreibenden Fürſten-Amt im Fränckiſchen Creyß. (impreſſ. An. 1739.)

XLI. In Circulo Sueuico conuocat Epiſcopus Conſtantienſis, vna cum Duce Wurtembergico. Sed hic ſolus dirigit, communicat tamen conſilia cum Epiſcopo *.

* Recru-

* Recruduit controuerſia A. 1704. Conſtantienſi Epiſcopo Condirectorium praetendente, Duce contra demonſtrante ab antiquo ſibi ſoli competiiſſe Directorium. Tandem A. 1707. conuenit, vt ſecundum obſeruantiam Circuli, penes Ducem Wurtembergicum maneret Directorium, ita tamen, vt communicaret cum Epiſcopo Conſtantienſi conſilia. Nouiter Epiſcopus voluit, vt legati ad Circuli conuentus aduenientes, ipſi etiam fidem legationis ſuae facerent. Verum Dux contradixit.

XLII. Circuli Rhenani ſuperioris fines valde imminuti ſunt. Conuocant Epiſcopus Wormatienſis et Comes Palatinus de Simmern. Directorium ſolus ſibi aſſerit Wormatienſis, communicandis tamen prius cum Palatino conſiliis 1). Poſt extinctam A. 1685. in Carolo Electore, gentem Simmeranam, petierunt Status Euangelici huius Circuli 2), vt officium hoc conferretur ſuae confeſſionis ſocio 3).

1) Conuentionem inter Epiſcopatum Wormatienſem, et Electorem Palatinum, tanquam ſucceſſorem familiae Simmeranae, de A. 1705. vid. in LVNIGII Spicilegio Eccleſiaſtico T. II. p. 936.

2) Conf. Mantiſſa II. ad Specimen III. Meditationum ad INSTRVMENTVM Pacis Weſtfalicae.

3) De officio Ducis per hunc Circulum reſtituendo, vide Conſilium in LVNIGII Scriptis illuſtribus n. XXVI.

XLIII. In Rhenano inferiori, ſiue electorali, ſolus Moguntinus Directorium exercet.

XLIV. In Weſtfalico Directorium vna cum Epiſcopo Monaſterienſi habuerat Dux Iuliacenſis. Huius loco ex transactione An. 1665. * inita,

inita, fruuntur Elector Brandenburgicus, et Palatinus Neoburgicus, coniunctim quidem, ſed ita tamen, vt in obeundis ipſis eius muneribus vices alternent.

* Vid. LONDORPIVS T. IX. lib. X. c. 110. item LVNIGII Reichs-Archiv, Part. Spec. unter Chur-Brandenburg p. 203.

XLV. In Circulo ſuperioris Saxoniae Directorium habet ſolus Elector Saxoniae. Caeterum conuentus ab An. 1685. intermiſſi.

XLVI. In Circulo Saxonico inferiori Directorium alternis vicibus fuit penes Archiepiſcopum Magdeburgenſem et Bremenſem. Hodie eſt penes Duces harum Prouinciarum. Alternatio nouiter ad triennium fuit redacta. Condirectorium eſt penes domum Brunſuico-Luneburgicam, et exercetur a Seniore.

XLVII. Vehementer autem turbati ſunt hi Circuli *. Nonnulli valde acciſi ab exteris. In aliis plures Status a potentioribus Statibus in poteſtatem redacti. In quibusdam circa fines regundos diſceptatur. Nec minus ipſa Politia Circulorum, quoad conuentus, aut munera publica paſſim labefactata eſt, auditaque ſaepius querela, deficere praeſidium, quod ab exſecutione Circulari tam ſecuritati aduerſus exteros, quam internae tranquillitati debebatur.

* Conf. IMMANVEL WEBERI Diſſ. de Turbatis S. R. I. Circulis.

XLVIII.

XLVIII. Sed iam diu quoque de remediis, adeoque de redintegratione Circulorum, cogitatum 1). In Pace Weſtphalica, negotium illud ad proxima comitia reiectum 2). In iis vero, quae Anno 1653. et 1654. habita fuerunt, quanquam non pro dignitate tractari potuerit 3), vetus tamen de exſequendi ordine lex confirmata, et amplificata fuit 4).

1) Iam in Rec. Imp. de An. 1555. eius rei facta mentio.

2) Vid. INSTRVM. Pacis Oſnabrugenſe Art. VIII. §. 3.

3) Vid. PFANNERVS in Hiſtoria Comitiorum Lib. VI. §. 37. ſeq.

4) Vid. Rec. Imp. de An. 1654. §. 178. 185.

XLIX. Equidem difficile eſt emendare longi temporis mala. Propoſitum adeo aliquando fuit, vt cum exſecutio ordinaria parum valida ſit, noua potius ſecuritatis publicae tuendae ratio iniretur *.

* Vid. Conſilium eam in rem propoſitum apud LYNCKERVM in Differt. de Redintegratione Circulorum p. 22. Verum is, expenſis vtrinque rationibus, ita ſententiam temperat: *Retineantur Circuli, Matriculae, executionis ordinatio, - - Tollantur autem, ſi fieri poteſt, in vniverſum* die *Matricular*-Anſchläge, *et de aerario communi cogitetur, in quod collectae circulares, alia ratione conſtitutae inferantur.*

L. Sed magis adhuc arduum fuerit, modum, quo tot iura perſonarum, tot rerum tractandarum momenta nituntur, abrogare, et novum aliquem inducere. Vt mutationes illas in finibus, et Politia Circulorum, longa dies, nec-

vna

vna cauſa inuexit, ita varia remedia adhibenda, et per partes tentanda ſunt 1): interdum etiam a tempore, momentoque euentuum captanda 2). Hac ſpe redintegrationem Circulorum in capitulatione adhuc nouiſſima Imperatori Auguſtiſſimo commendatam videmus. Isque Statuum Imperii conſilium ea de re quamprimum requiſiturum ſpopondit 3).

1) Exemplo eſſe poteſt cura accuratiùs conſtituendae per Circulos matriculae. Quae in Circulo Sueuico de peraequatione matriculae agitata ſunt, vid. in der Staats-Cantzeley T. XXXIV. et XXXV. Item cura, ne Status Circuli ab exteris, aut potentioribus vicinis eximantur. Sollicitudinem Circuli Veſtfalici pro Comitatu *Schleyden*. teſtantur acta publica IBIDEM T. XXVI. cap. 2.

2) Quae fuerint in bello, quod propter Succeſſionem Hiſpanicam geſtum, V. Circulorum, pacto Nordlingenſi ſociatorum, de recuperandis amiſſis regionibus deſtinata, apparet ex articulo ſecreto eius foederis, quem vide in der Staats-Cantzeley T. XVIII. pag. 677.

3) Vid. Capitul. nouiſſ. Art. XII. 1. 2.

LIBER

# LIBER III.

## CAP. I.

## DE FORMA IMPERII ROMANO-GERMANICI.

*De Ciuili Reipublicae Romano-Germanicae compage.* 1.
*Argumenta pro vnitate Reipublicae.* 2. *ſeq.*
*Forma Reipublicae in Germania, an ſemper eadem?* 6.
*Hodie qualis?* 7.
*Inanes de applicandis communibus Ciuitatum formis conatus.* 8.
*An irregularis dicenda?* 9.
*Conuenit ingenio et ſcopo Germanorum.* 10.
*Defectus in illa.* 11.
*De Ratione Status Imperii.* 12.

Emenſi regiones, et populos, quibus Imperium Romano-Germanicum inde ab origine ſua ſtetit, iamque politicam eius ſtructuram, et praeſentem formam examinaturi, ad Germaniam iterum, vtpote Imperii ſedem, praecipue reſpicimus. Vbi quidem in ipſo limine incidimus in controuerſiam, vtrum Germania vna ſit Reſpublica, an Syſtema plurium Ciuitatum, inaequali foedere connexarum *?

* Pro vnitate Reipublicae VLR. OBRECHT. in Diſſ. *de Vnitate Reipublicae in S. Romano Imperio.* KVLPISIVS ad MONZAMBANVM P. II. p. 193. Pro foederata ſocietate poſt PVFENDORFIVM, TITIVS in *Specimine Iuris Publici* L. VII. c. 9. Alii, fluctuantes ipſi animo, fluctuare illam inter vtramque ſpeciem cenſuerunt.

II. Sa-

II. Sane, Populi Germanici, ex quo in Francici Regni poteſtatem venere, ſub Regibus ſuis, non niſi vnam Rempublicam conſtituerunt, vt ſupra notauimus *. Illius quidem compages poſtea per varias rerum ciuilium conuerſiones admodum concuſſa fuit. Nec tamen probari poteſt penitus diſſolutam fuiſſe, ita, vt partes Germaniae in Reſpublicas ſpeciales, independentes, commutarentur.

* Vid. ſupra Lib. II. cap. 2.

III. Status certe Imperii profitentur, ſe vnius ciuitatis membra eſſe *. In legibus etiam fundamentalibus, quarum maxima merito in hac quaeſtione auctoritas eſt, ſemper Imperium tanquam vnum corpus Politicum repraeſentatur, vnde *Capitis* et *membrorum* vocabula, vbi de Imperatore et Statibus agitur, Stylo Curiae, frequentantur.

* Conf. HVGO de Statu Regionum German. Lib. II. §. 14.

IV. Ipſa territoria Statuum intra Regni fines ac ius ſita ſunt. Pleraque etiam vna cum regalibus, vinculo Feudali ab Imperatore et Imperio pendent. Vt adeo pro ſeparatis penitus, et perfectis ciuitatibus, haberi non poſſint.

V. Neque niſi vna ſumma poteſtas ciuilis, ſi commune totius Corporis Germanici regimen ſpectes, occurrit, quae ab Imperatore et Con-

cilio Ordinum in conſultationibus, Re militari, Iudiciis, (quae ſunt praecipue * regendae Reipublicae partes,) exercetur.

* Conf. HERTIVS de Notitia ſingularis Reipublicae §. XV. (inter Opuſcula iunctim edita Vol. I. T. II.)

VI. Vbi iam de ipſa Forma huius Reipublicae iudicari debet, in Subiectum ſummae, qua regitur, poteſtatis, inquirendum eſt. Solet in magnis imperiis, praeſertim mixtae formae, perpetuus eſſe modus, atque modo Principis, modo Optimatum, aut populi denique ipſius, intendi poteſtas, aut minui. Nec ſecus in Germania, qui antiqua cum nouis contulerit, diuerſam rerum faciem deprehendet; ab eo maxime tempore, quo multa negotia Imperii, ad Statuum conſenſum adſtricta fuerunt: id quod in Pace Weſtphalica diſerte conſtitutum, et in Capitulationibus Imperatorum ſpecialius definitum fuit.

VII. Ad harum legum normam, ita iam partes adminiſtrandae communis Reipublicae diſtributae ſunt, vt aliis Imperator ſolus defungatur: in aliis, quae Rempublicam vniuerſam concernunt, Ordinum Imperii conſenſu, aut certe Electorum, opus ſit: Status vero, in territorio quisque ſuo, ſingulare regimen, pro ea, quam leges et obſeruantia Imperii concedunt, ſuperioritate, et libertate, exerceant.

VIII.

VIII. Quae forma regiminis, vt plane ſingularis, et propria Germanis eſt, ita ad recepta in ſcholis Reipublicae Schemata exigi vix poteſt. Certe nulla, ex ſimplicis Reipublicae formis, in Germaniam quadrat. Aliis itaque viſum eſt, adaptare illi formam ex Monarchia et Ariſtocratia mixtam 1), ita tamen, vt Monarchia praeualeat 2). Sed hae rerum Ciuilium proportiones, de quibus ſubtiliter in vmbra Muſarum diſputari poteſt, non aeque ſemper obſeruantur in ipſo rerum vſu 3).

1) STRAVCHIVS, BOECLERVS, LIMNAEVS, CARPZOVIVS, etc. Add. KVLPISIVS ad MONZAMBANVM cap. 6.

2) HORNIVS in Iuris Publ. Prudent. cap. XIX. §. 5. 6.

3) Locum hic habet illud CICERONIS Lib. 3. de *Oratore* init. *Artes omnes aliter ab iis tractari, qui eas ad vſum transferunt, aliter ab iis, qui ipſarum artium tractatu delectati, nihil aliud in vita ſunt acturi.*

IX. Equidem haec Reipublicae Forma, vti non vno eodemque tempore, ſed per varias mutationes, pro diuerſa euentuum conditione, conſtituta fuit, abit a regulis, quas doctrinae ciuilis magiſtri, de rite ordinanda Republica excogitauere, neque per omnia ſimilem in hiſtoria 1) repereris. Vnde nonnulli prorſus irregularem vocare minime dubitarunt 2). Verum liberis Populis fas eſt pro ſuo iudicio conſtituere Rempublicam. Neque alia illis regula imperari poteſt, praeterquam honeſtas naturalis,

et vtilitas; cuius rationes quilibet populus ex ſuo ingenio, ſuoque ſcopo, aeſtimat.

1) THVANVS ſane *Hiſtoriar.* L. II. vbi, agens de forma Imperii Germanici, Achaicarum ciuitatum comparatione vſus fuerat, fatetur, eam Societatem, cum Germania comparatam, eſſe, quaſi muſcam ad elephantem.

2) Irregularem vocabat PVFENDORFFIVS in libello, ſub perſona MONZAMBANI edito; et deinde in Diſſ. *de Republica irregulari.* Reſpondit KVLPISIVS in notis ad MONZAMBANVM cap. 6. Prodiit etiam *Diſquiſitio de Republica monſtroſa contra* MONZAMBANVM, *eiusque aſſeclas.* Germanopoli 1674. 12. Sed qui Reipublicae in Germania Formam, vt irregularem, immo monſtro ſimilem taxarunt, videntur vocum magis licentia, quam re ipsa, offendiſſe. Nam et qui contra eos calamum ſtrinxere, multa huic formae, ad concinnitatem optime conſtitutae Reipublicae, deeſſe fatentur.

X. Satis autem, haec adminiſtrandi Imperii Forma conuenit ingenio Germanorum, et ſcopo, qui eſt conſeruatio communis Reipublicae, et libertatis 1); tam dilectae ſemper Germanis, vt proprium illorum bonum vetus auctor vocauerit 2). Scilicet principatu ſuſtinetur vnitas, et dignitas Imperii: auctoritate Statuum prouidetur, ne is in dominatum vertat.

1) Adeoque hic locum habet, quod TACITVS laudat in Nerua Caeſare: *de Vita Agricolae* c. 3. Illum *res olim diſſociabiles miſcuiſſe, principatum et libertatem.*

2) LVCANVS Pharſ. VII. 35. Libertatem vocat:
- - - - *Germanum Scythiumque bonum:*
De quo pluribus in den Geſchichten der Teutſchen Lib. II. §. 34.

XI.

XI. Sed (vt nulla eſt ſine vitiis Respublica) incommoda quoque ſua habet, atque illud imprimis, quod ob parum concinnam compagem bonis ſuis, et viribus, rite vti nequeat. Inde illa, quae paſſim exprobrari videas, latentia diſcordiae ſemina, et aemulatio inter ipſos quoque Imperii Status: conſiliorum lentor, non aeque valida iudiciorum vis, etc. Certe illae, quas ſupra enarrauimus, tot regionum, et vrbium iacturae ſatis arguunt, Prouincias Imperii, dum ſingulae parum ad Rempublicam conferunt, viciſſim in illa, non ſatis praeſidii inueniſſe.

XII. Haec itaque prima in RATIONE STATVS Imperii, ſiue in regulis adminiſtrandi eius cura: Propoſitum finem tueri, defectus emendare, conſilia et vires recte diſponere, et ad quasuis rerum mutationes attendere, ne ex illis detrimenti quid Respublica capiat, qua euerſa ſingulorum quoque faſtigia ruerent. Sed haec Politicae conſiderationi ſeponimus *.

* Sunt qui data opera hoc tractarunt: vt MONZAMBANVS in Libro de Statu Imperii Germanici cap. 8. TEXTOR peculiari libro de Ratione Status Imperii Rom. Germanici, add. CONRINGII de Notitia Reipublicae Germanicae epiſtolam. Proderit quoque legiſſe iudicia, et conſilia, quae Viri in rerum vſu verſati, de Statu Reipublicae, qualem ſuo quisque tempore videre, protulerunt. Huc ſpectat IVLII PFLVGII, Epiſcopi Numburgenſis, Oratio *de Republica Germaniae*, ſiue *Imperii Conſtitutione*, Coloniae 1562. it. CHRISTOPHORI FORSTNERI epiſtola *de moderno Imperii Statu.* Sed exterorum quoque iudicia, etiamſi forte liberiora, et propiora Satirae, habent, quae Politicus in vſus ſuos conuertat.

## CAPVT II.

# DE ELECTIONE IMPERATORIS.

*Modus habendi Regnum ſub Francis. 1. 2.*
*Electorum origo. 3. ſeq.*
*De libertate atque auctoritate electionis. 10.*
*De requiſitis Candidati Imperii 11. ſeq.*
*Comitia electionis indicit Moguntinus. 12.*
*Iis deſtinata Vrbs Francofurtum ad Moenum. 13. 14.*
*Electorum conductus. 15.*
*Comitatus. 16.*
*Marſchalli Imperii circa hoſpitia, et Politiam cura. 17.*
*Iusiurandum a ciuitate exigitur. 19.*
*Dies electioni deſtinata. 20.*
*Exteri ex vrbe excedunt. 21.*
*Iusiurandum Electorum. 22.*
*Actus electionis. 23. ſeq.*
*Cur tam diu in Auſtriaca Domo continuatum Imperium? 28. 29.*
*Libertati electionis proſpectum in Capitulatione. 30.*

Modus perueniendi ad Imperium Romano-Germanicum electiuus eſt. In vetere Francorum regno iam ſub Carolingis Regibus ita temperata fuerat ſucceſſio, vt familiae quidem ius valeret, neque tamen Franci ordinem naſcendi ſemper obſeruarent in conſtituendis Regibus, donec poſt Imp. Caroli Craſſi obitum, eligendi libertas praeualeret *.

* Hinc illa ſucceſſionis ſpecies mixta ex electitia et hereditaria paſſim vocatur. Vid. ſupra L. II. c. 2.

II. Idem modus etiam poſt Carolingos durauit ſub Regibus, e domo Saxonica, Salica, et Sueuica. Nam facile apud Proceres perficere Rex

Rex poterat, vt filius, ſemet ſuperſtite, eligeretur; neque defuncto Rege, familiam Illi facile praeteribant. Deinde demum per varios rerum caſus liberior facta eſt electio.

III. Ius eligendi apud Francos, et deinde etiam in Germaniae regno, competiit omnibus Proceribus, ita tamen, vt Epiſcopi, Ducesque Prouinciarum 1), et qui plerumque ex numero illorum erant, praecipui Palatii officiales 2), primas partes in electione haberent.

1) Prouti ex electione Henrici II. apparet, in COMMENT. de Rebus Imperii IV. 2. Item ex electione Conradi Salici, Ibid. V. 1.

2) CHRON. VRSPERGENS. de electione Philippi Sueui: *Tota curia Imperialis,* ET OFFICIALES IMPERII *adhaeſerunt Philippo, cum Principibus quamplurimis.*

IV. Succeſſu temporis obtinuit, vt, quantumuis frequentes ad electionem conueniſſent proceres, certi tantum Principes deſignarentur, qui eligerent, ſiue nominarent Regem, quem reliqui probarent, vti clariſſime apparet in electione Lotharii II. Saxonis *. Atque hinc eſt, quod in deſcriptionibus antiquis electionum *nominare* ſiue *eligere* et *probare* tanquam diuerſa recenſentur.

* Dignus obſeruatu eſt modus in electione Lotharii habitus, quem vetus auctor, qui Curiae illi interfuit, (in ECCARDI *Quaternione Veterum Monumentorum*) deſcribit: *Conuenientes,* inquit, *omnes Regni Principes,* - -

*primo decem ex ſingulis Bauariae, Sueuiae, Franconiae, Saxoniae prouinciis Principes, conſilio vtiliores propoſuerunt, quorum electioni caeteri omnes aſſenſum praebere promiſerunt. Hi itaque tres ex omnibus, tam diuitiis quam virtute animi praeſtantiores, ſcilicet Ducem Fridericum, Marchionem Liupoldum, Ducem Lotharium in concione deſignantes, vnum ex tribus, qui placeret omnibus, in Regem eligi perſuaſerunt.*

V. Denique ad ſeptem Principes, tres Eccleſiaſticos, et quatuor ſeculares, ius eligendi redactum eſt. Cuius praerogatiuae origines non niſi ex actis electionum ſeculi XIII. illuſtrari poſſunt. Sub Imperio Friderici II. filium eius Conradum IV. a pluribus adhuc electum conſtat *.

* Vid. Litteras Principum qui Conradum elegerant, apud LEIBNITIVM in Cod. Iuris Gentium Diplomatico, Prodrom. n. 11. Sed integriores ſeruauit FRANC. PIPINVS in Chronico, inter Scriptores Rerum Italicarum T. IX. p. 675. ex quibus adeo tota electio illa perfectius cognoſci poteſt.

VI. Verum poſt mortem Wilhelmi, Regis Romanorum 1), in electione Richardi et Alfonſi 2), iam ſoli illi Septemuiri praerogativam eligendi Regis habuere; communicato tamen ante cum aliis Principibus, qui Francofurti aderant, conſilio.

1) Defuncto Wilhelmo Rege, Alexander IV. A. 1256. Archiepiſcopo Moguntino, Colonienſi, et Treuirenſi iniunxit, ne Conradum iuniorem, Conradi IV. Regis filium, eligerent. Litteras ad Gerardum Moguntinum vid. apud LEIBNITIVM in Codice Iuris Gentium Diplomatico, Prodr. n. 13. In illis notari merentur verba: *Aliis vero* COELECTORIBVS *Tuis, tam eccleſiaſticis quam ſecu-*

*ſecularibus, auctoritate noſtra firmiter inhibeas, ne ipſum ad hoc* NOMINENT, VEL ELIGANT, *nec in ipſum* CONSENTIANT.

2) Vid. litteras Vrbani IV. Papae ap. LEIBNITIVM loc. cit. n. 14. vbi profitentur Electores: *ſe cum praelatis, ducibus, et aliis ibidem praeſentibus deliberatione praehabita, de ipſorum communi conſilio, et aſſenſu, ad electionem proceſſiſſe.*

VII. Tandem electionis negotium totum vnice ſibi vindicarunt: fauente forte occaſione, quod turbulento ſeculo non frequentes ad Conventum venirent Principes. Eius rei iam veſtigia in electione Rudolphi Habsburgici, ſed multo clariora in Electione Henrici VII. * reperiuntur. Ita demum et tituli Principum Electorum, tanquam iure proprio Imperatorem eligentium, in actis publicis, vna cum vocabulis Archiofficiorum Palatii, exprimi coeperunt.

* In hac electione Principes Electores, ſolenni proteſtatione, ius eligendi ſibimet priuatiue aſſeruerunt. Vid. Diploma electionis ap. LEIBNITIVM l. c. in Mantiſſa P.II. n. 49.

VIII. Sub Imperio Ludouici Bauari A. 1338. Principes Electores, habito Renſae Conuentu, ius illud ſuum diſertis verbis aſſeruerunt, atque inito ibidem foedere, (quod *Vnionis Electoralis* nomine celebre eſt) iunctis viribus tueri pacti ſunt *. Rem prorſus ad liquidum deduxit Carolus IV. in Aurea Bulla, ipſiusque formam electionis praeſcripſit, et Electorum ſucceſſionem, tutelam, maiorem aetatem, aliaque iura ſingularia, definiendo, Collegii Electoralis auctoritatem, atque ordinem, accurate ſtabiliuit.

 * Vnio

* Vnio Electoralis de An. 1338. *Quod praedictum Imperium, et noſtrum principalem honorem, quem ab eo obtinemus, videlicet in electione Imperii, in illius ac noſtris iuribus, priuilegiis et conſuetudinibus, ſicut ab antiquo ad nos, et ad Imperii Electores peruenerunt, et deuoluta ſunt, manutenere, tueri, ac defendere volumus, pro omnibus noſtris viribus ac opibus, ſine fraude, contra quoscunque, nemine excepto.*

IX. Circa ipſam porro electionis formam ſequentia notari merentur. Principes Electores eligunt Imperatorem nomine totius Imperii, et omnium Statuum; iure tamen proprio, ſuisque Principatibus, ſiue eccleſiaſticis, ſiue ſecularibus, annexo.

X. [a] Nec opus eſt, electionem ſignificare Papae, confirmationis cauſa. Ea quidem conſuetudo aliquando inualuerat, occaſione petendae Coronae Imperialis. Sed ſub Ludouico Bauaro decretum eſt, vt, quem Principes in Germania rite elegerint, is ſtatim legitimus Imperator habeatur. Eius decreti vis, renouata ſub Ferdinando I. ab eo tempore conſtanter obtinuit.

X. [b] Neque iam Legati, quos electi Imperatores Romam mittunt, obedientiam, qualis aliquando exigebatur *, ſpondent, ſed protectionem Eccleſiae, et Reuerentiam filialem †.

* De obedientiae promiſſione, qualem Ro. Curia a Regibus exigit, vid. IOSEPHVS STEPHANVS, VALENTINVS, in Lib. de Oſculatione pedum Ro. Pontificis (Rom. 1588. ed.) cap. 12.

† Conf. Dn. BVDER Lib. de Legationibus obedientiae Romam miſſis.

XI.

XI. Quis vero eligendus ſit, iudicio Electorum, et prudentiae merito permittit Respublica. Germanicae nationi haud dubie proprium hoc Decus eſt *. Caeterum Aurea Bulla, rem maximi momenti paucis verbis complexa, *virum bonum, iuſtum et vtilem* requirit. Ne de aetate quidem Candidati lege ſcripta quicquam definitum †. Sed prolixius, et fere nimium ſeduli, hoc argumentum excoluerunt Iuris Publici ſcriptores. Inculcant ante omnia, foeminas capaces Imperii non eſſe, nec niſi Laicum eligi poſſe, vtque legitimis ſit natalibus, dignitate illuſtri, et ditionis alicuius in Imperio dominus. Solent etiam multa de virtutibus Principis diſſerere, atque inprimis commendare, vt literarum et linguarum, quarum in Imperio vſus eſt, peritus ſit.

* Vid. Bedencken über die Frage: Ob iemand anders als ein gebohrner Teutſcher zum Römiſchen Kaiſer dürffe und ſoll erwählet werden? in LVNIGII Script. Illuſtr. p. 39.

† Qua cautione vſi ſint Electores cum D. IOSEPHVM, tum adhuc impuberem, eligerent Regem, vid. infra cap. 8. §. 4.

XII. Ad electionem collegas conuocat Elector Moguntinus, intra menſem, ex quo de morte Imperatoris ipſi conſtat. Atque ita ſtatui terminus debet, vt Electores a die illius nuntii, tres menſes ad comparendum habeant 1). Omnes quidem conuocare debet;

ſi

ſi tamen aliquem praeterierit, is etiam vltro adeſſe poteſt 2). Cum Ferdinandus III. A. 1636. eligeretur, captiuus detinebatur Elector Treuirenſis. Itaque cauebatur in capitulatione, ne illius abſentia vnquam in exemplum allegetur 3).

1) Vid. AVREA BVLLA Tit. I. §. 18. ſeq.

2) IBIDEM §. 21. Vladislaus tamen Bohemiae Rex, cum ad Maximiliani I. electionem vocatus non eſſet, grauiter de eo conqueſtus eſt. Quae tempore interregni, poſt Caroli VI. obitum, de Suffragio Bohemico diſceptata fuerunt, vid. in den Geſchichten des Interregni, P. II. Sect. 7.

3) Articulo 50. Nachdem auch vor dieſsmal aus erheblichen gewiſſen Urſachen, der Churfürſt zu Trier, dieſer unſer Königlichen Wahl weder in Perſon noch durch Geſandten beywohnen können; ſo ſoll ſolches in künftigen Fällen zu keiner nachtheiligen Conſequenz gereichen, weniger zu einigem Präjudiz angezogen werden, noch auch der güldenen Bulle und altem Herkommen in einige Wege abbrüchig ſeyn.

XIII. Electioni iam olim deſtinata eſt vrbs Francofurtum ad Moenum *, quod et ſitu opportuna eſſet, celebrique Regum Francorum palatio et capella inſignis †. Idque in Aurea Bulla confirmatum.

* Vrbanus IV. in epiſtola citata ad §. VI. Francofurtum vocat *locum ad hoc* (ſcil. negotium electionis) *deputatum ſpecialiter ab antiquo.*

† De palatio illo vid. MABILLONIVS de Re Diplomatica L. IV. p. 283.

XIV. Saepe quidem etiam poſt tempora conditae Aureae Bullae, quoties ita expedire viſum Ele-

Electoribus, alibi inſtituta electio. Caueri tamen ſolet Francofurtanis, id iuribus eius vrbis praeiudicio non fore.

XV. Definitum eſt in A. B. quinam Status, Electoribus eo proficiſcentibus, conductum, vti vocant, praeſtare debeant; qui per ea tempora admodum neceſſarius erat *.

* I. H. Boecleri Conductor Carolinus.

XVI. Id quoque pro temporis indole ſtatutum, ne Electores vltra 200. equos in comitatu habeant *: quo aequales viribus ſint, neque quis praeualeat. Equidem ſolet adhuc Senatus Francofurtanus petere ab Electoribus, vt comitatum ad Aureae Bullae praeſcriptum componant †. Sed iam diu praeualuit ſplendor in aulis Principum Germaniae receptus.

* Avrea Bvlla Tit. I. §. 22. *Cum ducentis equitaturis tantummodo --- In quorum numero quinquaginta tantum armatos, vel pauciores ſecum introducere poterit, ſed non plures.*

† Vid. litteras in Diario Electionis Caroli VI. p. 33.

XVII. Hoſpitia Imperii Mareſchallus, auctoritate Archimareſchalli, per metatorem, vna cum delegatis a magiſtratu, deſignat: annonae quoque pretia, ac circa Politiam obſeruanda, cum iisdem ordinat.

XVIII. Electores, ſi ipſi ad electionis comitia non proficiſcuntur *, legatos cum libera poteſtate mittunt, cuius mandati formula in ipſa Aurea Bulla praeſcribitur †.

* Olim

* Olim etiam ex collegis alicui mandatum dare ſolebant. Ita Gebhardus, Archiepiſcopus Monguntinus, teſtatur ſe ſuo, et Venceslai, Regis Bohemiae nomine, elegiſſe Adolphum Naſſouium, in tabulis quas vid. im Reichs-Archiv P. G. Contin. II. p. 186. Henrici Colonienſis mandatum, quo Rudolpho Palatino ſuffragium, ſua vice ferendum commiſit, A. 1314. vid. IBIDEM P. S. Contin. I. inter Colonienſia p. 81.

† Tit. XIX.

XIX. Vbi conuenere, dum de eligendo Rege, adornandaque Capitulatione conſultant, ad praeſcriptum Aureae Bullae, exigitur a ciuitate iusiurandum, de praeſtanda Electoribus, more maiorum, ſecuritate.

XX. Interea, dies ipſi actui electionis deſtinata indicitur, qua, cum plerumque de perſona eligendi conuenerit, vltima velut manus negotio imponatur, electusque rite declaretur.

XXI. Illa appropinquante, extranei omnes diſcedere ex vrbe iubentur: ſeceduntque et Regum, Principumque legati, et ipſi qui forte in vrbe commorantur Principes: neque, niſi auctoritate Collegii Electoralis, rigor ille quandoque temperatur. Durat is ex Aurea Bulla *, ſecundum quam, toto tempore, quo de electione conſultatur, omnes exteri ab vrbe abeſſe deberent, vt ipſa liberius, ſecuriusque ab omni factionum, corruptioniſue periculo, peragi poſſit.

* Tit. I. §. 25. 26. Quod olim tam ſeuere obſeruatum, vt tempore electionis Caroli V. neque ipſius Caroli, neque Franciſci Regis legati in vrbem admitterentur.

XXII.

XXII. Vbi autem illuxit dies, Electores praeſentes, et abſentium Legati, ſolenni pompa ad templum progreſſi, in choro conſident, cuius portam Imperii Mareſchallus claudit. Celebrata miſſa ſinguli Electores, ac Legati, et hi quidem in domini, ſuamque animam, conceptis verbis iurant: ſe ſuffragium laturos *absque omni pacto, ſtipendio, pretio, vel promiſſione, ſeu quocunque modo talia valeant appellari.* Receptaque hodie formula iurisiurandi: **Als mir Gott helfe, und ſein heilig Evangelium.**

XXIII. Finitis ſacris, in conclaue electioni deſtinatum ſecedunt. Ibi ante omnia ſtipulata manu pollicentur maiora valitura: ſeculares inſuper ſigillatim pollicentur, ſtare pactis, ſi ipſos eligi contigerit.

XXIV. Obtinet a longo tempore modus eligendi per ſuffragia *. Legit illa Moguntinus, primumque rogat Electorem Treuirenſem, cui hoc in Aurea Bulla inſtar ſingularis praerogatiuae datum eſt: tum reliquos ordine Electores. Vltimo loco ipſe, rogatus ab Electore Saxoniae, Imperii Archi-Mareſchallo, ſententiam dicit.

* Olim et per compromiſſum patrari electio poterat: cuius veſtigia in electione Rudolphi Habsburgici.

XXV. Confici electio poteſt per maiora *, quae ſecundum numerum totius collegii computa-

putari debent †. Cum itaque Princeps Elector vnus alterue, fruſtra diſſenſurum ſe, videat, a longo tempore fere vnanimis obtinuit electio.

* Avrea Bvlla T. II. §. 5. Conf. Gottfr. Danielis Hoffmanni Diſſ. de Pluralitate Suffragiorum in Electione Imperatoris.

† Vtrum Elector ſibimet ipſi ſuffragari poſſit, otioſa eſt quaeſtio. Neque enim per ſe illicitum eſt, et in Avrea Bvlla Tit. II. §. 10. diſerte permittitur. Idque vſu venit, ex quo Auſtriaci, vt Reges Bohemiae, comitiis electionis interfuerunt.

XXVI. Peracta electione admittuntur Notarii, qui rem in tabulas referant. Si praeſens eſt electus, vt ſaepius accidit, ſtatim ex quo acceptauit oblatum imperium, capitulatio ipſi proponitur, cui iureiurando ſidem adſtringat. Tum ſolenni proceſſione ab Electoribus in templum, ibique inter feſtos hymnos, et precationes, ad altare, deducitur. Deinde iisdem comitantibus extra chorum conſcendit pegma: vbi electio iam omnibus annuntiatur, populo votiuis acclamationibus publicam laetitiam teſtante.

XXVII. Si abſens fuerit, Electores diplomate electionis, per Principem aliquem Imperii transmiſſo, in regnum eum inuitant *. Capitulationem interea legati iureiurando, in animam domini ſui concepto, ſanciunt. Quod ipſe, poſtquam aduenerit, repetit.

* Carolo V. attulit Fridericus Palatinus: cuius Legationis quaedam extant in Freheri Collectione T. III. p. 189.

XXVIII.

XXVIII. Diu Imperium continuatum fuit in Auſtriaca Familia, multumque traxit ex fortuna eius ſecunda, et aduerſa. Eius rei plures fuerunt rationes. Nam et Domus adſueta imperio, eo minus locum faciebat inuidiae, poteratque Decus Imperialis faſtigii propriis viribus ſuſtinere. Regna etiam, et prouinciae, quas hereditario iure tenet, non minus ad conſeruandum Italiae Germaniaeque nexum, quam ad munimentum aduerſus Turcas opportunae, Imperii commodis hoc vinculo fortius illigabantur.

XXIX. Nec defuerunt ſibi Auſtriaci, ad omnes occaſiones attenti, vt ſemper digniſſimi Imperio videri poſſent *.

* Modum ſuccedendi in Auſtriaca Domo Imp. Carolus VI. per Sanctionem Pragmaticam definiuit, ſecundum primogenituram et ordinem linearum. De cuius Sanctionis Guarantia relatum ad Comitia A. 1731.

XXX. Interea libertas eligendi manſit illibata, atque iam a tempore Imp. Matthiae cauetur in Capitulatione, ne quid pro hereditario iure inducendo tentare fas ſit *.

* Capitulat. Imp. Franciſci, Artic. II. 1. 2. Wir ſollen und wollen das Reich, ſo viel in unſern Kräften iſt, ſchirmen, und vermehren: uns keiner Succeſſion, oder Erbſchaft deſſelben anmaſſen, unterwinden, noch unterfangen, noch darnach trachten, daſſelbe auf Uns, unſere Erben und Nachkommen, oder auf jemanden anders zu wenden. Et Art. III. §. 10. Wir ſollen und wollen auch die Churfürſten, ihre Nachkommen und Erben, bey Ihrer freyen Wahl-Gerechtigkeit, nach Inhalt der Güldenen Bull, verbleiben laſſen.

# CAPVT III.

# DE IMPERIALI REGALIQVE IMPERATORVM ET REGVM ROMANORVM CORONATIONE.

*Vnctionis et coronationis Regalis inter Germanos origo. 1. ſeq.*
*Plures quondam coronationes: Germanica. 5. Peragi debet Aquiſgrani. 7. Ius conſecrandi et vngendi Regem. 8. ſeq. Inſignia Imperii. 11. ſeq. Ordo coronandi Regem in Germania, vbi de proceſſione etc. 14. Epulum regale 15. Archiofficialium functiones. 16.*
*Coronatio Italica. 17. ſeq. Corona Italici Regni. 21. Ordo coronandi Regem in Ital. 22.*
*Coronatio Imperialis Romana. 23. Imperatores olim ſaepe filiis ſuis etc. coronam ipſi impoſuerunt. 24. Pontifices hanc coronationem ſibi propriam fecerunt. 25. Ordo coronandi Imperatorem. 26. Coronatio Imperialis olim neceſſaria credita: vbi de expeditione Romana. 27. Sed dudum omiſſa. 28.*
*De coronatione Burgundica. 29.*

Electionem ſequitur coronatio, qua regni auſpicia ſolenniter deſignantur. Veteres populi Germanici varios habuerunt ritus publice deferendi Regibus, Principibusue ſuis imperium. Duo maxime notari merentur: alter, nouum Principem ſcuto impoſitum oſtentandi circumfuſo populo 1): alter tradendae haſtae. Vterque retentus a Francis, ſub primae ſtirpis Regibus 2).

1) Exemplum Brinnonis, Caninefatium Ducis, apud TACITVM Hiſt. IV. 15. add. Geſchichte der Teutſchen L. IV. §. 42.

2) Conf. Geſchichte der Teutſchen XVI. 35.

II. Sed

II. Sed ex aliarum gentium moribus Coronatio recepta. Idque ex Chriſtiano ritu, vt inter ſacra miſſae corona imponeretur, ac reliqua regalis faſtigii inſignia traderentur, adhibitis ſolennibus formulis, et bene ominatis precibus. Quod ſacrare Regem, ſeu benedicere adpellant *.

* Fuſius de hoc egi in differt. de Auguſtorum Germaniae Auguſtarumque coronatione Cap. I. §. 3.

III. Acceſſit his omnibus cerimonia vnctionis, quae a Veteris Teſtamenti exemplis deſumta videtur. Inter Francorum * Reges primus Pipinus, vt venerabilior populis eſſet, coronatus et vnctus eſt †.

* Apud Viſi-Gothos iam ante vſitata fuit, de quo IBID. §. 4.

† Conf. Geſchichte der Teutſchen XVI. 35.

IV. Vnctio haec regalis ex diſciplina iuris Pontificii, Epiſcopis, praerogatiua ordinis, competit, et regulariter peragitur a Metropolitano eius Prouinciae, in qua celebratur coronatio; niſi forte Praeſul aliquis ſingulari priuilegio, quocunque in loco eam peragendi, gaudeat *.

* IBID. §. 6. ſeq. vbi et de ritu vnctionis, itemque de oleo, quod in vnctione Regali adhibetur.

V. Ex quo Imperium Germaniae, Italiaeque, et Burgundiae vnione ſtetit, pluries coronari conſueuerunt Imperatores. Primum quidem in Germania. Quae coronatio paſſim in legi-

bus Imperii Regalis Romana vocatur, et ſola hodie in vſu eſt.

VI. Ad eam mature procurandam, obligari per Capitulationem Imperatores ſolent *, eſtque eo maior cerimoniae religio, quod ei tot Electorum functiones, et honorum ſolennia, illigata ſunt.

* Capitulat. Imperialis Art. III. 8. Als auch Uns gezlemen will, und wir hiermit verſprechen, die Römiſche Königliche Crone förderlichſt zu empſangen, ſo ſollen und wollen Wir alles dasjenige darbey thun, ſo ſich derentwegen gebühret, auch alle und jede Churfürſten, um Ihr Amt zu verſehen, zu ſolcher Crönung erfordern.

VII. Ex quo Germaniae et Lotharingiae regna vnita fuerunt, regulariter peracta eſt Aquisgrani. Siquidem boni ominis, et dignitatis plena res viſa eſt, in antiquiſſimo Francorum ſolo, eaque in vrbe inaugurari Reges, in qua Carolus M. veluti ALTERA ROMA 1) ſedem delegiſſet, in qua ſolium eius 2), et baſilica ab ipſo condita ſupereſſet. Antiquam conſuetudinem confirmauit Aurea Bulla 3).

1) Quo nomine Aquisgranum celebratur ab ALCVINO, in Carm. de Aduentu Leonis ad Carolum.

2) Inde VIPPO in Vita Conradi Salici ſolium Aquisgranenſe *Archiſolium* vocat.

3) Tit. XXVIII. §. 5.

VIII. Ius vngendi conſecrandique Regem, itidem ex antiqua conſuetudine, Aurea Bulla tribuit

tribuit Archiepiſcopo Colonienſi *, in cuius prouincia eſt Aquisgranum.

* Tit. IV. c. 4. *Cui competit dignitas, nec non officium Romanorum Regi primum diadema Regium imponendi.*

IX. Sed aliquoties alio in loco, et ab Archiepiſcopo Moguntino peracta erat Regalis vnctio. Itaque A. 1653. cum Ferdinandus IV. Romanorum Rex, Ratisbonae coronari deberet, orta eſt inter Moguntinum, et Colonienſem, de iure conſecrandi, contentio. Colonienſis ad verba Aureae Bullae prouocans, ex illis inferebat, vnctionem Regalem abſolute ſibi competere, quocunque in loco Rex coronaretur. Moguntinus inſtabat, ex iure prouinciae Eccleſiaſticae id Colonienſi tributum, ſibi vero, vt Primati Germaniae, competere, vbi extra Colonienſem prouinciam coronatio fieret *.

* Conf. Diſſertat. cit. cap. 2. §. 14-22.

X. Quae diſceptatio poſt obitum Imp. Ferdinandi III. A. 1657. d. 25. Iunii, amice compoſita fuit: vt in ſua quisque dioeceſi regem vngat; ſi alio in loco inſtitui ſacra haec contigerit, alternis vicibus iis defungantur, initiumque faciat Moguntinus. Eaque conuentio in Capitulationibus Imperatorum confirmata eſt.

XI. Ad hanc coronationem adhibentur Inſignia Regalia, quae priſca Regum, Populorumque Religio ſacrauit. Ea olim Imperatores in

poteſtate habebant, et, velut pignora Imperii, ſumma cura cuſtodiebant 1). Sed Sigismundus Imperator in Vrbe Noriberga ſtabili cuſtodiae depoſuit 2), vna cum veſtimentis Imperialibus, et ſacris quibusdam reliquiis 3).

1) Hinc prima olim cura nouis Imperatoribus, vt haec inſignia in poteſtatem ſuam redigerent.

2) Aſſenſus eſt ratione ſacrarum reliquiarum, quae vna cum inſignibus ſeruantur, Martinus V. Pontifex.

3) Hae reliquiae, quas arma Chriſti vulgo vocant, hiſce nominibus recenſentur: Mappa, quae in S. coena fuit adhibita; Linteum quo Saluator pedes Apoſtolorum abſterſit; Spina ex corona Saluatoris; Pars ſanctae crucis; Lancea cum clauo; pars praeſepis; Brachium S. Annae; Dens et tunica S. Iohannis Baptiſtae.

XII. [a] Inſignia illa ſunt: coronae duae aureae; altera Imperialis, altera Regni Germaniae: Sceptrum argenteum, globus aureus: annulus Caroli M. et gladii duo. Alter itidem Caroli M. fuiſſe creditur, inſcriptaque habet verba: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat.* Alterum S. Mauricio tribuunt. Ei inſcripta formula: *Benedictus Dominus Deus* *.

* Conf. Diſſertat. citata l. c. §. 23.

XII. [b] Veſtimenta autem Regalia *, quibus ea die amiciri Imperatorem moris eſt, ſunt tunica, alba, et ſtola, quali Clerici vtuntur, itemque zona: Praeterea pallium Phrygii operis, chirothecae, et ſandalia.

* Veſtes has a Romano more ad Germanicam coronationem tranſiuiſſe veriſimile eſt. Carolus M. Francici moris

moris in veſtitu retinens, tali apparatu non vſus eſt, niſi bis tantum, cum Romae eſſet: EGINHARDVS in vita Eius: *Peregrina indumenta, quamuis pulcherrima, reſpuebat, nec vnquam eis indui patiebatur, excepto quod Romae ſemel Adriano Pontifice petente, et iterum Leone ſucceſſore eius ſupplicante, longa tunica et chlamyde accinctus, calceis quoque Romano more formatis vtebatur.* Otto M. quoque veſte Francica inter ſolennia coronationis Aquisgrani vſus eſt.

XIII. Aquisgranenſes quoque ad eam cerimoniam conferunt Lipſana quaedam, acinacem Caroli M. librum Euangeliorum litteris auratis ſcriptum, et capſulam in qua terrae aliquid, ſanguine S. Stephani protomartyris conſperſae: quae ibidem in Eccleſia B. Mariae aſſeruantur.

XIV. Ordinem coronandi *, praeſtat ex actis ipſis cognoſcere. Inprimis notari merentur functiones Archiofficialium. Seculares ſolenni pompa Imperatorem ad templum deducunt. Archimareſchallus gladium, Dapifer globum Imperialem, Camerarius ſceptrum, Theſaurarius coronam praefert. Vnde inſignia horum Archiofficiorum originem trahunt.

* De ordine coronandi Regem in Germania vid. Diſſertat. citat. cap. 2. §. 24.

XV. Eadem die, in epulo quoque regali, vetus Curiae ordo ſeruatur. Imperator, ſiue Rex Romanorum, ſolus accumbit, quod magis ex Romano, quam Germanico more durauit 1). Auguſtae peculiaris menſa, tribus gradibus Im-

periali inferior, in Aurea Bulla adſignatur 2). Electoribus ſua ſingulis menſa. Alia etiam, communis reliquis Imperii, qui forte adſunt, Principibus 3): nec non, in alio conclaui, deputatis vrbium.

1) Carolus M. enim, vt EGINHARDVS auctor eſt, proceres et amicos menſae adhibuit. De Ottone III. demum, vt rem nouam, et minus gratam Germanis notauit DITMARVS L. IV. p. 357. Illum ex Romano more induxiſſe, vt ſolus accumberet. *Imperator*, inquit, *antiquam Romanorum conſuetudinem, iam ex parte magna deletam, ſuis cupiens renouare temporibus, multa faciebat, quae diuerſi diuerſe accipiebant. Solus ad menſam, quaſi ſemicirculum factam, loco caeteris eminentiori ſedebat.* Quanquam et Romani Imperatores non ſemper hunc morem videntur ſeruaſſe, vt conſtat ex epiſtola PLINII, Lib. IV. 22. qua coenam Imp. Neruae, itemque ex epiſtola SIDONII APOLLINARIS, qua conuiuium Maioriani Auguſti deſcribit.

2) Tit. XXVIII. §. 2. Matthias tamen Imperator, et Anna coniux, in die coronationis, eadem menſa vſi ſunt. Idem mos ſeruatus in Solemni coronationis Mariae Amaliae, Imp. Caroli VII. coniugis.

3) Singulare eſt, quod de ordine accumbendi, in coronatione ELEONORAE GONZAGAE, Ferdinandi III. coniugis notauit PFANNERVS, in Hiſtoria Comitiorum etc. Lib. III. §. 75. *Menſae Caeſaris, Auguſtae; atque Regis menſae, dextro a latere vicinae Moguntinus, cum legatis Electorum primae dignitatis aſſedere. A ſiniſtra parte principes vnam; alteram coniuges horum, filiaeque impleuerunt.*

XVI. Tum et Archiofficiales Imperii, ex antiquo more Palatii, in ſpeciem miniſtrantium actus quosdam peragunt, quibus officia ſua, quae olim talia miniſteria reuera continuerunt, adumbrent. Scilicet Archi-Mareſchallus auenam, equo inuectus in aceruum, modiolo argen-

genteo haurit. Archi-Camerarius peluim abluendis manibus porrigit. Dapifer lancem apponit, in qua fruſtum de boue, quem aſſari tum moris eſt. Pincerna primum potum miniſtrat. Archi-Theſaurarius, ex quo inſtitutum eſt hoc officium, miſſilia ſpargit. Eccleſiaſtici Electores, ex vetere formula Archi-Capellani, preces ante et poſt cibum praeeunt.

XVII. Coronationis in Regno Italiae iam ſub Carolingis memoria. Certam tamen formam ab eo tempore videtur accepiſſe, quo poſt mortem Caroli III. (*Craſſi*) Imperatoris, Itali quoque Regem ſuum iterum habuere *.

* Vid. Diſſert. cit. cap. 3. §. 2. ſeq.

XVIII. Patrata legitur interdum Ticini, vbi Regia Longobardorum fuerat: interdum Modoetiae *; plerumque Mediolani, in aede D. Ambroſii.

* De coronatione Modoetiae peragi ſolita, memorabilis eſt locus LANDVLPHI de coronatione Conradi Sueui qui poſt Henrici V. obitum, regnum affectans, Italiam petierat, in Hiſtoria Mediolanenſi, cap. 39. *Anſelmus Archiepiſcopus Mediolanenſis, in caſtellis habitans intellexit, quod Clerus, et populus Mediolanenſis, nobilem principem Conradum, cum eccleſiaſtica pompa, et ciuili triumpho, conueniente regi naturali ſuſcepit. Cum autem Clerus, et populus idem de coronando rege tractaret, pontifex idem Anſelmus a Leuco deſcendit Modoetiam, QVI EST PRIMVS LOCVS CORONAE REGIS ITALIAE* etc. *De caetero ipſe quaſi conſentiens, communi omnium gentium voto, in eccleſia S. Michaëlis, quae eſt Modoetiae, benedixit, et vnxit* etc. *et coronam electo Conrado in feſto S. Petri poſuit* etc.

*Eandem quoque ſolennitatem coronationis idem pontifex, in eccleſia S. Ambroſii, me alibi, non meo vitio detento, celebrauit.* Conf. citatam Diſſertationem c. 3. §. 9. et 10.

XIX. Ius coronandi penes Archiepiſcopum Mediolanenſem, vſusque eſt eo in omnibus coronationibus, quarum certa extat memoria, non Mediolani modo, ſed etiam Ticini, et Modoetiae. Neque ſane praeteriri poterat, vtpote cuius ſacra per Inſubriam iurisdictio eſſet, ac praecipua in agnoſcendis regibus auctoritas *.

* Vid. IBIDEM §. 17. Notari meretur teſtimonium ARNVLPHI, Hiſtorici Mediolanenſis, qui ſeculo XI. floruit, Lib. II. cap. 3. et 4. (inter Scriptores Rerum Italicarum Tom. IV. pag. 15.) Is narrat Anno 1027. in profectione Italica Conradi Salici, inter Archiepiſcopum Mediolanenſem, et Rauennatenſem, vter regem coronandum Pontifici Romae ſiſteret, litem ortam. Tum quid ad haec Conradus, ita perſequitur: *Rex igitur tumultuantium ſtrepitu attonitus, cognita tandem rei veritate, gradum ſcandens, taliter eſt concionatus: Certum quidem eſt, reuerendi patres, quod ſicut priuilegium eſt apoſtolicae ſedis conſecratio Imperialis, ita Ambroſianae ſedis priuilegium eſt electio, et conſecratio Regalis etc.*

XX. Fridericus III. tamen Romae diadema Italici regni a Pontifice accepit. Cum autem reclamarent Mediolanenſes legati, cauit Papa, nihil hoc exemplo iuri et conſuetudini Regni derogari *. Carolus V. Bononiae, Rex Italiae, itidem a Papa, coronatus eſt.

* Vid. tabulas apud RAYNALDVM ad A. 1452. n. 4.

XXI.

XXI. Coronam in Regno Italiae ferream imponi Caeſaribus olim crediderunt; et Henricus VII. cum coronari vellet Mediolani, vetus autem corona amiſſa eſſet, inſiſtens vulgatae famae de corona ferrea, nouam ex chalybe, figura laureae fieri, gemmisque ornari fecit, eaque coronatus eſt *.

*. Diſſert. citat. l. c. §. 21.

XXII. Reuera autem corona, quae Modoetiae aſſeruatur, et Carolo V. impoſita fuit, circulo aureo conſtat. Illum interius ambit tenue ferrum, quod ex clauo, quo Saluator noſter cruci affixus fuit, ita diductum iactant. Et ex eo forte appellatio ferreae originem traxit *.

* Extant de ea IVSTI FONTANINI, et LVDOVICI ANTONII MVRATORII diſceptationes.

XXIII. Ita in Germania atque Italia coronatus Rex Romae denique Imperii decus titulumque ſumebat. Videtur autem coronatio Imperialis, a Caroli M. demum tempore vſitata. Neque enim antiqui Imperatores Chriſtiani eodem ritu inaugurati ſunt. Primum in Oriente cum Marcianus Imperium capeſſeret, requiſitum eſt Patriarchae officium, vt auſpicium Principatus precibus ſacraret *.

* IO. MORINVS in COMMENTAR. de ſacris Eccleſiae Ordinationibus P. I. p. 198. edit. Amſtelod.

XXIV.

XXIV. Nec modo Imperatores aliquot Graeci filiis, nepotibus, aut propinquis, cum eos in ſocietatem Imperii adſciſcerent, ipſi coronam impoſuere, Patriarcha preces fundente 1); ſed etiam in Occidente Carolus M. filium Ludouicum, Aquisgrani, in procerum conuentu, Auguſtum renuntiatum, propriis manibus tollere coronam, capitique imponere iuſſit. Ludouicus iterum ipſe filium Lotharium, Imperatorem, tradita ſimul corona, appellauit 2).

1) Exempla vid. apud MORINUM, l. c.

2) Chronographus Moiſſiacenſis ad A. DCCCXVII. rem prolixe deſcribit. Ad noſtrum argumentum ſpectant verba ſequentia: *Poſt hoc iam dictus Imperator Clotarium, qui erat maior natu, Imperatorem elegit, ac per coronam auream tradidit ei imperium.*

XXV. Poſtea Romani Pontifices inaugurationem imperialem ſibi propriam fecerunt, magno ſuo commodo *. Quandoquidem opportunum maxime petendi, quae vellent, tempus erat, quo aſſenſu Pontificio opus ſe habere Caeſares crederent.

* Innocentius III. inde deducit arbitrium de electo principe, eumque vel reiiciendi vel confirmandi. Id diſertis verbis prodidit, cum Philippus Sueuus, et Otto IV. de regno contenderent: *Sed et Principes*, inquit, *recognoſcere debent, et vtique recognoſcunt, ſicut iidem in noſtra recognouere praeſentia, quod ius et auctoritas examinandi perſonam electam in regem, et promouendam ad imperium ad nos ſpectat, qui eam inungimus, conſecramus et coronamus. Eſt enim generaliter obſeruatum, vt ad eum examinatio perſonae pertineat, ad quem impoſitio manus ſpectat.*

XXVI.

XXVI. Solebat fieri Romae a Papa; aut, cum ipſe abeſſet ab Vrbe, a Legato Cardinale Epiſcopo 1), et regulariter quidem in Baſilica S. Petri 2). Antiquitus ante aram principem vngi ſolebat Imperator, ſed ea cerimonia poſtmodum ad altare S. Mauritii translata fuit 3).

1) Ita Henricus VII. et Carolus IV. a Cardinalibus Legatis Romae coronati ſunt.

2) Vt rem ſingularem notarunt, quod Lotharius II. in eccleſia Lateranenſi coronatus. DODECHINVS. *Imperator de Italia reuertitur, conſecratus ab Innocentio Papa in eccleſia Lateranenſi.* GOTTFRIDVS VITERBIENSIS etiam cauſam addit: *Innocentius Regem Lotharium in Lateranenſi palatio apud S. Saluatorem coronauit. Non enim poterat apud S. Petrum morari propter potentiam Anacleti.*

3) Ordo coronationis ipſe deſcribitur in CHRISTOPHORI MARCELLI Ceremoniali Eccleſiae Romanae.

XXVII. Coronationis Italicae et Imperialis cauſa Imperatores magno cum apparatu ſolebant Italiam petere, quae expeditio ROMANA, (Römer-Zug) praecipuo ſenſu, vocata eſt.

XXVIII. Verum cum iam ſola electio tribuat plenum imperii adminiſtrandi ius *, negligi tandem coepit illa coronatio. Maximilianum, ea non expectata, *electi Imperatoris titulum* ſumſiſſe, alio loco notauimus †. Vltimus Bononiae a Papa Clemente VII. Imperator coronatus eſt Carolus V. Deinde Ferdinandi I. exemplo

emplo omiſſa haec cura. Equidem Electores aliquandiu, ex vetere formula, commendare illam in Capitulatione ſolebant. Sed id quoque a Leopoldi tempore ceſſat.

* Quod iam olim agnouere HOSTIENSIS, IACOBUS de ARENA, aliique Iurisconſulti plures, et poſt LVPOLDVM de BEBENBVRG, et PETRVM ab ANDLO, data opera defendit HIERONYMVS BALBVS, Epiſcopus Gurcenſis.

† Infra cap. 6. §. 9.

XXIX. Praeterea Imperatores Germanici in Burgundia etiam, ex quo illo regno potiti erant, coronari ſolebant 1), ferente ita formula, qua Germaniae vnita fuerat Burgundia. Vnde coronae Regni Arelatenſis mentio in ceremoniali Romano. Conradus Salicus, qui primus Burgundiam acquiſiuit, ſtatim Rex in ea coronatus eſt 2). Idem de filio Henrico III. et de Friderico I. deque Philippo et Friderico II. conſtat. Vltimus Carolus IV. Anno 1365. Arelate, ab illius vrbis Archiepiſcopo, praeſentibus eius regni proceribus eccleſiaſticis, et ſecularibus, coronatus eſt 3). Ab eo enim tempore magis indies, collabente Regni compage, neque coronationi locus amplius fuit 4).

1) GOTTFRIDVS VITERBIENSIS in Pantheo P. XVII. quatuor coronationes Imperatorum hoc ordine recenſet:

Scri-

*Scribere vera volens, quae ſint loca prima coronae,*
*Quatuor Imperii ſedes video ratione,*
*Nomina proponam, ſicut et alta ſonant.*
*Primus* Aquisgrani *locus eſt, poſthaec* ARELATI,
*Inde* Modoetiae *regali ſede locari,*
*Poſt ſolet Italiae ſumma corona dari.*
*Caeſar Romano cum vult diademate fungi,*
*Debet Apoſtolici manibus reuerenter inungi.*

2) VIPPO in Vita Eius: *Imperator Conradus, cum filio ſuo, Rege Henrico, natalem domini in Argentina ciuitate celebrauit. Inde collecto exercitu, per Solodurum Burgundiam intrauit, et veniens ad Paterniacum Monaſterium, in purificatione S. Mariae, a maioribus et minoribus regni ad regendam Burgundiam electus, et in ipſa die pro rege coronatus eſt.*

3) IACOBVS BOVIS in libro de Regia Corona Regni Arelatenſis pag. 350. interfuiſſe huic cerimoniae ſcribit: *Archiepiſcopos Ebredunenſem, et Aquenſem, tum etiam Epiſcopos, Arauſiacum, Maſſilienſem, Vaſionenſem, Tricaſtinum, Diuienſem, Senecenſem, Nicienſem, Vencienſem, Aptenſem, Reienſem et Siſtarienſem.* Sed et Comites Prouinciae, et Sabaudiae, et alios Vaſallos ſeculares interfuiſſe conſtat.

4) De Coronatione Burgundica egi in Diſſertat. de Regali coronatione etc. cap. 5.

CAP.

# CAPVT IV.

## DE MAIESTATE, TITVLIS, ET INSIGNIBVS IMPERATORIS.

*De Autonomia Imperii.* 1.
*Sacrum vnde dicatur?* 2.
*De titulis Imperii: vbi de titulo Imperatoris et Caeſaris.* 3. 4.
*Imperatoris nomen in Occidente renouatum a Carolo M.* 5. *ſeq.*
*De titulo Regis Romanorum.* 8.
*Electi Imperatoris titulus.* 9.
*Horum titulorum, quae hodie ratio?* 10.
*Titulus Imperatoris proprius Principis Romani.* 11.
*Titulus Auguſti.* 12. *item Semper Auguſti.* 13.
*Alia Imperatorum Elogia.* 14.
*De dignitate Imperii: Imperatori primus locus inter principes Chriſtianos.* 16.
*Quo ſenſu caput populi Chriſtiani quandoque dicatur?* 17. *ſeq.*
*De titulo Maieſtatis.* 21.
*De aliis praerogatiuis et ornamentis Imperatori olim propriis.* 22. 23.
*De inſignibus, ſeu teſſera Imperii.* 24. *ſeq.*
*De Sigillis, Bulla Aurea etc.* 25.
*De inſigni aquilae bicipitis.* 28. *ſeq.*

Autonomiam imperii, quod in terris ſuperiorem non agnoſcit, eaque nitentem electionis libertatem, iam ſupra laudauimus *. Supereſt, vt de dignitate ipſius, titulisque Imperatorum, nec non inſignibus, aliquid addamus.

* Vid. ſupra cap. 2. et cap. 3. §. 28.

II. Imperium Romanum inter publicas formulas, et ſtylo curiae, SACRVM dicitur: non modo eo ſenſu, quo omni principatui, velut aliquid de diuinae Maieſtatis caractere trahenti

henti, Sanctimonia ſua conſtat, ſed proprio aliquo elogii decore. Retentum illud videtur ex antiquo more *, quo *ſacratiſſimos et ſanctiſſimos Imperatores, ſacras literas, ſacrum palatium Imperatorum, diuinam domum* etc. appellari legimus †.

* Hoc argumentum erudite tractauit Nobiliſſ. POSTIVS in Diſſert. de diuinis Imperatorum titulis.

† Alia eſt coniectura BOECLERI in Diſſ. cui titulum fecit: *Sacrum Romanum Imperium.* Receptum putat hunc titulum ab Imperatoribus, vt auctoritatem Imperii, aduerſus Pontifices, eccleſiae illud ſubiicere cupientes, aſſererent.

III. Ipſius autem Principis appellatio conſtat titulo Imperatoris, Caeſaris, Auguſti, et qui deinde acceſſit, Regis Romanorum. Imperatoris vocabulum apud Romanos tempore R. P. denotabat ſummam praefecturam militarem. Deinde autem Iulio Caeſari, poſt euerſum Statum Vrbis, tributum eſt, vt Imperatoris titulo, noua et ampliore ſignificatione perpetuo vteretur *: idque et Caeſari Octauiano †, qui primus Auguſtus appellatus fuit, datum. Coepit itaque Principatus Romani titulus eſſe, quod modeſtior videretur regali. Sed mox, vbi Auguſti nomen acceſſit, omni iam humano faſtigio ſublimior habitus eſt.

* SVETONIVS in Iul. cap. 76.

† DIO Lib. LII. p. 473. E. *Imperatoris primum Nomen accepit: non quale propter Victoriam, tribui more vetuſto ſolebat: id enim ſaepius, et ante et poſt reportauit,*

 *ſed*

*ſed quo ſumma Imperii demonſtratur: quod Patri quoque Eius Iulio, Filiis, ac Nepotibus decretum fuerat.* Innuit hic DIO antiquum morem, quo dux exercitus, ob partam de hoſtibus Victoriam, militari acclamatione Imperator ſalutabatur. Is honos deinde Principi habitus, et iteratus, quoties aut ipſe, aut eius auſpicio duces Romani feliciter pugnaſſent. De quo, vt et in genere de titulo Imperatoris, vid. Illuſtriſſ. SPANHEMIVS in Opere de Vſu et Praeſtantia Numiſmat. Diſſertat. XII. p. 392.

IV. Caeſaris vocabulum cognomen familiae, de gente Iulia, primum fuit, ſtirpis, non potentiae indicium 1). Extincta Caeſarum domo, Succeſſores tamen reuerentia illius retinuerunt, et filiis tribuerunt, aut quos alios in ſpem imperii adſciſcerent. Denique promiſcuo vſu ipſum Imperiale faſtigium notare coepit, faleturque Imperator Iuſtinianus, *non alio ſe titulo magis, quam Caeſaris, gloriari* 2). Ab eadem voce, qualem Graeci proferre ſolebant, Germanicum Imperatoris nomen ortum eſt 3).

1) DIO Lib. LIII. *Nam Caeſaris et Auguſti appellatio nihil quidem iis potentiae adiicit; ſed prius quidem ſucceſſionem ſtirpis: alterum vero ſplendorem dignitatis ſignificat.*

2) NOVEL. 30. praef. *qua de cauſa apud omnes terrae populos nominatiſſimum Caeſaris nomen eſt, et nos praeter omnes alias Imperatoriae Maieſtatis notas, eo gloriamur.*

3) Germanicum Kaiſer a Graec. *Καισαρ* formatum probant loca ex Dialecto Gothica, Francica, Anglo-Saxonica apud Cl. WACHTERVM in Gloſſario German. voce *Kaiſer.*

V. Imperatoris nomen in Occidente iterum inſtaurauit Carolus M.* idque etiam Imperatores Graeci ipſi tribuerunt.

* Vnde

* Vnde in Sigillis Caroli M. et Ludouici conſpicitur elogium: RENOVATIO IMPERII ROMANI. Tales exhibet P. MABILLON in Supplemento ad Rem Diplomaticam cap. II. Ibidem et Bulla Ottonis ſiſtitur cum eadem inſcriptione.

VI. Eiusque ſucceſſoribus fruſtra interdum a Principibus Byzantinis lis de eo mota fuit*.

* Vid. Ludouici II. Imperatoris epiſtola apologetica, ad Baſilium, Imperatorem Orientis, ſcripta A. 871. apud ANDR. du CHESNE. T. III. p. 555.

VII. Carolus M. filio Ludouico, Ludouicus Lothario eundem titulum tribuerunt, non requiſita ante Pontificis Romani auctoritate. Otto M. quoque filium cognominem Collegam Imperii adſciuit, ac Romae coronari curauit *.

* Sed tempore Friderici I. nolebat Papa filium Eius Henricum, viuo Patre, Imperatorem coronare. Vnde is electi Imperatoris titulum ſumſit. Certe ipſe Gregorius VIII. in Epiſtola A. 1187. ſcripta appellat eum, *illuſtrem Regem, Electum Romanorum Imperatorem.* Ap. LEIBNITIVM in Codice Iuris Gentium Diplomatico, Prodrom. n. 5.

VIII. Deinde obtinuit, vt Principes in Germania electi, atque coronati, quanquam reuera poteſtatem Imperii iam omnem haberent, Regis Romanorum titulo contenti agerent: Imperatoris demum adſciſcerent, ex quo Romae coronati eſſent *. Eadem erat imperandi auctoritas, ſed in titulis et honorum ſolennibus diuerſa.

* Atque hinc eſt, quod in formulis Diplomatum Imperialium titulos Imperatoris, et Regis, itidemque Imperii, et Regni, quandoque promiſcue vſurpari videas. Exempla notauit P. MABILLON Lib. II. cap. 4. n. 12. Ita et Conradus III. quanquam a Papa non eſſet coronatus, in litteris tamen ad Iohannem, Imperatorem Conſtantinopolitanum, Imperatoris titulo vſus eſt.

IX. Maximilianus I. A. 1508. cum ſuccinctus ad expeditionem Romanam, tranſitu a Venetis prohiberetur, Tridenti nomen electi Imperatoris ſumſit *; probante factum Iulio II. Papa.

* Eodem titulo iam vſum fuiſſe Henricum VI. viuo Patre Friderico, obſeruaui ad praecedentem §. VII.

X. Ab eo tempore Imperatores ante coronationem Germanicam Reges Romanorum vocantur *: ea peracta Imperiali titulo ſtatim vtuntur. Regis autem Romanorum appellatio propria manet Principibus, qui ſubinde viuo Imperatore, in ſpem ſucceſſionis eliguntur.

* Vid. exempla in actis quibusdam publicis Imp. Caroli VI. et Caroli VII. antequam coronati eſſent, confectis.

XI. Caeterum Imperatoris titulus ſemper proprius habitus eſt Romanorum Principis: licet interdum exteri Reges nonnulli a ciuibus ſuis eo honorati legantur, aut ipſi illum ſibi arrogaverint 1). Immo Ferdinando, Caſtellae et Legionis Regi, hunc titulum ſibi aſſerenti, contradixit Henricus III. vtque eo abſtineret, auctoritate Papae, et Concilii Turonenſis, peruicit 2).

1) Ita

1) Ita Adelfonſus, quod Arragoniae et Galeciae regna teneret, totius Hiſpaniae Imperator dici voluit. Conf. MABILLON de Re Diplomat. L. II. c. 4. Pro titulo Imperatoris, quem PETRVS, Monarcha Ruſſorum, aſſertum iuit, extat Diſſertat. V. CL. EBERHARDI OTTONIS. In contrariam partem extat F. L. B. D. D. N. Bedenken, ob der Kaiſerliche Titul unbeſchadet Kaiſerlicher Majeſtät, und des Römiſchen Reichs allerhöchſter Würde, dem Czaaren von Rußland communiciret werden könnte? A. 1722. Agnitus tamen nuper in Germania Ruſſici Imperii titulus.

2) Vid. COMMENTAR. de Rebus Imperii V. 42.

XII. Auguſti nomen 1), ſiue ab augurio, ſiue augendo, (quod verbum et ipſum ex diſciplina ſacrorum fuit) ſumtum, Senatus Caeſari Octauiano honoris cauſa dedit, habitumque eſt maximum inter humana faſtigia 2).

1) De titulo Auguſti vid. EZ. SPANHEMIVS l. c. p. 371. ſeq.

2) SVETONIVS in Auguſt. cap. 7. *Cum quibusdam cenſentibus Romulum appellari oportere, quaſi et ipſum conditorem vrbis, praeualuiſſet, vt Auguſtus potius vocaretur, non tantum nouo, ſed etiam ampliore cognomine. Loca quippe religioſa, et in quibus augurato quid conſecratur Auguſta dicuntur, ab* auctu, *vel ab* auium geſtu, guſtuue. Quae de ortu vocis Auguſti hic SVETONIVS, ea illuſtrantur ex loco OVIDII Faſtorum I. v. 609.

*Sancta vocant AVGVSTA Patres: AVGVSTA vocantur*
*Templa, Sacerdotum rite dicata manu.*

XIII. Inprimis autem retentus eſt a Germanicis Principibus Titulus SEMPER AVGVSTI, 1) maxime a Friderici I. tempore, velut aeque proprius iis, ac Galliae Regibus Chriſtianiſſimi, aut Hiſpaniae Catholici cognomen. Adeoque

in tractatibus de Pace Veſtfalica, cum Gallici legati, de eo ſcrupulum mouiſſent, vicit tamen conſuetudinis auctoritas 2). Germanice iam pridem vertitur Mehrer des Reichs: quae interpretatio, illiteratis temporibus formata, ſtylo curiae nihilominus obtinuit.

1) Iam reperitur in elogio Septimii Seueri, deinde a Diocletiani aeuo *Perpetui Augusti* titulus inualuit. Iuſtinianus Semper Auguſtum ſe appellauit. Carolus M. eodem elogio paſſim vtitur.

2) Conf. PFANNERI Hiſtoriam Pacis Veſtfal. L. V. §. 96. et 98. it. THEATRVM EVROPÂEVM Tom. VII. p. 568.

XIV. Etiam alia veterum Imperatorum elogia 1) Pii, Felicis, a Deo coronati 2), Chriſtianiſſimi, etc. 3) Principibus Germanicis quondam tributa ſunt; ſed nullum magis quam Inuictiſſimi 4) placuit.

1) De titulo Pontificis maximi, veterum Imperatorum, erudite egit Praeſes BOVHIERIVS. Eo etiam Chriſtiani aliquot Imperatores vſi leguntur, conf IAC. GOTHOFREDVS in Diſſ. de Interdicta Chriſtianorum cum Gentilibus Communione p. 31.

2) PII, FELICIS etc. A DEO CORONATI elogium, Imperatoribus Graecis vſitatum, Carolus M. etiam, et Ludouicus Pius adhibuerunt.

3) Imperatorem CHRISTIANISSIMVM iure dici poſſe, deducit BEBELIVS ſingulari libello apud SCHARDIVM T. I. p. 254.

4) Tiberium INVICTVM appellari voluit Senatus. Vid. SVETONIVS in Vita cap. 17. Carolus M. paſſim ita appellatur, de quo vid. MABILLON de Re diplomat. L. II. c. 3. §. 11. Idem elogium in diplomatibus Ottonum, et ſequentium Imperatorum occurrit.

XV.

XV. Regni Germaniae titulum, qui diu ſub Imperiali appellatione comprehenſus fuerat *, Caeſareo adiecit Maximilianus I. Forte, vt eo melius oſtenderet, Germaniam proprium Statum ſuum ſeruaſſe. Idque ab eo tempore conſtante vſu retentum eſt.

* Iam olim Otto M. appellatus eſt *Rex Lotharienſium et Francigenum* in diplomate ap. AVB. MIRAEVM, inter Diplomata Belgica cap. 18. Alios etiam, ante Maximilianum, Reges Romanorum paſſim vocari Reges Francorum, Reges Teutonicos, aut Alemanniae, legimus. Sed ſtylo Curiae primus Germaniae titulum recepit Maximilianus.

XVI. Imperator Romanus primum 1) dignitatis locum inter Reges 2) Chriſtianos habet. In eius praerogatiuae communionem merito venit Germania, ſemper libera ab exterorum dominatione, et Francici Regni nobiliſſima propago.

1) Neque hoc vnquam ab aliquo Principe in dubium vocatum. Adeo inſignior impudentia fuit AVBERII, qui librum edidit de praecedentia Regum Franciae ante Imperatorem et Regem Hiſpaniae: itemque CAROLI SORELLI, cuius extat libellus: *De la Preſeanſe de l'Empereur ſur les Rois, et qu'il ne la doit point avoir ſur le Roi de France:* Inſertus eſt libro ipſius, cui titulus: *Divers Traitez ſur les Droits et les Prerogatives des Rois de France.* Pariſ. 1666. 12.

2) Sed etiam Iohannes Palaeologus, cum ad Vrbanum Papam A. 1369. veniſſet, non eodem honore, quo ſolebat Imperator Occidentis, exceptus eſt. AVCTOR Vitae Vrbani V. ap. BALVZIVM in Vitis Paparum Auenionenſium p. 388. *Anno 1369. ad Vrbanum Papam Romae exiſtentem acceſſit Iohannes Palaeologus, Imperator*

*Graecorum; fuitque receptus honorifice, ac tractatus per dictum Papam, et Cardinales, paulo minus, quemadmodum ſi fuiſſet Imperator Romanorum.*

XVII. Ante diſſidia ſacrorum, Seculo XVI. exorta, gentium quaedam Chriſtianarum veluti communis Reſpublica habita fuit, cuius caput in ſacris Papa Romanus cenſebatur, in ſecularibus, quantum quidem ad commune Chriſtianorum bonum opus eſſet, Imperator *: ſalua caeteroquin reliquorum Principum libertate, atque in regnis ſuis auctoritate.

* Vid. LEIBNITIVS in Praefat. ad Codicem Iuris Gentium Diplomaticum. Add. HVG. GROTIVS de I. B. et P. Lib. II. cap. 15. §. 12.

XVIII. Vnde formula originem traxit, qua Imperatoribus dominium orbis, aut populi Chriſtiani, quandoque tribuitur: quodque in Aurea Bulla paſſim vocatur *temporale caput populi Chriſtiani *:* itemque in Receſſu Imperii de A. 1530. der Oberſte Voigt der Chriſtenheit.

* Tit. II. §. 3. et 4.

XIX. Inprimis in expeditionibus cruciatis, aliisque aduerſus infideles bellis, ad Imperatorem praecipua cura ſpectare viſa, eoque ſenſu, *dux natus populi Chriſtiani* iure meritoque dictus eſt *.

* Itaque Pius II. Papa, cum bellum in Turcas, ad recuperandam Conſtantinopolin, moliretur, Friderico Imperatori,

tori, Mantua d. 20. Ianuar. A. 1460. ſcribit, ad ipſum ex iure Imperii pertinere, vt toti exercitui Chriſtiano praeſit. *De duce*, inquit, *ad tantum bellum cogitantibus, Tu nobis occurriſti, cui tantum munus ex officio Imperiali debitum cenſeatur, cui omnes gentes parere, et ſubeſſe non dedignentur.*

XX. Huc referri poſſet, quod Reges Chriſtiani, cum concilio generali opus eſſe exiſtimarent, Imperatoris curam praecipue excitauerunt.

XXI. Olim ſolennis Maieſtatis titulus ſoli Imperatori credebatur deberi 1), neque ab Imperatore, aut Germaniae Statibus, Regi cuipiam adſcribebatur 2). Sed deinde Hiſpaniae primum, tum et aliis Regibus tribui coepit 3).

1) Vid. MABILLON l. c. L. II. cap. 7. §. 6. p. 187. Ita in Tractatu inter Reges Angliae et Galliae inito ad Stapulas A. 1492. Rex Galliae Chriſtianiſſimus appellatur, alii Reges Sereniſſimi, ſoli Imperatori titulus *Sacrae Maieſtatis Imperialis* adſcribitur.

2) Faciunt huc verba ex D. Leopoldi litteris reſponſoriis A. 1685. Ruſſico Miniſtro traditis, quibus tum excuſabat, quod Maieſtatis titulum Monarchis Ruſſicis non tribueret: *Vt autem Maieſtatis titulus, Serenitatibus Veſtris, etiam per litteras noſtras Caeſareas adſcribatur, adeo extra Noſtram eſt poteſtatem, tantique in Imperio Romano momenti, vt ſine eius Electorum, Principum et Statuum offenſione nec minui, nec a Romano Imperatore cum Regibus communicari queat: vtpote vnico Imperiali faſtigio, ad quod nos ſoli in Orbe Chriſtiano per diuinam clementiam euecti ſumus, ab omnibus mundi rectoribus, tot abhinc ſaeculis, ſine viciſſitudine, ſumma ſemper cum veneratione debitus, ac attributus. etc.* Vid. Litteras in CL. PFEFFINGERI notis ad VITRIARII Lib. I. tit. 5.

3) Inter Tractatus de Pace Veſtfalica Imperiales titulum

Maieſtatis tribui Imperatori a Gallis volebant: neque tamen ipſi eundem Regi Galliae reddere. Quae tum diſputata in vtramque partem, vid. *dans les Negotiations touchant la Paix de Munſter* Tom. III. p. 269. et 270.

XXII. Fuerunt olim et aliae plures Auguſtalis faſtigii praerogatiuae, pluraque ornamenta, et inſignia propria. Huc referas ius appellandi Reges 1), ſaepe etiam ab Imperatoribus Germanicis exercitum: item ritum praeferendi ignis 2), quodque, qui ſalutandi cauſa Caeſarem accederent, pronos ſe in terram proiicerent 3).

1) De more appellandi Reges HOTTOMANNVS in Orat. Cicer. pro Manilio.

2) ESCHENBACH de Ritu praeferendi ignem apud Auguſtos.

3) De Iuſtiniani aeuo vid. Geſchichte der Teutſchen XI. 57.

XXIII. Sic et purpura olim inter ornamenta Imperatorum propria fuit, et corona clauſa, nec non globus ille aureus, quo terrarum orbem repraeſentare voluerunt. Sed alii Reges imitati, et corona clauſa vtuntur, et globum aureum inter regalis pompae ſymbola adhibent.

XXIV. Inſignium quoque nomine veniunt * notae, ſiue teſſerae, quibus Principes in armis, vexillis, moneta, ſigillis, aliisque publicis monumentis vtuntur. Cuius vſus quidem antiqua ſunt veſtigia. Recentiori tamen aeuo magis excultus eſt. Hoc ſenſu veteris Imperii inſigne dixe-

dixeris Aquilas, quae ferri in exercitu ante legiones ſolebant.

* Alio ſenſu ſumta Inſignia Imperii recenſui ſupra Cap. 2. §. 12.

XXV. Conſtantinus M. labarum 1) ſubſtituit, vexilli genus, in crucis formam efformatum, et Monogrammate nominis Chriſti inſigne 2). Idque Imperatorem ſemper praecedere, et in exercitu a fortioribus clarioribusque militibus ſtipari praecepit 3). Vnde poſtea inter ipſa quoque Symbola poteſtatis Imperialis locum accepit 4).

1) Labarum ita deſcribit CAROLVS DV CANGE in Gloſſario Mediae Latinitatis: *Signum militare penſile, ex panno aut ſerico confectum, fimbriis ac aliis ornamentis inſtructum, et transuerſario antennae ſpecie ligno affixum, a ſuprema conti parte pendens.* IDEM ſuſpicatur Labarum fuiſſe veterum Germanorum, Dacorum, Pannoniorum vexillum, et ab illis Gentibus demum ad Romanos perueniſſe.

2) PRVDENTIVS contra Symmachum Lib. I.
*Chriſtus purpureum ſignanti textus in auro*
*Signabat LABARVM.*

3) AVCTOR Vitae Conſtantini Lib. II. cap. 8. et SOZOMENVS L. I. cap. 4. conf. Geſchichte der Teutſchen L. VI. §. 20. Huc referunt Viri docti *Praepoſitos Laborum*, quorum in Codice Theodoſiano et Iuſtinianeo mentio fit, atque pro *Laborum*, ex IAC. CVIACII coniectura, *Labarorum*, legi malunt.

4) Memorabilis eſt locus SOZOMENI L. IX. Cap. 4. de Stilicone, profectionem adornante, ad conſtituendum Theodoſii iunioris imperium: *Ipſe vero altero ex ſceptris, quod Romani LABARVM vocant, accepto, vna cum Imperatoris literis, quibus orientalis expeditio ipſi committebatur, proficiſci iam parabat, ſumtis ſecum quatuor legionibus.*

XXVI.

XXVI. Pro ſigillo autem Romani Principes vſi ſunt annullo, et gemmae ſculptura, quae cuivis placuiſſet. Ita e. g. Auguſtus Sphingis ſigno vſus legitur *.

* SVETONIVS in Auguſto Cap. 50. *In diplomatibus, libellisque et epiſtolis ſignandis initio Sphinge vſus eſt, mox imagine Magni Alexandri: nouiſſime ſua, Dioſcoridis manu ſculpta, qua ſignare inſecuti quoque Principes perſeuerauerunt.* DIO Lib. LI. *Qua quidem et Imperatores inſecuti, Galba excepto, vſi ſunt. Is enim canem ex prora nauis proſpectantem, ſignum a Maioribus ſuis acceptum, vſurpauit.*

XXVII. Quaenam veteres Germaniae populi, 1) Franci 2) praeſertim, vel Saxones 3), huius generis habuerint inſignia, incertum eſt. Reges certe Francorum, annulo, cui propria imago inſculpta, ad ſignandas tabulas publicas, vſi ſunt 4).

1) De Signis militaribus veterum Germanorum TACITVS Germ. 7. *Effigiesque, et Signa quaedam detracta lucis in praelium ferunt.* Et Hiſt. IV, 22. *Hinc veterum cohortium ſigna, inde depromtae ſiluis lucisque ferarum imagines, vt cuique genti praelium inire mos eſt.* In ſpecie de Cimbrorum Tauro aeneo egi in den Geſchichten der Teutſchen L. II. §. 13.

2) De veterum Francorum Regum inſignibus vid. HERTIVS in Notitia Regni Francorum Veteris cap. IV. §. 12. vbi reiicit, quae CHIFLETIVS in Anaſtaſ. Childerici c. 11. pro apibus aureis, inſigni veterum Regum Francorum, attulerat: de liliis autem iis aſſentitur, qui negant, ſe vlla in ſigillis Regum Franciae, ante Philippum Auguſtum, vidiſſe.

3) VIDECHINDVS Saxonum inſigne nobis depingit, vbi expeditionem narrat aduerſus Hermanfridum, Thuringorum Regem. Hathagaſtum enim, Saxones ad rem forti-

fortiter gerendam adhortantem, ita repraeſentat: *Arripiens ſignum, quod apud eos habebatur ſacrum, Leonis atque Draconis, atque deſuper aquilae volantis, inſignitum effigie.*

4) De vexillis veterum populorum Germanicorum conf. Geſchichte der Teutſchen XVI. 38.

XXVIII. Succeſſit vſus Sigillorum. Diplomatibus quidem, quibus maioris momenti res continebantur, ſigilla ex ſolido auro, (vnde Aureae Bullae vocata ſunt) appendi ſolebant: reliquis ex cera. In ſigillis hiſce imagines Regum et Imperatorum repraeſentantur: quod etiam alii Principes Imperii imitati ſunt.

XXIX. Caeterum Germani Principes, ex quo Imperio Romano potiti ſunt, Romanam etiam auem, tanquam inſigne Regni, in vexillis *, in clypeis, numisque, et aliis publicis monumentis, adhibuerunt.

* Conf. COMMENTARIOS de Rebus Henrici V. Lib. III. 57. Vexillum Ottonis IV. Imperatoris, in praelio ad Bouinas An. 1214. commiſſo, ita deſcribit RIGORDVS de geſtis Philippi Auguſti, ad h. a. *Pro vexillo erexerat aquilam deauratam, ſuper draconem, pendentem in pertica oblonga, erecta in quadriga.*

XXX. Demum inde efformari coepit *, quae nunc pro inſigni, ſiue teſſera Imperii eſt, aquila biceps nigra, expanſis in coelum alis, in campo aureo.

* In Edicto monetali de A. 1559. §. 10. dicitur des Reichs-Adler mit zwey Köpfen.

XXXI. Hanc aquilam bicipitem, ſiue iam efformatam primum conieceris ex gemina illa, quae in vetuſtioribus ſigillis paſſim conſpicitur, ſiue hieroglyphici quid quaeſiueris in figura, qualem non fert natura, haud multum intererit. Inter Imperatores Orientis iam Seculo XIII. bicipiti Aquila vſus eſt Theodorus Laſcaris 1). In Occidente ea vſi ſunt Ludouicus Bauarus, et Carolus IV. Sub ſequentibus Imperatoribus promiſcuus Aquilae ſimplicis, bicipitisue vſus, vsque ad Carolum V. fuit. Ab illo tempore bicipitem conſtanter Imperatores, ſimplicem Reges Romanorum, in vſu retinuerunt 2).

1) Vid. BANDVRI Imper. Orient. T. II. p. 767.
2) Conf. Cl. TREVERI Diſſ. de vera origine Aquilae bicipitis Imperii.

XXXII. Hiſce Imperii titulis, atque inſignibus, Imperatores regnorum, et prouinciarum, quas hereditario iure poſſident, titulos, atque teſſeras addere ſolent: cuius moris initia ſub Sueuicae Domus Principibus reperiuntur.

CAP.

## CAP. V.

# DE REGE ROMANORVM QVI VIVO IMPERATORE ELIGITVR.

*Electio Regis Romanorum, viuo Imperatore, vnde orta? 1. 2. Imperatorum, atque Principum circa eam conſilia? 3. Dubitatum aliquando, vtrum R. P. expediat? 4. Lites de ea, tempore Tractatuum Pacis Veſtfalicae. 5. Cauſa haec vt per Capitulationem nouiſſimam definita? 6. De poteſtate et dignitate Regis Romanorum, viuo Imperatore. 7. ſeq.*

Obtinet praeterea mos in Germania, vt, quando rationes Reipublicae poſtulant, Imperatore ſuperſtite, Rex etiam Romanorum 1) eligatur 2).

1) De titulo Regis Romanorum, Imperatoribus ipſis, antequam Auguſtalia inſignia ſumſerint, tribui ſolito, vid. Cap. praeced. §. 8. et ſeq.

2) Conf. HOFFMANNI Diſſ. de Rege Romanorum, viuo Imperatore electo.

II. Scilicet vt olim Romani Principes filios, quos ad ſpem Imperii admouere volebant, Caeſaris titulo exornabant: ita Francici etiam Reges, atque Imperatores, cum filiis regium nomen, et ius communicare ſolebant.

III. Qui mos in Imperio Germanico, ſub Saxonicis quoque, Francicis, et Sueuicis Principibus, diu continuatus fuit, eaque ratione Reges familiae ſuae conſulebant, et Proceres interregni mala auertebant.

IV.

IV. Tandem vero aduerſus fere electionis libertati videri coepit *, adeoque in dubium vocatum eſt, liceatne viuo Imperatore Regem Romanorum eligere? Inprimis ea res in diſceptationem venit, cum Imper. Carolus V. fratrem Ferdinandum Regem eligendum curaret. Tum quidem, per transactionem Cadani, inter Ferdinandum, et Electorem Saxoniae initam, conuenit, vt quoties in poſterum eligendus Rex, viuo Imperatore, fuerit, Electores ante conueniant, et vtrum iuſtae ſatisque graues cauſae adſint, conſultent.

* Satis conſtat, quam arduum fuerit Imp. Carolo IV. Regium nomen obtinere pro Wenceslao filio.

V. Sed tempore tractatuum de Pace Veſtfalica controuerſia recruduit: eiusque diſceptatio tum ad comitia remiſſa fuit *.

* Art. VIII. §. 3. Quid in ſubſequentibus comitiis actum vid. in MEDITATIONIBVS ad Inſtrumentum Pacis p. 948. ſeq.

VI. Definita demum in capitulatione D. Caroli VI. vbi Electoribus ius eligendi Regem Romanorum, viuo Imperatore, ſi Reipublicae neceſſitas poſtulet, confirmatur, ita, vt ipſo Imperatore auctore, aut ſaltem conſentiente, inſtituatur electio; vel inuito etiam, ſi ſine iuſta cauſa diſſenſerit *.

* Capitulat. Carolina art. III. Nachdem von Churfürſten und Fürſten ohnlängſt zu Regensburg, nach Anleitung articuli octaui Inſtrumenti Pacis, von der Wahl eines Römi=

Römiſchen Königs, bey Lebzeiten eines erwählten Römiſchen Kaiſers gehandelt, und verglichen worden, daß die Churfürſten nicht leichtlich zur Wahl eines Römiſchen Königs, viuente Imperatore ſchreiten, es wäre dann, daß entweder der erwählte und regierende Römiſche Kaiſer ſich aus dem Römiſchen Reich begeben, und beſtändig oder allzulang aufhalten wollte, oder derſelbe wegen ſeines hohen Alters oder beharrlicher Ohnpäßlichkeit, der Regierung nicht mehr vorſtehen könnte, oder ſonſt eine anderwärtige hohe Nothdurft, daran des Heil. Römiſchen Reichs Conſervation und Wohlfahrt gelegen, erfordette, einen Römiſchen König, noch bey Lebzeiten des regierenden Kaiſers zu erwählen, und dann, daß in ſolchen ein und andern angeregten, wie auch erſtgedachten Nothfall, die Wahl eines Römiſchen Königs durch die Churfürſten, mit oder ohne des regierenden Kaiſers Conſens, wenn derſelbe auf angelegte Bitte, ohne erhebliche Urſache verweigert werden ſollte, vorgenommen, und damit der güldnen Bull, auch ihrem von dem H. R. R. tragenden Amt und Pflichten nach, von ihnen allerdings frey, und ohngehindert verfahren werden ſolle, ſo wollen und ſollen Wir dieſen, der Churfürſten und Fürſten unter einander verabfaſſeten Schluß, wie hiemit beſchiehet, für genehm, und uns deme gemäß und conform, halten. Conf. CL. WIDEBVRGII Liber de Libertate Electorum in eligendis Regibus Romanorum.

VII. De poteſtate Regis Romanorum, viuo Imperatore electi, quid ſentiendum ſit, ex intentione Electorum, et Capitulationibus conſtare debet. Plerumque animus eſt certum Imperatori ſucceſſorem deſignare, qui etiam, ſi res poſtulet, Vicario nomine regni negotia adminiſtret.

VIII. Itaque confertur Regi Romanorum certum ius ſuccedendi, et ſumma in Imperio poſt Imperatorem dignitas 1). Quamobrem in Receſſibus Imperii quandoque appellatur alterum

Imperii caput. Semper Auguſti elogio vtitur: Maieſtatisque titulo ab Ordinibus Imperii compellatur. Ex antiquo diſcrimine, quod fuit inter Imperatorem Regemque Romanorum, durat, vt pro inſigni aquila ſimplice, et in diplomatibus, ſigillo tantum, non bulla vtatur 2).

1) Diſputatum a nonnullis, vtrum Regi Romanorum, viuo Imperatore, locus ante reliquos Reges Chriſtianos competat? Praeiudicium eſt in Hiſtoria Concilii Tridentini.

2) Vid. HERTIVS in Diſſ. *de Fide diplomatum Germaniae Imperatorum* etc. Sect. II. vbi inquirit, in quo diplomata Regum Romanorum, a diplomatibus Imperatorum, ratione formae, differant? Sed conferri meretur HOFMANNVS l. c. p. 20.

IX. Inde ſolent cauere Reges in capitulationibus, quod viuo Imperatore nolint negotia regni attingere *, niſi ab ipſo fuerint demandata. Neque vlla inueſtitura ab iis petitur, quod eſt maximum inter ſummam Imperii poteſtatem, et Status eiusdem, vinculum.

* Vid. Capitulationem D. Ioſephi art. 47. Similis cautela in Capitulat. Rudolphi II. art. 32. et Ferdinandi IV. art. 47.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# CAP. VI.

# DE AVGVSTA, SIVE IMPERATRICE, ET REGINA ROMANORVM.

*Imperatricis Status, a Statu Auguſtae apud Veteres Romanos differt.* 1.
*Olim Reginae in Francico Regno partem in adminiſtranda R. P. habebant.* 3.
*Imperatricis, ſiue Reginae Romanorum locus in Curia, et ſollenni proceſſione.* 4.
*Praerogatiuae Eius: vbi de Coronatione Eius.* 5. *Officiales Auguſtae: Abbas Fuldenſis Archi-Cancellarius.* 6.
*De Titulo Archi-Capellani Abbatis S. Maximini.* 8.
*Abbas Campidunenſis Archi-Mareſchallus.* 9.
*De Iuribus ſingularibus Imperatricis.* 10.

Auguſtam dignitatem Imperatoris, et Regis Romanorum vxores quoque participant. Qua in re diuerſitas aliqua eſt a conditione Auguſtarum in vetere Imperio. Neque enim nomen illis Auguſtae ſtatim ex connubio obtingebat; ſed ſingulari ritu tribui ſolebat 1). Neque proprium erat Vxoribus Imperatorum, ſed interdum et matri deferebatur, et ſorori, aut filiae, etiamſi priuato nupſiſſet 2).

1) De Claudio Imp. teſtatur DIO L. XX. p. 673. B. *Vtebatur omnino ea moderatione, vt nato quoque ſibi filio, qui tum quidem Tiberius Claudius Germanicus, poſt Britannicus appellatus eſt, nihil ſplendide egerit: ac neque ei Auguſti, neque Meſſalinae Auguſtae nomen dari paſſus ſit.*

2) CAPITOLINVS in Vita Marci Antonini, Cap. 20. *Filiam ſuam non decurſo luctus tempore, grandaeuo equitis Romani filio, Claudio Pompeiano dedit, genere Antiochen-*

*tiochenſi, nec ſatis nobili quem poſtea bis Conſulem fecit, quum filia eius Auguſta eſſet, et Auguſtae filia.*

II. Ita obtinebant Auguſtalis Dignitatis ornamenta 1), et priuilegia 2). Succeſſu temporis Rempublicam quoque palam attingere fas fuit, vti docent exempla Pulcheriae in Oriente, Placidiae in Occidente, et maxime Theódorae, Vxoris Iuſtiniani 3).

1) Talia ſunt e. g. Imagines in numis, Conſecratio etc.

2) Princeps eadem illi priuilegia tribuebat, quae ipſe habebat l. 31. ff. de legibus, item l. 6. §. 1. D. de Iure Fiſci.

3) An Auguſta exaequaretur Principi, *ſub Iuſtiniano?* disquirit PAGANINVS GAVDENTIVS in Lib. de Seculi Iuſtinianei moribus P. II. cap. 11.

III. Apud Germanos, et maxime in Francorum Regno, Regina in partem regendae Reipublicae veniebat. In ſpecie fiſcus, et domeſticum decus ad curam eius pertinebat 1). Qui mos non ſub Carolingis modo, ſed etiam ſub Saxonicae, et Salicae Stirpis 2), et ſequentibus etiam Principibus viguit.

1) Ita de Ludouico Pio AGOBARDVS, Lugdunenſis epiſcopus, in Apologia pro filiis Ludouici §. 8. Operum T. II. p. 61.) *Cum Chriſtianiſſimus et piiſſimus Imperator, Dominus Ludouicus, bonae Coniugis, fide et moribus ſibi congruentis conſortium amiſiſſet, neceſſe fuit, vt aliam ſibi acciperet, quae ei poſſet eſſe adiutrix in regimine, et gubernatione Palatii, et Regni.* Add. ibid. §. 5. et 9.

2) Quare et Otto M. Adelheidem aliquoties CONSORTEM REGNI appellat. Et Otto II. filius conſilio matris ſe agere profitetur, in foedere cum Venetis inito. Idem in diplomate de A. 973. de coniuge Theophania, ap. LEIBNITIVM Rerum Brunſuicenſ. T. II. *Dilectiſſimae coniugi noſtrae* THEOPHANV COIMPERA-

PERATRICI AVGVSTAE, NEC NON IMPERII REGNIQVE CONSORTI.

IV. Vnde etiam in Curia, immo in Concilio 1) locus Auguſtae fuit. Itaque in Aurea Bulla adhuc locus, in ſollenni Curiae proceſſione illi aſſignatur 2).

1) Vid. Acta Concil. Pontigonenſis ſub Imp. Carolo Caluo.

2) Tit. XXVI. *Imperatrix etiam vel Regina Romanorum, ſuis Auguſtalibus amicta, poſt Regem vel Imperatorem, et etiam poſt Regem Bohemiae, qui Imperatorem immediate ſubſequitur, competentis Spatii interuallo, ſuis aſſociata proceribus, ſuisque comitata Virginibus, ad locum ſeſſionis procedat.*

V. Quanquam autem vetus illa adminiſtrandi regni ratio penitus mutata ſit, durauit tamen coronatio Auguſtarum: et Ius primariarum precum in coenobiis Virginum *.

* DEINLINVS de Iure Primariarum precum Imperatricis Auguſtae.

VI. Durant etiam tituli Officialium Palatinorum. Archi-Cancellarius Auguſtae eſt Abbas Princeps Fuldenſis 1). Hunc titulum, antiquitus competentem 2), quamuis forte periiſſent tabulae veteres, quibus primum tributus eſſet, Carolus IV. A. 1358. Henrico Abbati, ſingulari diplomate renouauit 3).

1) De Imperatricis Cancellaria et Archiuo egit IAC. BERNH. MVLTZIVS in Repraeſentatione Maieſtatis Imperatoriae, quod Caput in Collecta ſua transtulit WENCKERVS p. 109. Sed palmam ferunt CL. HEVMANNI Commentarii de Re Diplomatica Imperatricum Auguſtarum.

2) In Origines inquiſiui in Diſſ. de Originibus Archi-Officiorum aulicorum in S. R. Imperio §. 59.

 3) Quod

3) Quod ex autographo, accurate editum vid. in D. VLRICI Diſcurſu de Archi-Cancellariatu et Primatu Abbatis Fuldenſis. Add. Dn. WALDSCHMIEDT de Auguſtae Imperatricis Archi-Cancellario.

VII. Addidit titulo priuilegium, vt Abbates, *quoties Imperatricem, ſeu Reginam Romanorum coronari, aut in veſte Imperiali ſeu Regia ſedere, vel ſtare contigerit, coronam, quoties more vel ordine poſcente, a capite ipſius deponi debuerit, et deponendi eam ac tenendi, et etiam reponendi quoties neceſſe fuerit, officiis fungantur.* Partibus his in coronatione Auguſtarum diuerſis vicibus functi leguntur Abbates *.

* Ita Ioannes Fridericus, Abbas, Francofurti, An. 1612. cum Anna Imperatrix, Matthiae Aug. Coniux, inauguraretur, munere ſuo functus eſt. Cum An. 1636. in Mariae Hiſpanicae, Ferdinandi III. Regis Romanorum, Coniugis inauguratione, vices illas obiiſſet Abbas Murbacenſis, Fuldenſi id fraudi non fore, cautum fuit. Ioachimus Abbas iterum 1653. Ratisbonae, in coronatione Mariae Eleonorae, partes ſuas tuitus eſt. Extant quoque litterae D. Leopoldi, Principem Fuldenſem, ad ſollennia coronandae Imperatricis, vt Archicancellarium eiusdem, inuitantis: item tabulae Abbatis, quibus cauere voluit, ne, quod tum Archi-Epiſcopus Colonienſis et Treuirenſis munus ipſi debitum peregiſſent, noxio exemplo ſit.

VIII. Abbas S. Maximini, prope Treuiros, vocatur Archicapellanus Auguſtae. Hoc monaſterium olim Reges, Imperatoresque Romani, Reginis ſaepe in dotem dederunt 1), inque dotalibus iſtis tabulis iubentur Antiſtites in Curia Regia, Reginis inſeruire ad capellam, et ad menſam. Titulum Ferdinandus II. A. 1626. confirmauit 2).

1) Tabulas Ottonis I. Henrici III. et Henrici IV. protulit Zylle-

Zyllesius. Memorabilia ſunt verba Ottonis: *Adelheidam coniugem noſtram dilectiſſimam, cum Abbatia S. Iohannis Euangeliſtae, quae in ſuburbio Treuirorum ſita eſt, vbi S. Maximinus, pretioſiſſimus confeſſor, corpore quieſcit, cum omnibus eccleſiis, et poſſeſſionibus, ad eam in quibuscunque locis iuſte, et legaliter pertinentibus, ſicut antea cum nuptiali foedere, et regali conſecratione eam nobis aſſociaremus in regnum vltra montes in Galliae partibus, ita nunc et in hac Romana vrbe, ſanctiſſimo viro, Iohanne ſummo et vniuerſali Papa, B. Petri Apoſtoli vicem gerente, per apoſtolicae ſuae auctoritatis priuilegium confirmante, cum praefata Abbatia, ſicut primitus in Regnum, ita et nunc in Imperium dotamus, ſublimamus, et corroboramus.*

2) *Abbas ſicut ſub diuis praedeceſſoribus noſtris - - ſic et ſub nobis, et ſucceſſoribus noſtris, titulo Archi-Capellani Romanae Imperatricis gaudeat et vtatur.* Vid. diploma apud ZYLLESIVM in Defenſion. Monaſt. S. Maximini P. III. n. 85.

IX. Mareſchallus eſt Abbas Princeps Campidunenſis. Eum titulum D. Leopoldus A. 1683. Ruperto Abbati confirmauit 1), qui et 1690. cum in Coronatione Imperatricis Archi-Epiſcopi Colonienſis et Treuirenſis, eum a ſollenni functione excluſiſſent, ius ſuum contradicendo tuitus eſt 2).

1) Vid. LVNIGII Reichs-Archiv: P. Spec. Contin. I. p. 179.
2) Vid. IBIDEM p. 181.

X. Caeterum Auguſta in priuatis negotiis ſuis, contractibus, ſucceſſione ab inteſtato, teſtamenti factione etc. iure communi vtitur, niſi in quantum coniugis Auguſti priuilegiis a ſollennium obſeruatione liberatur *.

* Conf. TITIVS in Specim. Iur. publ. L. V. c. 7.

## CAP. VII.

# DE AVLA IMPERATORIS, ARCHIOFFICIIS, OFFICIISQVE PALATINIS, AC ORDINE CVRIAE IMPERIALIS.

*De Palatiis et Villis Imperialibus. 1. 2.*
*De Curia Imperiali. 3. 4. Prima Noriberg. celebranda. 5.*
*De aula Imperatoris in Germania figenda. 6.*
*De Officiis Palatinis. 7.*
*De Archi-Capellano. 8. ſeq.*
*Sub eo Cancellarius. 11.*
*De Capella Regali in Germania. 12. ſq.*
*Olim plures Archi-Capellani eodem tempore. 14.*
*Deinde per regna diuiſi: Moguntinus per Germaniam 15.*
*Colonienſis per Italiam: 16.*
*Treuirenſis per Galliam: 17. et Regnum Arelatenſe. 18.*
*Quae diuiſionis ratio? De Cancellaria Germaniae. 19. ſeq. vbi de Vice-Cancellario; de Idiomate Imperii, deque Archiuo 20. ſeq.*
*Reliqua Veteris Aulae Francicae Officia Palatina. 22. Illorumque vetus ratio. 23.*
*Ex illis orta IV. Archi-Officia Aulae Germanicae 24. Eorum formula et functiones. 25.*
*Quando hereditaria facta, et Principum Electorum titulis inſerta? 26.*
*De ordine Archiofficialium. 27.*
*Singulorum recenſio: de Archiofficio Pincernae, quando ad Bohemos peruenerit? 28.*
*De Archi-Dapifero. 29.*
*De officio Archi-Mareſchalli, 30. Quando ad Duces Saxoniae peruenerit? 31. Inſignia eius iura. 32.*
*De officio Camerarii: Quando ad Brandenburgicos peruenerit? 33.*
*De nouiter inſtituto Officio Archi-Theſaurarii. 34.*
*De officio aliquo nono Electoratui adſignando. 35. 36.*
*Alia officia Palatina, 37. vbi de Venatoribus.*
*Dux Geldriae Protoueſtiarius. 38.*
*De officio ducis Luxemburgi 39.*
*Obiter de officiis ſubordinatis, etc. Itemque de officiis aulicis Italiae, et Burgundiae 40.*
*De Vicariis Archi-officiorum. ſeu officiis Imperii aulicis hereditariis. 41.*
*Illorum functiones, iura, emolumenta. 42.*
*De ipſiusmet Aulae Imperialis. Miniſtris, et Officialibus 43.*

Multa

Multa hodie ſunt in Imperio Principum iura, functiones, et tituli, quorum cauſae et origines non poſſunt explicari, niſi ex antiquis Palatii et Curiae Imperialis inſtitutis, adminiſtrandaeque Reipublicae modis. Itaque hoc loco de Palatio primum, et Curia Imperiali, tum de officiis Palatinis quaedam notabimus; de officiis Regni libro ſequente acturi.

II. Olim Reges, et Imperatores Germanici varia habebant, tam in Germania, quam in Italia, per prouincias palatia *, corteſque, et villas Regias. Quibus attributa erant praedia fiſcalia, vineae, ſyluae, itemque praeſtationes, et operae tam fiſcales, quam feudales, ita vt ſine graui prouincialium diſpendio in iis viuere poſſent. Quod adminiſtrationi Reipublicae egregie congruebat, cum Imperatores tuendis, atque proferendis limitibus, continendisque in officio diverſorum populorum animis intenti, continuo fere obire prouincias ſolerent.

* Deſcriptionem palatii dedit MABILLONIVS in Supplemento Lib. de Re Diplomatica Cap. 9. §. 7. Sed ea magis ad Italica, in quibus exſtruendis quaedam ex Romano more durauerant, quadrare videtur, quam ad palatia, quae per vrbes Germaniae paſſim fuerunt. Caeterum a palatio differt Caſtrum, Caſtellum, ſiue Burgus, (Burg.) cui qui pro praeſidio erant, Burggrabii, et paſſim Caſtellani vocantur.

III. Splendor Aulae Regalis, Imperialisue, praecipue in Curia 1) ſollenni ſeſe exſerebat. Solebant enim Imperatores et Reges dies feſtos,

eos praeſertim, quorum maior religio, vti Natalitiorum et Paſchatos, feſtiuo cum apparatu celebrare. Tum quoque, ſeu quoties alias Reſpublica poſtularet, Principes conuocabant, vt cum iis res Imperii conſtituerent. Inque illis conuentibus tam Regni negotia curare, inueſtituras dare, iudicia exercere, quam et laeta Domus Auguſtae ſollennia, vti nuptias, collationes honorum equeſtrium etc. inſtituere moris erat 2).

1) Curia medio aeuo dicitur Aula Principis. Quia vero in illa conuentus Procerum celebrari, de Republica conſultari, et iudicia exerceri ſolebant, hinc Curiae vox ſaepe pro comitiis, ſaepe pro iudicio in ſpecie ſumitur.

2) Conf. Diſſ. de Paribus Curiae §. 3. 4.

IV. In ſollenni eiusmodi Curia Imperator, et Auguſta coronati 1), et Principes feſtiuis togis, pro ſua quisque dignitate induti, procedere, inque proceſſione Archiofficiales, atque interdum exteri, qui forte adeſſent, Principes, inſignia, ac arma praeferre ſolebant. Tum largi apparatus, et ſollennia conuiuia, in quibus officiales palatini Regibus miniſtrarent. Conſeſſus ipſi ſaepenumero ſub dio celebrabantur, efformatis ſubſtructionibus, in quibus Imperator, cum Principibus, conſideret 2).

1) Coronae inter S. Liturgiae ſollennia ſolebant imponi ab Archi-Epiſcopis. Ita coronatus legitur Fridericus I. Ratisbonae, apud OTTONEM FRISINGENSEM L. II. Cap. 6. Item in Curia Moguntinenſi. De quo ARNOLDVS LVBECENSIS L. III. c. 9. *Sedata itaque con-*

*controuerſia, coronatur Imperator, et cum Imperatrice, et coronato filio procedit.*

2) Hinc lucem accipit locus in AVREA BVLLA Tit. XXVIII, §. 7. *Praeterea conſummatis his, quae in Imperiali qualibet Curia, ſiue Regali fuerunt pro tempore diſponenda, recipiat Magiſter Curiae, pro ſe totum aedificium, ſeu ligneum apparatum Imperialis ſiue Regiae ſeſſionis, vbi ſederit Imperator, vel Rex Romanorum, cum Principibus Electoribus, ad celebrandas ſollennes Curias, vel feuda ſicut praemittitur, Principibus conferenda.* Eiusmodi ſubſtructiones paſſim ex lapide erectae. Talis ſupereſt Renſae, Sedes Regalis, (der Königs-Stuhl,) vulgo dicta.

V. Prima Curia ab Imperatore poſt Coronationem Aquisgranenſem, ex antiquo more, Noribergae debebat celebrari 1), quod confirmatum in Aurea Bulla 2). Vnde Imperatores, cum alibi prima Comitia celebrare maluiſſent, teſtatos legimus, ſe vrbis priuilegio minime derogare velle 3).

1) Innuunt antiquum morem exempla Friderici II. Rudolphi, Alberti I.

2) Tit. XXVIII. §. 5.

3) Exempla proſtant Caroli V. Maximiliani II, Matthiae, et Ferdinandi II.

VI. Caeterum a longo tempore Imperatores in regionibus ſuis hereditariis ſtabilem Aulae ſedem fixerunt. Iam Sigismundi tempore auditae ſunt querelae de diſſipatis Regni Domaniis 1), quae hoſpitium, ſumtusque praebere prouincias obeuntibus poſſint. Quod expertus eſt

Fri-

Fridericus III. quum Auſtria ob victricia Matthiae Hunniadis arma excedendum fuiſſet. Itaque Principes Auſtriaci, maxime a Ferdinandi I. tempore, in hereditariis prouinciis commorati ſunt. Id vero etiam in Capitulationibus cauetur, ne Imperator extra Germaniae fines Aulam transferat 2.)

1) In Reformatione Politiae prooem. ap. GOLDASTVM in Reichs Satzungen p. 170.

2) Capitulat. Corolin. art. XII. Wir ſollen und wollen Unſere Kaiſerliche Reſidenz, Anweſung und Hofhaltung im Heil. Römiſchen Reich Teutſcher Nation, es fordere denn der Zuſtand der Zeiten ein anderes, allen Gliedern, Ständen und Unterthanen deſſelben zum Nutzen, Ehr und Gutem beſtändig halten ꝛc. Idque repetitum in ſequentibus.

VII. Archiofficia Palatina, quorum tantus in Imperio Germanico ſplendor, tanta auctoritas euaſit, ex antiquiſſimo Germanorum more durauerunt, et formulam ſuam habuerunt ex Curia veterum Regum Francorum 1), imprimis Caroli M. 2) cuius inſtituta Ordini Palatino in Regno Franciae Orientalis, non ſecus ac Occidentalis, originem dedere.

1) Origines Officiorum Palatinorum in Germania non tam ex Aulae Romanae, vel Byzantinae Inſtitutis, quam ex Germanorum moribus petendas eſſe, fuſius oſtendi in Differt. de Originibus Archiofficiorum Aulicorum S. R. I. §. 3. Apud Germanos olim Dynaſtae etiam eadem miniſteria habuerunt. Ita in Lege Salica Tit. XI. 6. *Si quis Maiorem, Infertorem, Scantionem, Mariſcalcum, Stratorem, Fabrum ferrarium etc. furauerit aut occiderit*, etc.

2) Or-

2) Ordinem Palatii, qualis ſub Carolo M. fuerat, peculiari libello repraeſentauit ADALARDVS Abbas. Ex eo multa repetit HINCMARVS in *Epiſtola pro Inſtitutione Carolomanni Regis* (Operum Tom. II.)

VIII. Primum in Miniſterio Palatino locum Archi-Capellanus 1), tenebat 2). Nomen illi a cura Capellae Regalis 3). Scilicet Reges habebant ſacella in palatiis, aut ſeorſim prope illa 4), in quibus non ſacra modo fiebant; ſed tabulas quoque, et inſtrumenta publica aſſervare moris erat 5).

1) Interdum Capellae Regalis Primicerius: interdum Apocriſiarius, et quod latine idem ſignificat, Reſponſalis cauſſarum eccleſiaſticarum vocatur.

2) VINCENTIVS TVRTVRETVS librum edidit de Capellis, et Capellanis Regum, cum perpetuis notis, pro Capella Aulae Hiſpanicae. De Capella Regali in Gallia exſtat: *Hiſtoire eccleſiaſtique de la Cour, ou les antiquités, et Recherches de la Chapelle, et Oratoire du Roi de France, par* GVILLAVME du PEYRAT. *a Pariſ. A. 1645. f.* De ſummi apud Francos Eleemoſynarii munere, quod ex Archi-Capellani officio exortum eſt, SEBASTIANVS ROLIARDVS commentatus eſt.

3) Capellae vox triplici vſu inualuit. Primo enim ſacellum ſeu locum peragendis ſacris deſtinatum ſignificat. Deinde ad ipſam ſupellectilem ſeu apparatum vaſorum, veſtium, ornamentorum extenditur: ac demum ipſam Clericorum, quibus incumbit ſacrorum cura, familiam complectitur.

4) Tales Regum Capellae, inſigni opere, paſſim exſtructae. Omnium celeberrima fuit, quam Carolus M. Aquisgrani aedificauit, vnde vrbi apud Gallos nomen eſt: *Aix la Chapelle.* Ad imitationem eius aliam Theodonis Villae molitus eſt Ludouicus Pius, de qua in Chronico RHEGINO-

GINONIS ad A. 939. *Omnibus tamen Lotharienſibus ſubactis aliquamdiu reſiſtere conatus eſt Epiſcopus Metenſis. Vnde Theodonis Villae, Capellam Domini Ludovici Pii Imperatoris, inſtar Aquenſis inceptam, ne perficeretur, aut pro munimento haberetur, deſtruxit.* Interdum alia Templa vſibus Capellae deputata fuerunt. Ita in charta Wenceslai, Regis Bohemiae, in *Bohemia ſacra* p. 82. *Eccleſia Wiſegradenſis, quae noſtra eſt Capella ſpecialis.* De Carolo, Duce Lotharingiae inferioris, in Chronico Belgico, p. 248. *Carolus, Dux primus Lotharingiae, habitationem ſuam conſtituit Bruxellae, inter duo brachia Sennae apud S. Gangericum, cuius Eccleſiam, ipſe pro ſua Capella conſtitui fecit, ad quam etiam corpus B. Gudulae Virginis de Morſella tranſtulit.*

5) CONCILIVM FRANCOFVRTENSE de A. 794. cap. 3. *Vnde tres breues ex hoc capitulo vno tenore conſcriptos fieri praecepit, vnum in palatio retinendum, alterum etc. Tertium vero* IN SACRI PALATII CAPELLA *recondendum fieri iuſſit.* Ex antiquo hoc more Theſaurum Chartarum Regiarum etiam nunc in Sacra Capella Pariſienſi aſſeruari teſtatur DV CANGE in Gloſſario, voce *Capella*.

IX. Idem praeterea de omnibus cauſis, ad Statum eccleſiaſticum pertinentibus, quae ad Regis notitiam, atque auctoritatem pertinerent, ad eum referebat *.

* HINCMARVS in Epiſt. pro inſtitutione Carolomanni Regis §. 20. (Operum T. II. p. 208.) Officium eius ita deſcribit: *De omni eccleſiaſtica religione, vel ordine, nec non etiam de canonica et monaſtica altercatione, ſeu quaecunque Palatium adibant pro eccleſiaſticis neceſſitatibus, ſollicitudinem habere* etc.

X. Siue autem Epiſcopus eſſet ſiue Abbas, aut Presbyter ſaltem, nihilominus in Conciliis principem ante Epiſcopos locum habebat *.

* Conf. IACOBVS BASNAGIVS in Not. ad Epiſtolas FLACCI ALCVINI in HENR. CANISII Lectionibus

nibus antiquis Tom. II. Part. I. p. 415. et in Obſeruationibus de Synodo Regiaticina, IBIDEM T. III. Part. II. p. 359. Exemplum Grimoldi, Abbatis S. Galli, Archi-Capellani ſub Ludouico Germanico, qui Salomoni et Theodorico Epiſcopis praeponitur, notaui in Diſſert. de Originibus Archi-Officiorum §. 7.

XI. Huic ſociabatur ſummus Cancellarius 1); ſub quo erant Cancellarii, et Notarii, qui, vt HINCMARI verbis vtamur, *praecepta regia ſcriberent, et ſecreta illius cuſtodirent.* Hi plerumque ſacris initiati erant ordinibus, pro more illorum temporum, quibus ſecreta literarum non facile extra Clerum emanabant. Cumque Archi-Capellani eſſet recenſere diplomata, et ſubſcribere, eundem praeſulem modo Archi-Capellanum, modo Archi-Cancellarium vocatum legimus 2).

1) Vocatur etiam PROTO-SCRINIARIVS.

2) Conf. Diſſ. citat. §. V.

XII. Officium Archi-Capellani manſit in Aula Regum, atque Imperatorum Germaniae, ita vt is reipſa Capellae Regalis 1), et ſacrorum in Palatio peragendorum curam 2) haberet. Inde haud dubie durat, quod in Curia Imperiali, ſecundum praeſcriptum Aureae Bullae, tres Electores Eccleſiaſtici rem diuinam facere 3), et preces ad menſam praeire debent 4).

1) Argumentum de Capella Regali in Germania nondum pro dignitate excultum eſt. Notaui nonnulla in COMMENTARIIS de Rebus Imperii ſub Henrico V. Lib. III. §. 52. Inſignis ſemper fuit Capella Principum Belgii, de qua habetur: IVLII CHIFLETII *Aula Sacra Principum Belgii.* Antwerpiae 1640. 4.

2) In

2) Inſigne exemplum adhuc dedit BALDVINVS, Elector et Archi-Epiſcopus Treuirenſis A. 1354. in Curia Moguntinenſi, quod ita deſcribit BROWERVS Annal. Treuirenſium P. II. L. XVII. cap. 159. *Ineunte igitur hyeme, Balduinus ad ſui ſanguinis Regem omnibus honoribus excolendum, Moguntiam profectus, cum Moguntino et Colonienſi Archiepiſcopis, illuſtri ſacrorum adparatu, feſta Natalitia celebrauit. Quippe Balduinus, pridie Diei Chriſti domini natalis, Pontificio ornatu et venerabili amictu fulgens, Carolo ipſo, et Principum magna turba praeſente, in Aede ſumma Moguntiacenſi ſolennibus Veſperarum officiis praefuit; priuatim autem in Regio ſacello, ex trinis primiam noctis Natalis hoſtiam Deo litans, Carolum Regem ſacroſancto Chriſti Corpore refecit.*

3) Vid. AVREA BVLLA Tit. XXIII.

4) AVREA BVLLA Tit. XXVII. §. 3. *Ingreſſo vero Imperatore vel Rege ad Menſam, Principes Electores Eccleſiaſtici, videlicet Archi-Epiſcopi, ſtantes ante menſas, cum caeteris Praelatis benedicent eandem, ſecundum ordinem, qui circa haec eis in ſuperioribus eſt praeſcriptus.*

XIII. Succeſſu temporis praecipua manſit cura Cancellorum. Ita demum titulus Archi-Cancellarii, qui primo cum titulo Archi-Capellani promiſcue vſurpari ſolebat, ſolus in vſu manſit *.

* De Archi-Cancellariis S. R. I. ac Cancellariis Imperialis Aulae ſcr. BERNARDVS a MALLINCROT.

XIV. Cum vero tres Eminentiſſimi Electores Eccleſiaſtici, titulo Archi-Cancellarii vtantur, eius rei origo et cauſa hic explicari debet. Conſtat ex veterum diplomatum ſubſcriptionibus, Carolingos, et ſequentes Germaniae Reges, atque Imperatores, initio Archi-Capellanos

nos habuiſſe, non Eccleſiae alicuius priuilegio, ſed pro ſuo iudicio. Interdum et plures Archi-Capellani eodem tempore fuerunt, neque diuiſis functionibus 1), quod imprimis ex actis publicis, ſub Ottone M. confectis, apparet 2).

1) Seriem diplomatum Regiorum, ex quorum ſubſcriptionibus hoc erui poteſt, recenſui in Diſſert. de Origine Archi-Officiorum §. VII-XII.

2) Sub Ottone M. Fridericum Moguntinum, Rupertum Treuirenſem, Brunonem Colonienſem, Heroldum Salisburgenſem Archi-Epiſcopum, eodem tempore Archi-Capellanos fuiſſe; neque tamen iam tum per certas prouincias, munia illa diuiſa fuiſſe, oſtendi IBIDEM §. X. XI. XII.

XV. Deinde Archi-Cancellariatus officium diuiſum eſt: ita vt Moguntinus per Germaniam, Colonienſis per Italiam exerceret. Eius partitionis tempus praeciſe indicare non poſſumus. Ex obſeruationibus tamen ſubſcriptionum coniectura naſcitur haud improbabilis, eam Henrici III. aeuo circiter inſtitutam fuiſſe: quanquam ſerius inualuerit, vt ipſi Praeſules illam adſtricti ad vnum alterumue Regnum muneris deſignationem titulis ſuis infererent. Ex Moguntinis* primus titulo *Archi-Cancellarii per Germaniam* vſus legitur Arnoldus, qui ab An. 1153. vsque ad An. 1160. illam Eccleſiam rexit. Succeſſor, Chriſtianus, iam frequentius eum adhibuit.

* Iam inde ab Herigero, qui regnante Conrado I. floruit, omnes Archi-Epiſcopi Moguntini, non interrupta ſerie, Archi-Capellani fuerant, ſed non ſoli.

XVI. Colonienſis Archi-Cancellarius eſt per Italiam, cuius rei originem modo ad Imperium Henrici III. retulimus. Nam ab eius aeuo diplomata Imperialia in Italia confecta, ſolos Colonienſes, Piligrinum, Hermannum, Annonem, Archi-Capellanos memorant; cum antea etiam alii Italiae Epiſcopi, aut ipſi Moguntini, Italica diplomata recenſuiſſent. Leo IX. Papa eundem Hermannum, Archi-Cancellarium Eccleſiae Romanae fecit; reperiunturque Bullae Pontificum, non Hermanni modò, ſed ſucceſſoris etiam, Annonis, tanquam Archi-Cancellariorum Rom. Eccleſiae, nomine ſignatae. Quod nouam ſuppeditat coniecturam, Cancellariatum Imperii per Italiam, Colonienſi Praeſuli tùm vel iam competiiſſe, vel ea occaſione tributum fuiſſe 1). De Lotharii II, (Saxonis) aeuo diſertum veteris ſcriptoris teſtimonium ſuppetit, Colonienſem de iure habitum fuiſſe Italiae Archi-Cancellarium 2). Primus tamen, quantum hactenus conſtat, titulum Italici Archi-Cancellariatus, imperante Friderico I. expreſſit Arnoldus 3).

1) Vid. Diſſert. citata §. XV. XVI. XVII.

2) CHRONOGRAPHVS SAXO ad Annum 1132. (in LEIBNITII Acceſſionibus Hiſtoricis T. I.) *Rex celebrauit aſſumtionem S. Mariae in Werzeburch, et inde cum exercitu Longobardorum fines intrauit. Et quia Archi-Epiſcopus Colonienſis defuit, qui iure debet eſſe Cancellarius in illis partibus, Norbertus, Archi-Epiſcopus Magdeburgicus, huic officio deputatus eſt:*

3) In recognitione diplomatis An. 1155. apud ciuitatem Tridentinam Henrico II. Epiſcopo Leodienſi dati: *Ego Arnoldus,*

*noldus, Colonienſis Archi-Epiſcopus, Regni Italici Archi-Cancellarius, recognoui.* Extat apud CHAPEAVVILLIVM in Scriptoribus Rerum Leodienſium Tom. II.

XVII. Treuirenſis, Archi-Cancellarius per Galliam, et Regnum Arelatenſe vocatur: vbi Galliae nomine Belgica deſignatur, cuius maximam partem regnum Lotharingiae comprehendit. Fuerant quidem aliquando Treuirenſes Regum Lotharingiae, et deinde etiam Germaniae, Archi-Capellani. Sed quando, et qua occaſione titulum Archicancellarii per Galliam, velut proprium Eccleſiae ſuae vindicauerint, non ſatis conſtat. Habemus enim diplomata Conradi II. Henrici III. Henrici IV. et oppidis Galliae Belgicae, et de rebus adeo ad dioeceſin Treuirenſem ſpectantibus, confecta, quae Archi-Epiſcopi Moguntini nomine recognita ſunt 1). Neque tituli eius mentio apud Hiſtoricum, Martino Polono antiquiorem, reperitur 2). Ipſi rerum Treuirenſium Scriptores, eum Boëmundo II. qui ab Anno 1288. ad Annum 1299. Eccleſiam rexit, primum a coaeuo ſcriptore tributum fatentur 3). Ab eo ſane tempore in actis Imperii publicis, et Archi-Epiſcoporum Treuirenſium, continuatus eſt.

1) Vid. Diſſert. citat. de Originibus Archi-Officiorum §. XXVIII.

2) MARTINVS POLONVS in Chronico, in vit. Ottonis III. *Et licet tres iſti Ottones per ſucceſſionem*

*nem generis regnauerint, tamen poſtea fuit inſtitutum, vt per Officiales Imperii Imperator eligeretur: qui ſunt ſeptem. Videlicet primo tres Cancellarii iſti, Moguntinenſis Germaniae, Treuirenſis Galliae, Colonienſis Italiae.*

3) Vid. BROWERVS Annal. Treuirenſium P. II. Lib. XVI. cap. 152.

XVIII. ª Archi-Cancellariatus autem regni Burgundiae, ſiue Arelatenſis, antea fuerat Archi-Epiſcopi Viennenſis: per priuilegia Imperatorum Friderici I. Henrici VI. nec non Friderici II. Et huius adeo Friderici II. diplomati, eam in rem dato, Treuirenſis inter teſtes ſubſcripſit 1). Ipſi rerum Treuirenſium ſcriptores, primam occupandi tituli occaſionem ad Arnoldum II. referunt, qui ab An. 1242. vsque ad An. 1259. magna inter Germanos Proceres auctoritate, Eccleſiae Treuirenſi praefuit, ac qualemcunque forte Arelatenſis Regni, ne poſt Sueuicae Domus cladem Imperio penitus ſe ſubduceret, curam ſuſceperit. Titulum ipſum itidem Boëmundo II. demum, a coaeuo ſcriptore, tribui obſeruant 2).

1) De Archi-Cancellariatu Regni Burgundici, et Eccleſiae Viennenſis de illo priuilegiis, egi copioſius in Diſſert. de Nexu Regni Burgundiae cum Regno Germaniae Sect. II. §. VII.

2) BROWERVS Annal. Treuirenſ. Lib. XVI. c. 157. *Cum vitae Boëmundi ſcriptor, eius temporis aequalis, primus omnium, quem equidem legerim, Archi-Cancellarii Arelatenſis regni titulum Boëmundo tribuat, non abſque ratione cenſuero, Arelatenſis regni procurationem, in Archi-Cancellarii Galliarum nomen, eo potiſſimum tempore adſcitam, quo illud maxime regnum a Franco*

*Franco diſtrahi, et ſeptemvirorum electio ſtrictiore iure, in Germania celebrari coepit; atque ita quidem ab Arnoldo, eius nominis ſecundo Archi-Epiſcopo, videri hoc munus primo ſuſceptum: attribui autem cum ipſis titulis Boëmundo, ob controverſiam eo de regno nuper exortam.*

XVIII. [b] Ita ortus primum duplicis Cancellariatus titulus, publica auctoritate magis magisque inualuit. Imp. Ludouicus An. 1332. Eccleſiae Treuirenſi, inter alia priuilegia, officium quoque, et praerogatiuam Archi-Cancellariatus per Galliam, et Regnum Arelatenſe confirmauit 1). Idem Carolus IV. An. 1348. in comitiis Moguntinis fecit 2), isque in Aurea Bulla, pro ſummo ſtudio, quod in Electorum Eccleſiaſticorum praerogatiuis ſtabiliendis adhibuit, hunc Treuirenſis titulum aliquoties repetiit. Vim etiam aliquam et effectum habuiſſe illum ſub imperio Caroli teſtantur varia diplomata, in Galliae Belgicae locis confecta, quae nomine Archi-Epiſcopi Treuirenſis, tanquam Archi-Cancellarii per Galliam, ſignantur 3). Verum non diuturnus ille vſus. Quandoquidem hae regiones, vtpote Germaniae nomine, poſt vnionem Regni Lotharingiae, comprehenſae, ad Cancellariatum quoque Eius relatae ſunt.

1) BROWERVS Lib. XVII. c. 79.

2) Vid. Geſta Balduini L. III. c. 9.

3) Diplomata illa recenſui in Diſſ. de Originibus Archi-Officiorum §. XX. n. 2.

XIX. Partitio autem Archi-Cancellariatus inter Germaniam atque Italiam ita comparata fuit, vt in quo regno Imperator commoraretur, in eius Cancellaria negotia expedirentur. Sic habemus diplomata ſub Henrico VII. et Ludouico Bauaro, de rebus Germanicis in Italia confecta, quae vice Archi-Epiſcopi Colonienſis, tanquam Archi-Cancellarii per Italiam, recognita ſunt 1). Atque adeo, quum dudum Imperialis Aula ſedem in Germania fixerit, in ea Cancellaria omnia Imperii negotia, quamcunque eius partem reſpiciant, expediuntur 2).

1) Vid. formulas ap. WENCKERVM, in Notis ad MALLINCROTIVM de Archi-Cancellariis, in Collect. Archiu. et Cancell. Iuribus p. 279. 625. 626.

2) Ne cauſae ad Imperium ſpectantes alibi quam in Cancellaria Imperii expediantur, cauetur in Capitulatione Imperiali. Art. XXV. 4.

XX. Hanc Imperii Cancellariam ordinat Elector Moguntinus, vt Archi-Cancellarius 1), et eius vice regit S. R. I. Vice-Cancellarius 2). In ea acta publica non niſi Latina, aut Germanica lingua (quae ſunt duo Imperii idiomata 3) expediuntur.

1) CAPIT. IMPERIAL. Art. XXV. In Beſtellung und Anſetzung der Reichs-Hof-Canzeley, ſowohl als des Reichs-Hof-Vice Canzlers, als der Reichs-Referendarien, Reichs-Hofraths-Secretarien, und aller anderer zu der Reichs-Hof-Canzeley gehörigen Perſonen, ſollen und wollen Wir dem Churfürſten von Maynz, als Erz-Canzler durch Germanien, in der ihm allein dießfalls zuſtehenden Diſpoſition, unter was Vorwand es ſey, inskünftige keinen Eingriff, Auf-

Aufſchub oder Verhinderniß thun, noch darinn einig Ziel oder Maaß geben.

2) Io. Christoph. Wagenseilivs de Vice-Cancellario Imperii.

3) De idiomate Imperii iterum Capitulatio nouiſſ. Art. XXIII. 3. Auch in Schriften und Handlungen des Reichs an Unſerm Kaiſerlichen Hofe, keine andere Zung noch Sprache gebrauchen laſſen, denn die Teutſche und Lateiniſche, es wäre denn an Orten auſſerhalb des Reichs, da gemeiniglich eine andere Sprache in Uebung wäre, und im Gebrauch ſtünde, jedoch, ſonderlich letzteren Falls in allewege an Unſerm Reichs-Hof-Rath der Teutſchen und Lateiniſchen Sprache unabbrüchig. An. 1717. cum in Comitiis Miniſter Gallicus, Comes de Gergy, litteras credentiales lingua Gallica exaratas exhibuiſſet, noluere Status derogare antiquo vſui latini Idiomatis. De quo vid. die Staats-Cantzeley Tom. XXIX. p. 701. et ſeq.

XXI. Eodem titulo Archi-Cancellariatus Elector Moguntinus Archiuum, ſeu Chartophylacium, Imperii * ſub ſua cura habet, quod partim Moguntiae, partim in Aula Imperiali aſſeruatur.

* Nicolavs Christophorvs Lynkervs de Archiuo Imperii.

XXII. Praeter Archi-Capellanum, hos praecipuos Aulae Carolinae officiales recenſet Hincmarvs: *Camerarium, Comitem Palatii, Seneſcalcum, Buticularium, Comitem ſtabuli, Manſionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium vnum.*

XXIII. In Aula Carolina hi Officiales re vera omne miniſterium Palatinum procurabant, erantque ipſi de Conſilio Regis; Archi-Capel-

lanus quidem, et Comes Palatii ſemper, reliqui pro negotiorum indole, et pro gratia, atque opinione dexteritatis, qua apud Regem florerent. Neque modo in Palatio, et quotidiana R. P. adminiſtratione, ſed praecipue in Conuentibus publicis 1), aderant Regi. Quin et bello gerendo, et maioris momenti Legationibus adhibitos, paſſim in Hiſtoria Francica legimus. Solebant autem ex diuerſis nationibus, et prouinciis Regni aſſumi, quo Rex facilius cognoſceret neceſſitates earum, et ſingulae veluti Patronum in Palatio haberent 2).

1) Hincmarvs l. c. §. XXXII. XXXIII. XXXIV.
2) Idem §. XVIII. et XXV.

XXIV. Ex his officiis, in Aula quidem Germanica durauit Pincerna, Dapifer, Mareſchallus et Camerarius, et omne miniſterium Palatinum, quod ad ſplendorem aulae, principisque obſequia comparatum eſſet, ſub illis ſtetit. Vnde ad imitationem Palatii Imperialis, eadem quatuor officia, in Principum quoque Germaniae Eccleſiaſticorum, et Secularium aulis, tanquam propria Principali Dignitati, inſtituta fuerunt.

XXV. Vti Archi-Epiſcopi Rhenani titulos et iura Archi-Capellani, ita reliqua Archi-Officia Palatina, ob annexa illis iura, dignitatem, auctoritatemque, Duces et nobiliſſimi Principes ſibi vindicarunt. Etiam cum ipſa iam miniſterii Pala-

Palatini vis, atque functio, ſenſim intercidiſſet, actus tamen aliquos, quibus eam repraeſentarent, in ſollennibus Curiis peregerunt *.

* Archi-Officiorum aulicorum in Curia Regum a Ducibus adminiſtratorum, paſſim occurrit mentio. VIDECHINDVS Annal. II. init. in MEIBOMII Scriptoribus Rerum Germanicarum T. I. p. 643. de Coronatione Ottonis I. *Duces miniſtrabant: Lothariorum Dux Giſelbertus, ad cuius poteſtatem locus ille* (Aquisgranum) *pertinebat, omnia procurabat. Eherhardus menſae praeerat. Hermannus Francus Pincernis, Arnulphus equeſtri ordini et eligendis locandisque Caſtris praeerat.* De Curia ſollenni, quam Otto III. Quedlinburgi celebrauit, DITMARVS L. IV. *Quatuor miniſtrabant Duces: Henricus ad menſam, Conradus ad Cameram, Hecilo ad Cellariam, Bernhardus equis praefuit.* De Friderici I. ſplendida Curia Moguntiae An. 1184. celebrata ARNOLDVS LVBECENSIS L. III. cap. 9. *Officium Dapiferi ſeu Pincernae, Camerarii ſeu Mareſcalci, non niſi Reges vel Duces aut Marehiones adminiſtrabant.* Sed et temporibus Philippi, eminuerunt Archi-Officia, vt ſupra cap. 2. §. 3. notauimus. Albertus I. quum Noribergae An. 1299. primam Curiam celebraret. Archi-Officiales miniſteriis ſuis in ea functi ſunt. Rem totam deinde Carolus IV. in ſtabilem formam redegit, Itaque prorſus iniqua eſt ſugillatio DAV. BLONDELLI, qui primum eum, officia haec Palatina, ex ſola animi vanitate, inſtituiſſe aſſerit.

XXVI. Haec officia demum iure feudi, et quidem vt reliqua feuda, perpetuo, certis Principum familiis attributa ſunt, quemadmodum et in Regno Franciae Occidentalis, et in ipſis principatibus Germaniae, contigit. Quod, quo tempore factum ſit, nondum quidem ſatis perſpicue oſtendi potuit, praeſtatque adeo eius rei origines, vbi de ſingulis officiis ſpeciatim age-

 mus,

mus, inueſtigare. Id tamen conſtat, nobisque hoc loco ſufficere poteſt, Seculo XIII. ea iam ita diſtributa fuiſſe, vt tres Archi-Epiſcopi Rhenenſes eſſent Archi-Capellani, ſeu Archi-Cancellarii, Rex Bohemiae Pincerna, Bauariae Dux, qui et Comes Palatinus Rheni, Dapifer, Saxoniae Dux Mareſchallus, Marchio Brandenburgi Camerarius. Eodem Seculo vergente, Principes hi titulos quoque Officii ſui in Actis publicis exprimere coeperunt. Qui mos Henrici VII. * et Ludouici Bauari tempore magis inualuit.

* Vid. Litteras Electorum, quibus electionem eius Papae ſignificant.

XXVII. Nec quis in vetere Palatio ordo inter Archi-Officiales fuerit, tuto definiueris. Conſtat tamen, iam ante conditam Auream Bullam eos quandoque eodem ordine recenſeri, quem Aurea Bulla retinuit, et confirmauit.

XXVIII. De ſingulis iam hiſce officiis, pauca quaedam notabimus. Pincernatus 1), quando ad Bohemiae Reges venerit, incertum. Sane non vltra Vladislaum, qui Friderico I. maxime carus fuit, aſcendi debet 2). Rudolphus I. An. 1290. ſingulari diplomate, officium illud, vna cum iure ſuffragii in electione, Regi Bohemiae, iam ab antiquo competere teſtatus eſt.

1) HINCMARO Buticularius: quae vox Originis Germanicae. Conf. CL. SCHWARZIVS de Buticulariis.

2) Ita poſt CONRINGIVM, et plures alios IORDANVS in Diſputatione *de Archipincernatu, et connexione*

*tione regni Bohemiae cum Imperio Romano-Germanico.* Conf. Diſſertatio de Originibus Archi-Officiorum §. XXV-XXIX.

XXIX. Aeque in obſcuro eſt, quando Dapiferatus * ad Comitem Palatinum Rheni hereditario iure peruenerit. Quum Electoratus a familia Palatina in Bauaricam translatus eſſet, Bauarus Archi-Dapiferi quoque officium ſibi vindicavit: conſentiente tandem nouo Electore Palatino, Carolo Ludouico.

* HINCMARVS Seneſchallum vocat: quae appellatio in Gallia, vti Dapiferi in Aulis Germaniae, magis frequentata fuit. Seneſchalcus, Regiae menſae praepoſitus, Infertor Dapium, Princeps coquorum, vt Synonyma apud Scriptores medii aeui vſurpantur. Solebat in ſollenni Curia, officii cauſa, primam lancem ad Regiam menſam deferre: Inde Dapifer dictus, et ſaepe Infertor. Ab eodem actu et Germanica appellatio Truchſeß videtur repetenda. Neque eiusmodi vocum compoſitio inuſitata Germanis. Sic Anglo-Saxones Pincernam vocant *Ladringk* a radice *lakan* porrigere, et *drinck* bibere.

XXX. Archi-Mareſchalli officium, vetus Comitis ſtabuli munus complectitur. Vtque in Regno Galliae Comitis ſtabuli titulus praecipuae dignitatis manſit; ita in Germanica Mareſchalli nomen placuit 1). Subordinatum eſt ei Manſionarii munus, quod HINCMARVS etiam inter Officia Palatina recenſet: itemque Oſtiarii, ſiue Ianitoris 2).

1) Vid. ſupra §. XXII.

2) Munus S. R. I. Ianitoris (R. Kaiſerlicher Majeſtät und des H. Römiſchen Reichs Erb-Cammer-Thür-Hüter) ab Impe-

Imperio tenet Illuſtr. Familia Wertherorum. De quo in Diſſ. de Originibus Archi-Officiorum §. 48.

XXXI. Officio hoc in Curia Ottonis III. Bernhardus, Dux Saxoniae, functus legitur 1): atque ab eo tempore, non interrupta poſſeſſione, penes Saxoniae duces videtur manſiſſe 2).

1) Vid. ſupra annotatio ad §. XXV.
2) Vid. Diſſ. de Originibus Archi-Officiorum. §. 33. et ſeq.

XXXII. Quanquam vero, mutata iam dudum rerum facie, Officiorum quoque Palatinorum longe alia ſit ratio; Mareſchallo tamen, ex priſtina in re bellica 1), et Conuentibus Imperii 2), auctoritate, ſuperſunt inſignia iura, et tituli. Sunt adeo in ipſa Aula Imperiali functiones nonnullae, in quibus Mareſchallus Aulicus Archi-Mareſchalli vicem ſuſtinere cenſetur 3).

1) Vid. Europäiſcher Herold. P. I. p. 249. ſeq. atque inde oriebatur contradictio erga Officium Archi-Vexilliferi.

2) De cura Hoſpitiorum, et Politiae, in Comitiis eligendi Regis, vid. ſupra C. II. §. 17. De reliquis Mareſchallatus in Comitiis iuribus infra ſuo loco.

3) CAPITVLATIO IMPERIALIS Art. III. 25. Und Weil bey Anrichtung der Policey- und Tax-Ordnung auf Reichs- und Wahl-Tägen, das Directorium zu führen, und ſolche Ordnungen in unſerm Nahmen zu publiciren, dem Erz-Marſchallen Amt zukommt und gebühret, ſo ſoll von Unſerm Hof-Marſchallen-Amt, oder andern, weder unterm Prätext Kaiſerlicher Commiſſion, noch ſonſten darinnen, ſo zu ſolchem Reichs-Amt gehörig iſt, Hinderung gemacht, und etwas nachtheiliges concediret; gleichwohl aber dem Hof-Marſchall, in ſeinen zukommenden und von dem Erz-Amt dependirenden Amts-Verrichtungen, durch Unſere Landes-Regierung, oder andere, kein Eintrag oder Hinderung gemacht werden.

XXXIII.

XXXIII. Camerarii officium fuit ad reditus Fiſci, et expenſas, et ornamenta Palatii attendere 1). Ideo illi adſignatum, de talibus ad Reginam, cui ex antiquo more delegata haec cura erat, referre. Hoc officium communiter creditur ſub Friderico I. ad Marchiones Brandenburgicos perueniſſe 2).

1) HINCMARVS l. c. §. XXII. p. 209. *De honeſtate Palatii, ſeu ſpecialiter ornamento regali, nec non de donis annuis militum, absque cibo et potu, vel equis, ad reginam praecipue, et ſub ipſa ad Camerarium, pertinebat: et ſecundum cuiusque rei qualitatem illorum ſollicitudo erat, vt tempore congruo ſemper futura proſpicerent, ne quid, dum opus eſſet, vllatenus opportuno tempore defuiſſet. De donis vero diuerſarum legationum ad Camerarium reſpiciebat, niſi forte iubente rege tale aliquid eſſet, quod reginae ad tractandum cum ipſo congrueret. Haec autem omnia, et his ſimilia eo intendebant, vt ab omni ſollicitudine domeſtica, vel Palatina, in quantum rationabiliter et honeſte poterat dominus rex, omnipotenti Deo ſpem ſuam indeſinenter committens, ad totius regni ſtatum ordinandum, vel conſeruandum, animum ſemper ſuum promptum haberet.*

2) Vid. Diſſertat. cit. §. XXXVII-XL.

XXXIV. Haec ſunt vetera illa Archi-Officia, cum antiquis Electoratibus coniuncta. Quamquam vero, praecipua Principum Electorum praerogatiua in iure eligendi Imperatoris poſita et Dignitati illorum ac iuribus ſingularibus ita proſpectum ſit; vt Electoratus ſine eiusmodi officio eſſe poſſit; attamen ex quo noui duo Electoratus inſtituti ſunt, illi quoque Principes, ne qua in re differrent à reliquis, Officium aliquod Palatinum ſibi dari petierunt.

Itaque

Itaque An. 1652. munus Archi-Theſaurarii in gratiam Domus Palatinae, cui octauus Electoratus in Pace Weſtphalica datus fuerat, inſtitutum, vt facilius de officio Archidapiferi concederet familiae Bauaricae.

XXXV. Nono Electoratu in Domo Brunſuico-Luneburgenſi conſtituto, viſum initio fuit, Archi-Vexilliferi Imperii munus eidem attribuere. Quod vocabulum, quamuis prorſus militare videatur, facile tamen in functionibus Palatinis, atque geſtatione inſignium locus dari Vexillifero potuiſſet, prout vel ex iis apparet, quae de labaro, ante Imperatorem portando, ſupra notauimus. Sed contradictum huic titulo *, maxime a Duce Wurtenbergiae, qui de vexillo Imperii, quod etiam gentilitiis teſſeris inſeruit, inueſtitus eſt.

* Quae ab Electore Saxoniae, ratione officii Archi-Mareſchallatus tum monita, et a nouo Electore Erneſto Auguſto declarata fuerint, vide im Europäiſchen Herold, P. I. p. 253.

XXXVI. Interea Palatinus Elector, quum poſt cladem Bauaricae Domus, priſtinum in collegio electorali locum, vna cum officio Archi-Dapiferi recuperaſſet, munus Archi-Theſaurarii Electori Hanouerano reliquit. Isque An. 1710. inueſtituram obtinuit. Sed poſt reſtitutionem Electoris Bauariae Palatinus repetiit titulum. Adeoque denuo de officio aliquo, Electori Brunsvicenſi adſignando, conſultari coepit. Propoſita

ſita fuerat Comitis ſtabuli appellatio. Sed ob rationes Archi-Mareſchallatus interceſſit Domus Saxonica 1). Ea cura adhuc in Capitulatione Nouiſſima Imperatori commendata eſt 2).

1) Conf. Staats-Canzeley. T. XXXIII. Cap. 9.
2) Art. III. 5.

XXXVII. Caeterum praeter haec Archi-Officia retenta quoque ex antiquo more, aut nouiter inſtituta ſunt, alia quaedam munera Palatina. Ita Venatores Imperii 1), ſunt Marchiones Miſniae. Quod officium Marchio Fridericus Strenuus in Curia Metenſi A. 1356. exercuit. Isque titulus a D. Imperatore Ioſepho renouatus eſt 2).

1) De ſimili Ducum Carinthiae et Pomeraniae titulo in Diſſ. de Originibus Archi-Officiorum §. 44. In aula Carolingica, IV. fuiſſe Venatores principales, ex HINCMARI loco ſupra §. XXII. prolato, apparuit.
2) Conf. CL. HORNIVS in der Hiſtoriſchen Hand-Bibliothec von Sachſen p. 9.

XXXVIII. Quum Ludouicus Bauarus A. 1339. Rainoldum, Comitem Geldriae, Ducem appellaret, Protoueſtiarium * ſimul creauit, Functionemque officii ita definiuit: *vt veſtibus Caeſareis Imperatorem induat, quoties conuentus publici celebrentur, nec non coronam imponat, quum Aquisgrani, Mediolani, vel Romae coronatur, eamque iterum tollat, et in proceſſione geſtet.*

* Diploma vid. in LEIBNITII codice Iuris Gentium Diplomatico P. I. n. 78. p. 151.

XXXIX. Carolus IV. autem Comitatum Luxemburgicum, fratris Wenceslai cauſa, in Ducatum conuertens 1) vt locum Duci inter Offi-

ciales Palatinos faceret, iam penitus occupato fere Miniſterio Aulico, duas ei functiones adſignauit, ſcilicet: *vt quoties Imperator armatus incedit, frenum equi a latere dextro gubernet, inque accubitu regali cibos incidat* 2).

1) Vid. Diploma apud LEIBNITIVM l. c. P.I. n. 94. p. 208.
2) IBIDEM n. 42. verba ſunt: *Te, heredes, et ſucceſſores tuos, Duces Luxemburgicos perpetuo, infra ſcripto, claro quidem officio, gratioſius inſignimus, vt quoties nos, aut ſucceſſores noſtros, Romanos imperatores ſeu Reges, ad reprimendam rebellium noſtrorum ſuperbiam, vel ad noſtros ſeu Imperii procurandos honores, armatos contigerit incedere: Tu, heredes, aut ſucceſſores tui, duces Lucemburgenſes, qui pro tempore fuerint, frenum imperialis ſiue regalis dextrarii noſtri, a latere dextro gubernare, et proſpicere debita fidei diligentia debeatis, et in recubitu menſae noſtrae, cibos regios, qui in ſollennibus Curiis noſtris adminiſtrati fuerint, coram nobis incidere, et ſic tanquam principes et fideles Imperii, guerrarum et pacis in tempore, Noſtri curam, et cuſtodiam habeatis.*

XL. Officia aulica ſubordinata, aut ad certas prouincias reſtricta 1), conſulto hic praetereo: nec non Officia Palatina Italiae 2), et Burgundiae 3).

1) De officiis Palatinis Auguſtae actum ſupra C. 4. §. 5. ſq.
2) Italia quoque Comites Palatinos habuit: et Comitis inprimis Palatii Lateranenſis clariſſima quondam dignitas fuit.
3) In Regno Burgundiae Archi-Capellanum, Seneſchallum, Comitem Palatii reperimus, de quibus conf. Diſſert. de Nexu Regni Burgundiae p. 26.

XLI. Caeterum quum Archi-Officiales non ſemper in Comitatu Principis eſſe poſſent, certos Vicarios accepere: qui Officiales Imperii hereditarii vocantur. Vicarium Pincernae

cernae munus, poſt extinctos Limburgios, Imperator Aug. Carolus VI. familiae Comitum Althanniorum detulit. Archi-Dapiferi Vices Comites Waldburgii gerunt: Archi-Mareſchalli, Comites Pappenheimii: Archi-Camerarii, Principes Hohenzollerani. Inſtituto Archi-Theſaurarii munere, vices ille ſuas familiae Comitum Sintzendorffiorum commiſit.

XLII. Hi Officiales hereditarii in Curia imperiali, quoties actus celebrantur, ad quos praeſentia Officiorum Palatinorum ex antiquo Curiae more requiritur, (quod maxime obtinet, vbi ſollennis inueſtitura peragitur), defungi miniſterio debent 1). Quamobrem illis et emolumenta, inter Officiales Curiae, in eiusmodi actibus diſtribui ſolita 2), lege publica decernuntur 3). Vbi nec ipſi adſunt, Officiales aulici Caeſaris in locum ſubeunt 4).

1) Diſputatum aliquando, vtrum inter ſollennia coronationum officialis hereditarius vices Archi-Officii ſuſtinere debeat, an vero Elector eas legato ſuo demandare poſſit? In coronatione Ferdinandi IV. Regis Romanorum, legatus Electoris Brandenburgici hanc litem mouebat. Quid tunc actum, deſcribit PFANNERVS in Hiſtoria Comitiorum L. II. §. 73. *Tractata etiam in Collegio Electorali quaeſtio fuerat, abſente Electore munia eius geſtandorum, tractandorumque regiorum inſignium, vtrum legatus huius, an Vicarius obiret? inde enata, quod geſtandi ſceptri partes ſibi vindicaret legatus Brandenburgicus, Zolleranus, quando Elector abeſſet, ſui muneris eſſe diceret, vice iſtius perfungi. Brandenburgici ad morem maiorum atque inita cum Zolleranis pacta pronocabant. Zolleranus decreto collegii Electoralis nitebatur, quo vt Vicariorum ea poſt Electores praerogatiua eſſet, communi*

*ni aſſenſu placuerat. Et Brandenburgici quo minus ſacris Regiis incommodarent, Zollerano ceſſere, ne iuri Electoris offeciſſe viderentur, diſſenſum declaraſſe contenti.* In coronatione Imperatoris Caroli VI. Legatum Brandenburgicum vices Archi-Officii ſuſtinuiſſe, acta teſtantur.

2) In ſollennibus inueſtituris, pecuniam inter Officiales Curiae diſtribui, antiquiſſimi moris eſt. RADEVICVS de Rebus geſtis Friderici I. de Boleslao duce. *Pollicitus eſt dare* 2000. *Marcas Imperatori, principibus mille: Imperatrici* 20. *Marcas auri. Curiae* 200. *Marcas argenti, quod ad Curiam non venerat, nec de terra debitam fecerat fidelitatem.*

3) In AVREA BVLLA Tit. XXVII. §. 8. ſancitum, vt ſi Officiales hereditarii operam in Curia non nauauerint, miniſtri Caeſaris, qui in illorum locum ſubierint, emolumenta quoque percipiant. Sed hoc mutatum in Capitulatione, eo loco, quem ſtatim ſubiicimus.

4) CAPITVLATIO nouiſſima Art. III. 24 Wir wollen auch die Verfügung thun, wenn die Churfürſten Amts-Verweſere, und Erb-Aemter, bey unſerem Kaiſerlichen Hof begriffen, daß dieſelbe jederzeit, und inſonderheit, wenn und ſo ofte wir, auf Reichs-Wahl und anderen dergleichen Tägen, unſern Kaiſerlichen Hof begeben, oder Sachen vorfallen, darzu die Erb-Aemter zu gebrauchen ſind, in gebührendem Reſpect gehalten, und ihnen von unſern Hof-Aemtern keineswegs vor- und eingegriffen werde; oder da ja, wegen Abweſenheit, ihre Stellen mit berührten unſern Hof-Aemtern erſetzet werden ſollten, ſo wollen wir jedoch, daß ihnen denen Churfürſtlichen Amts-Verweſern, und Erb-Aemtern, einen Weg als den andern, die vor ſolche Verrichtungen fallende Nutzbarkeiten, wenigers nicht, als ob ſie dieſelben ſelbſt verrichtet und bedienet, ohnweigerlich gefolget und gelaſſen, und nichts von denen Hof-Aemtern entzogen werden, ꝛc.

XLIII. Hos ipſos quoque Aulae ſuae miniſtros, vti Maiorem domus, Mareſchallum, Camerarium, Praefectosque ſatellitum, ex flore Nobi-

Nobilitatis Germanicae lecturum ſe pollicetur Imperator 1), eiusque nationis praecipuam quoque rationem habiturum in decernendis Legationibus, et quae prima velut inter illas cenſetur, Protectione Germaniae in Curia Romana 2).

1) CAPITVLATIO nouiſſima, Art. XXIII. 4. Sollen und wollen auch ins künſtige bey Antretung unſerer Kaiſerlichen Regierung Unſere Kaiſerliche, und des Reichs-Aemter am Hofe, und die Wir ſonſten in- und auſſerhalb Teutſchland zu vergeben, und zu beſetzen haben, als da ſind protectio Germaniae, Geſandtſchaften, Ober-Hof-Meiſter, Ober-Cämmerer, Hof-Marſchallen, Hatſchier- und Leib-Guarde Hauptmanns, mit keiner anderen Nation denn gebohrnen Teutſchen, oder mit denen, die aufs wenigſte dem Reich mit Lehns-Pflicht verwandt, das Reichs-Weſen kundig, und von Uns dem Reich nützlich erachtet werden, die nicht mindern Standes noch Weſens, ſondern nahmhafte Perſonen, und mehrentheils von Reichs-Fürſten, Grafen, Herren und von Adel, oder ſonſten guten tapferen Herkommens, beſetzen und verſehen ꝛc.

2) Solent Reges Catholici negotia ſua, et Eccleſiae, inprimis Nationalis, in Romana Curia Cardinali alicui commendare, quae procuratio ſplendidiori Protectionis titulo condecoratur. Conf. COHELLIVS in libr. de *Dignitate, Officio, et Virtutibus Cardinalium.*

## CAP. VIII.

# DE VICARIIS IMPERII.

*Vicarii Imperii, vt a reliquis Vicariis differant? 1.*
*In Aurea Bulla Vicariatus conſtituti: Et quidem ad tempora interregni. 2.*
*Quod etiam extenſum ad caſum abſentiae Imperatoris. 3.*
*Itemque actatis minoris, et aliorum impedimentorum. 4.*
*Origines Vicariatus Rhenani. 5.*
*Controuerſia de illo inter Electorem Bauariae, et Palatinum. 6. Transactio de Vicariatu alternis vicibus gerendo. ibid.*
*Origines Vicariatus Saxonici. 7. 8.*
*Scopus inſtituti Vicariatus. 9.*
*Iura Vicariorum. 10. Vbi in ſpecie de inueſtitura: 11. 12. De iurisdictione: 13. - 16. De auctoritate in cauſis gratiae 17. Vbi et de iure praeſentandi ad beneficia eccleſiaſtica. 18.*
*Quaenam a poteſtate Vicariorum excepta? 19.*
*Fines Vicariatuum. De terris Vicariatus Rhenani. 20. Item Saxonici. 21. ſeq.*
*Cauſas Italicas etc. coniunctim tractant. 22.*
*Quousque duret poteſtas Vicariorum? 23.*
*Imperator acta illorum rata habet. 24.*

Denique hoc loco de Principibus Imperii Vicariis agendum, qui interregni tempore vices Imperatoris, ipſa lege deferente, ſuſtinent. Diſtingui debent a Vicariis ſpecialibus, quos Imperatores olim ipſi per prouincias, et vrbes, ad tuendam imperii iurisdictionem ad tempus, vel in perpetuum, conſtituere conſueuerant. Quo ſenſu frequens olim Vicariorum nomen per Italiam 1), et in Burgundiae regno 2), nec non per Belgium 3), et in reliqua etiam Germania 4) fuit.

1) Fre-

1) Frequens eſt in Hiſtoria, et Actorum publicorum monumentis, Vicariorum mentio, quos Imperatores Regesque Romanorum, aut per Italiam vniuerſam, aut prouincias, aut denique vrbes ſingulas, olim inſtituerunt. Exempla paſſim notauimus ſupra L. II. cap. 5.

2) Ita Carolus IV. Anno 1349. Aymarum a Pictauia, Comitem Valentinum, Vicarium renunciauit *in Regno Arelatenſi, et Viennenſi*, apud GVICHENONIVM in Bibliotheca Sebuſiana p. 402. Ita et Sabaudi in quibusdam Burgundiae partibus Vicariatum Imperii obtinuere, priuilegio eiusdem Caroli IV. de An. 1365. quod a ſequentibus Imperatoribus renouatum ſubinde, et ampliatum fuit.

3) Ita Adolphus Rex Romanorum Iohannem, Ducem Lotharingiae inferioris, et Brabantiae, Vicarium per omnes Lotharingiae inferioris tractus conſtituit. Vid. Diſſ. de *Nexu Regni Lotharingiae* etc. §. 21.

4) Ludouicus IV. Anno 1314. Theodericum, Cliuiae Comitem, Vicarium ſuum conſtituit, inter Rhenum et Viſurgim: de quo vid. TESCHENMACHER in Annal. Cliuiae P. II. p. 205.

II. Vicariatus hic certam ſtabilemque formam accepit per Auream Bullam. In illa enim conſtitutum, vt poſt mortem Imperatoris, ſiue Regis Romanorum, Comes Palatinus Rheni, et Dux Saxoniae, Rempublicam, intra praeſcriptos quisque fines, adminiſtrarent 1). Salutari ſane conſilio, ne per interregnum magis magisque conuelleretur. Opportune quoque aduerſus Romani Pontificis conatus, qui vacante Imperio Vicariatum ſibimet aſſerebat 2): eoque praetextu, ſupremum ſaepe in rebus Imperii arbitrium ſumebat, vt recentia tum erant Clementis V. et Iohannis XXII. exempla.

1) Dabimus hic locum Aureae Bullae, ad quem in ſequentibus prouocandum erit: Cap. V. *Quoties inſuper, vt praemittitur, Sacrum vacare continget Imperium, illu-*

 *ſtris*

*ſtris Comes Palatinus Rheni, Sacri Imperii Archi-Dapifer, ad manus futuri Regis Romanorum, in partibus Rheni, et Sueuiae et in iure Franconico, ratione principatus, ſeu Comitatus Palatini priuilegio, eſſe debet prouiſor ipſius Imperii. Cum poteſtate iudicia exercendi, ad beneficia eccleſiaſtica praeſentandi, recolligendi reditus et prouentus, et inueſtiendi de Feudis, iuramenta fidelitatis vice et nomine Sacri Imperii recipiendi. Quae tamen per Regem Romanorum, poſtea electum ſuo tempore innouari, et de nouo ipſi iuramenta praeſtari debebunt. Feudis principum duntaxat exceptis, et illis, quae* Van=Lehen *vulgariter adpellantur. Quorum inueſtituram et collationem ſoli Imperatori vel Regi Romanorum ſpecialiter reſernamus. Ipſe tamen Comes Palatinus omne genus alienationis, ſeu obligationis rerum imperialium, huiusmodi prouiſionis tempore, expreſſe ſibi nouerit interdictum.*

*Et eodem iure prouiſionis illuſtrem Ducem Saxoniae, Sacri Imperii Archi-Mareſchallum, frui volumus in illis locis, vbi Saxonica iura ſeruantur; ſub omnibus modis, et conditionibus, ſicut ſuperius eſt expreſſum.*

2) Ita Clemens IV. Imperii Vicarium ſe gerit, in tabulis quibus A. 1267. Carolum Andegauenſem, Vicarium per Tuſciam inſtituit: ap. RAYNALDVM in Annal. Eccleſ. ad A. 1267. n. 7. Diſerte Clemens V. Papa in Clement. *Paſtoralis*, de appellationibus: *Nos tamen ex ſuperioritate, quam ad Imperium non eſt dubium nos habere, quam ex poteſtate, in qua vacante Imperio Imperatori ſuccedimus, etc.*

III. Quanquam Aurea Bulla Vicariorum mentionem interregni tantum tempore faciat, vſu tamen obtinuit, vt abſente etiam Imperatore, Palatinus, et Saxo, ordinarii Vicarii haberentur. Olim quidem Imperatores, cum extra Germaniam proficiſcerentur, Vicarios pro ſuo arbitrio conſtituerant 1): etiam poſt conditam Auream Bullam 2) Sed non defuerunt ſibi Vicarii ordinarii: adeoque cauerunt illis Imperatores; tali in

in caſu, prouiſionem eam extraordinariam non ſore contra ipſorum iura praeiudicio 3).

1) Ita, vt ex pluribus exemplis vnum adducam, Imp. Henricus V. ſororis ſiliis, Conrado et Friderico, Franciae et Sueuiae Ducibus, Vices ſuas delegauit. OTTO FRISINGENSIS Chron. L. VII. c. 15. *Publica bella, cum magna ſanguinis effuſione, tam praeſente Imperatore, quam in Italiam migrante, verumque ſummam Sororiis ſuis, Conrado, et Friderico, permittente, peraguntur.* Conf. COMMENTARIOS, de Rebus Imperii ſub Henrico V. Lib. III. 23.

2) Ipſe Carolus IV. An. 1366. (quo tempore profectionem in Italiam parabat) fratrem Wenceslaum, Ducem Lucemburgi, Vicarium Imperii per Germaniam inſtituit. Vid. WENCKERVS in Apparat. Archiu. p. 213. Wenceslaus quoque, dum in Bohemia ſua haeret, Vicarios Imperii ſubinde conſtituit. Primislaus, Dux in Teſchen, Imperii Vicarius, occurrit apud WENCKERVM l. c. p. 216.

3) Cum Sigismundus Imperator, aduerſus Huſſitas profecturus, Conradum, Archi-Epiſcopum Moguntinum Vicarium conſtituiſſet, Ludouicus Palatinus contradixit, effecitque, vt Archi-Epiſcopus functione abſtineret. Vid. Litteras Reuerſales Conradi Archi-Epiſcopi, ap. LVNIGIVM I. Contin. III. Fortſetzung. p. 6. et II. Contin. p. 147. Ita et Carolus V. cum An. 1522. abiturus in Hiſpaniam, inſtaurato Imperii Regimento, fratrem Ferdinandum praeficeret, Vicariis ſingulari diplomate cauit.

IV. Immo ad alios etiam caſus extenſus Vicariatus. Ita cum Wenceslaus, Rex Romanorum, captiuus detineretur in Bohemia, Rupertus, Comes Palatinus ad Rhenum, vicarium Imperii regimen ſuſcepit 1). In Capitulatione Ioſephi cautum, ſi, antequam ipſe XVIII. aetatis annum impleuiſſet, Imperator Leopoldus fatis concederet, vt Vicarii Rempublicam, donec eum aetatis terminum attigiſſet, nomine ipſius adminiſtrarent 2).

 1) Vid.

1) Vid. TOELNERVS in Hiſtoria Palatina, inter Diplomata n. 187. et 189.

2) Vid. CAPITVLATIO IOSEPHINA Art. XLVII.

IV. [b] Ita quae praeſens rerum vſus primum ſuaſerat, tandem diſertis verbis in Capitulatione Caroli VII. ſançita ſunt, ſtabilito Vicariatu in omni caſu, quo Imperator ipſe ſupereſſe Imperio non poſſit *.

* Art. III. 15. Gleichergeſtalt wollen Wir die Vicarien des Reichs, bey ihren uralten in der güldenen Bull, und dem unverrückten Herkommen gegründeten Rechten der Verweſung des Reichs, ſowohl nach Abſterben eines Römiſchen Kaiſers oder Königs, als auch bey deſſen langwierigen Abweſenheit auſſer Reich, oder wann Derſelbe das Regiment ſelbſt zu führen durch andere Umſtände gehindert werden ſolte, unbeeinträchtiget bleiben laſſen. Conf. Art. XIII. 9.

V. Caeterum Aurea Bulla Ius quidem vtriusque Vicariatus in certo conſtituit. Sed ipſius rei iam ante veſtigia reperimus. In ſpecie Comiti Palatii, durante interregno, praerogatiuam aliquam competiiſſe, ex variis locis colligitur 1). Certe iam Rudolphus Habsburgicus in diplomate, Ludouico, Comiti Palatino dato 2), afferit, officii illius eſſe, *vt, vacante Imperio, principatus, terras poſſeſſiones, et alia iura Imperii cuſtodiat, quousque Romano Imperio de Principe ſit prouiſum.*

1) Vid. Ius Prouinciale Alemannicum cap. XLII. §. 7. Sächſiſches Land-Recht cap. XXVII. §. 3. Sollen den Churfürſten ein Geſpräch gebiethen in Franckfurt. Das ſollen gebiethen der Biſchof zu Maynz bey dem Bann, und der Pfalz-Graf am Rhein bey der Acht.

2) Ap. LEIBNITIVM in Codice Iuris Gentium. et ap. LVNIGIVM P. Sp. Contin. II. p. 129.

VI.

VI. [a] Vicariatus hic Rhenanus varias viciſſitudines habuit a tempore Aureae Bullae. Electoratu a Domo Palatina in Bauaricam translato, Bavarus, tempore interregni, poſt Ferdinandi III. mortem, Vicariatum, velut partem iurium Electoratus, ſibi aſſerebat. Sed Palatinus illum, non ſecus ac olim, exercere ſatagebat, affirmans, non Electoratu, aut officio Archi-Dapiferi, quibus iam Bauarus potiretur, eum niti, ſed officio Comitis Palatii, et territorio, quod ipſe, titulo comitiuae huius, haberet *. Bauarum tamen Elector Saxoniae, nec non Moguntinus, eiusque auctoritate Camera Imperialis, agnouit. Nec ſecus Imperatór Leopoldus acta Vicariatus ipſius rata habuit.

* Scripta, quae ab vtraque parte prodierunt, vid. ap. MEYERVM in LONDORPIO Continuato T. I. et in DIARIO EVROPAEO.

VI. [b] Conuenit deinde in gentilitio foedere, quod Anno MDCCXXIV. Principes Bauari, et Palatini, ad procurandam communem vtilitatem inierunt, de Vicariatu coniunctim exercendo. Itaque poſt mortem D. Caroli VI. Iudicium eiusmodi commune Vicariatus, Auguſtae Vindelicorum, inſtitutum fuit. Verum non ſine contradictione aliorum Principum Electorum, et Statuum Imperii 1). Proteſtantibus etiam in ſpecie nonnulla, circa ipſam conſtitutionem iudicii, monentibus. Quamobrem in Capitulatione Imp. Caroli VII. placuit, de tota cauſa referendum ante omnia ad Comitia 2).

1) Conf. Geſchichte des Interregni P. I. Sect. 5. et P. II. Sect. 9.

2) Art. III. 18.

VI. ^c Defuncto autem Imperatore Carolo VII. potius viſum vtrique familiae, alternis vicibus Vicariatu fungi, priorque illum ſuſcepit Elector Bauariae. Probatum conſilium Collegio Electorali: et Imperator in ſubſequente Capitulatione, acta Vicariatus eius confirmauit *.

* Art. III. 18. et 19.

VII. Vt alter vero Vicarius in Saxonia conſtitueretur, id videtur iuri Saxonico datum fuiſſe, quod Saxones, cum Carolo M. deditionem facerent 1), ſibi integrum ſeruauerant, cuiusque vſum et a ſequentibus Imperatoribus ſtipulati ſibi fuerant 2).

1) Vid. locum POETAE SAXONIS, ſupra Lib. II. c. 2. §. 15. not. 2.

2) De Henrico II. id obſeruatum in COMMENTAR. de Rebus Imperii IV. 2. de Conrado Salico IBIDEM V. 3.

VIII. Neque is honos alii quam Duci Saxoniae, Principi Electori, debebatur, in quo, cum Aurea Bulla conderetur, omnes tituli, quibus ad illum aſſerendum vis aliqua ineſſe poterat, vniti iam erant. Namque Duces Saxoniae ab antiquo curam Status Iuriſque Saxonici habuerant 1). Accedebat Archi-Mareſchalli officium, cuius vti in aula, et exercitu inſignis ſplendor, ita et interregni tempore in procuranda communi Republica auctoritas celebratur 2).

Digni-

Dignitas quoque Comitis Palatii per Saxoniam, qui circa iurisdictionem vindicare ſibi partes ſuas potuiſſet, iam dudum cum Ducatu coniuncta erat 3).

1) Exemplo eſt Bernhardus Dux, qui poſt Ottonis III. obitum, vniuerſae Saxoniae Statum moderatus, in conuentu Procerum Martisburgi, cui et Fridericus Comes Palatinus per Saxoniam intererat, Henricum II. Regem appellauit, ſtipulatus ante Iuris Statusque Saxonici conſeruationem. Vid. COMMENTAR. de Rebus Imperii IV. 2.

2) Conf. Ius FEVDALE ALEMANNICVM c. 42.

3) De quo infra Lib. IV. cap. 5.

IX. Vicariatus inſtituti ſunt, ne quid Reſpublica tempore interregni detrimenti ſentiat. Ideoque Vicariis non ea tantum iura, quae in Aurea Bulla diſertis verbis tribuuntur, competunt, ſed pro indole vicariae poteſtatis omnia regni iudicia, ac negotia exercent, vt ipſe Imperator, ad normam Capitulationis ſuae exercere poterat: praeter illa, quae expreſſe excepta, Caeſarique reſeruata ſunt *.

* Vid. Europäiſcher Herold P. I. c. 3. ſ. 7. COCCEIVS Iur. Publ. Prud. cap. XVI. §. 13. GRIBNERVS in Diſſ. de Iuribus Vicariorum Imperii.

X. Ergo haud ſecus ac Imperator, coniunctim habere Comitia, inque illis, conſenſu Statuum, condere leges, et interpretari, deque bello ac pace decernere poſſunt *.

* Conf. GRIBNERVS l. c. §. 23. ſeq. Iam vero et diſertis verbis ius hoc Vicariorum agnoſcitur in CAPITVLAT. IMPERIALI Art. XIII. 9.

XI. In-

XI. Inueſtitura feudorum ipſis permiſſa eſt, exceptis feudis principum, et reliquis per vexillum tradi ſolitis *.

* Conf. infra §. 19.

XII. Neque hodie amplius opus eſt, vt inueſtitura feudorum, quae Vicarii contulerunt, a nouo Imperatore denuo petatur, aut laudemia iterum ſoluantur *.

* Vid. CAPITVLAT. IMPERIALIS Art. XI. 7.

XIII. Camera Imperii, vtpote quae ab Imperatoris et Statuum auſpicio pendet, vtriusque Vicarii nomine iurisdictionem continuat, vtiturque ſigillo, quo vtriusque Vicarii inſigne electorale continetur.

XIV. Conſilium aulicum vero ſtatim defuncto Imperatore clauditur, et durante interregno quieſcit.

XV. Quilibet tamen Vicarius expediendis litibus, quae in prouinciis ſuae prouiſionis vertuntur, ſingulare iudicium conſtituere poteſt. Id inſtar conſilii Aulici Caeſarei concurrentem cum Camera iurisdictionem habet, cauſas omnes iudicio Aulico reſeruatas ſibi ſoli vindicat, nec ad Cameram, interregni tempore, deuolui patitur *.

* CAPITVLAT. IMPERIALIS III. 16. et 17. Conf. VFFENBACH de Iudicio Aulico cap. 25. p. 281.

XVI. Rotuilenſe iudicium, et reliqua per Franconiam, et Sueuiam, ſub Vicariatu ſunt Rhenano. *

* Conf.

* Conf. THVLEMARIVS de Octouiratu cap. 22. §. 25.

XVII. Quin etiam in cauſis gratiae, et quae reſeruatis Imperatoris alias accenſentur, Vicarii, in terris quisque Prouiſionis ſuae, (effectu tamen per vniuerſum Imperium vigente) auctoritate ſua vtuntur *, concedendo priuilegia, dignitates, etc.

* Hanc quoque Vicariorum praerogatiuam extra dubium ponit CAPITVLATIO nouiſſima Art. III. 20. verbis: es ſey in Juſtitz- oder Gnaden-Sachen.

XVIII. In ſpecie ius praeſentandi ad beneficia eccleſiaſtica, in quibus Imperator ius patronatus habet 1), diſertis Aureae Bullae verbis ipſis tribuitur 2).

1) Scilicet Imperatores Regesque Romanorum paſſim habuerunt eiusmodi iura Patronatus. In quibusdam Capitulis notae ſunt Praebendae Regis, Königs-Pfründe. Caeterum loco Aureae Bullae, quo ius praeſentandi ad beneficia eccleſiaſtica Electoribus conceditur, lucem foeneratur diploma Ruperti, Regis Romanorum, qui filium Ludouicum Imperii Vicarium conſtituit, verbis ſequentibus: *Ad Canonicatus, praebendas ac dignitates, etiamſi curata, et electiuae, et maiores poſt Pontificales in Metropolitanis et Cathedralibus, ac principales in Collegiis exiſtunt, perſonatus, Eccleſias parochiales, beneficia, et officia Eccleſiaſtica, ſeu temporalia, dum et quoties vacauerint, perſonas aptas et idoneas praeſentandi etc.*

2) Ius quoque primariarum precum Vicariis aſſerit THVLEMARIVS de Octouiratu cap. 22. §. 26. vt et GRIBNERVS in Diſſertat. de *Precibus primariis Vicariorum Imperii.*

XIX. Excipitur vero in Aurea Bulla a poteſtate Vicariorum inueſtitura feudorum Principalium,

palium, et quae vexillo tradi ſolent *. Itemque alienatio, et obligatio bonorum Imperii, quae hodie nec ipſi Imperatori, niſi conſenſu Statuum, in graui neceſſitate permiſſa eſt.

* Quod ſpecialius explicatum in CAPITVLATIONE Imp. Caroli VII. et reſtrictum ad feuda, quorum inueſtitura, non niſi coram Throno Imperiali peragi ſolet. Art. IX. 7. Welche Meynung es denn auch haben ſoll, mit denenjenigen Lehen, welche die Reichs-Vicarien in Kraft der güldenen Bull, (als worinnen die von Uns coram Throno zu empfahende Lehen allein ausgenommen ſind) verleyhen können.

XX. Vterque Vicariatus ſuos habet fines, intra quos auctoritas eius vigeat. Comiti Palatino in Aurea Bulla adſignatur prouiſio Imperii *in partibus Rheni, et Sueuiae, et iure Franconico*, quo loco *Iuris Franconici* vocabulo regiones intelliguntur, quae ab antiquo Francici proprie iuris fuiſſent. Auſtriaci tamen negant ſe, et prouincias ſuas, ſub Vicariatu eſſe 1). Neque olim Bauarus per terras ſuas Vicariatum Comitis Palatini agnoſcere volebat 2).

1) Leopoldus in diplomate, quo res ab Electore Bauariae, tanquam Imperii Vicario geſtas, A. 1658. confirmauit: Jedoch mit nachfolgendem Vorbehalt und Beding, erſtlich, daß Ihro Kaiſerl. Majeſtät einzigem Vicario des Reichs über Dero Erz-Haus, und demſebigen angehörige Erb-Lande die geringſte Iurisdiction nicht geſtändig, und dasjenige, was in der Sr. Churfl. Durchl. in Bayern ertheilten Confirmation ſub verbis: in Landen des Rheins, Schwaben und Fränkiſchen Rechten, dem Herkommen gemäß, enthalten, andergeſtalt nicht, als priuatiue, Reſpectiue Ihro Kaiſerl. Majeſtät Hochlöblichſten Erz-Hauſes, welches erſtberührten Herkommens gemäß, a iurisdictione Vica-

Vicariatus Imperii exemt iſt, zu verſtehen ſey: allermaſſen Ihro Kaiſerl. Majeſtät, wenn deme zugegen in höchſtgedachten Ihres Erz-Hauſes Landen, von des Reichs-Vicariat wegen, ichtwas vorgenommen worden wäre, ſolches alles abrogiert, contradicirt, und darwider ſolenniſſime proteſtiret haben. Sed pro Iure Vicariatus allegari poteſt diploma Rudolphi, Regis Romanorum, de A. 1275. quo Ludouico, Comiti Palatino ad Rhenum, etiam per Auſtriam et Stiriam, Vicariatum addicit. Vid. illud ap. LEIBNITIVM T. II. p. 102. et LVNIGIVM Part. Special. Contin. II. p. 129.

z) Diſputatum de eo A. 1612. tempore interregni poſt mortem Rudolphi II. Cum Palatini edicta Monachium miſſa eſſent, negabat Maximilianus Dux, Vicariatui huic locum per Circulum Bauaricum eſſe. Inde mutuis deductionibus agitata controuerſia, quas vide apud MEYERVM in Londorpio Continuato T. I.

XXI. Ad Saxonicum Vicariatum Aurea Bulla adſignauit Terras, in quibus *Iura Saxonica ſeruantur.* Itaque eo reſpiciunt omnes prouinciae, quas Saxonici, cognatìque populi habitant, in quibus tempore Aureae Bullae leges et conſuetudines Saxonicae viguerunt; etiamſi abrogatae ab eo tempore fuerint. Fundatus adeo eſt, per Domus Saxonicae Territoria, Saxoniamque et Thuringiam reliquam; per Veſtfaliam, et Friſiam: itemque per prouincias, quae Slauis ſubactis in Regni Germanici ius, et legum Saxonicarum vſum, tranſiere *.

* Conf. GRIBNERVS in Diſſert. de Terris Vicariatus Saxonici: de Friſia Orientali in ſpecie HARTMANNVS, in Diatribe de Vicariatu Saxonico per Friſiam Orientalem.

XXII. Poteſtas vtriusque Vicarii etiam extenditur extra Germaniam, per Burgundici Regni reliqui-

liquias, atque ad negotia Imperii in Italia. Sed hæc coniunctim reſpiciunt.

XXIII. Non ante finitur Vicariorum per interregnum exercita poteſtas, quam electus Imperator, praeſtito in Capitulationem iureiurando, praeſens Imperium capeſſit. *.

* CAPITVLAT. Caroli VII. Art. XXIX. 6. Auch ehe wir ſolches gethan (ſcil. die Capitulation beſchworen) Uns der Regierung vorher nicht zu unterziehen, ſondern geſchehen zu laſſen, daß die in der Güldnen Bulle benahmte Vicarii indeſſen an ſtatt Unſerer die Adminiſtration des Reichs continuiren.

XXIV. Is acta quoque Vicariorum tam in ipſa Capitulatione 1), quam ſingulari diplomate 2), confirmare ſolet.

1) Id vt faceret in CAPITVLATIONE Caroli V. art. 26. diſertis verbis ſtipulati ſunt Electores. Add. CAPITVLATIO nouiſſima Art. III. 19. et 20.

2) Diploma Caroli V. Ludouico Palatino A. 1521. datum, vid. in LVNIGII Reichs-Archiv Part. Special. p. 649. Id obſeruationibus ſuis illuſtrauit GRIBNERVS in Spicilegio Obſeruationum Miſcellanearum de Vicariis Imperii. Diploma D. Leopoldi A. 1659. Ferdinando Mariae, Electori Bauariae, datum, vid. ap. LVNIGIVM p. 726.

LIB.

# LIBER IV.

## CAP. I.

## DE STATIBVS IMPERII IN GENERE.

*Status Imperii definitio: 2. Character Status. 3. Quid circa qualitatem immediati obſeruandum? 4. 5.*
*Ius Comitiorum olim perſonale fuit, nunc Territorio inhaeret. 6.*
*Quid requiratur ad qualitatem Status Imperii obtinendam? 7.*
*De origine et incrementis Statuum Imperii 8. ſeq.*
*Cauſae generales, quae Statibus ad potentiam et auctoritatem profuerunt. 11.*
*Cauſae ſpeciales intuitu Epiſcoporum, Ducum, Comitum, Ciuitatum. 12.*

Supra repraeſentauimus, vt in Imperio ſummae poteſtatis partes temperatae ſint. Itaque poſtquam de Imperatore actum, iam conuenit per Ordinum, quales ad Reipublicae adminiſtrationem concurrunt, concilia ire: ante omnia vero de charactere Status Imperii, deque origine Statuum, pauca praemittere.

II. Status 1) Imperii definitur: quod ſit *ciuis Imperii immediatus, loco, et ſuffragio in comitiis gaudens* 2).

1) Status vocabulum a iure ſtandi in comitiis: In R. I. de A. 1548. §. 56. Die Stimme und Stand in Reichs-Verſammlungen haben.

2) Vid. HENR. COCCEIVS in Diſſ. de Charactere Statuum Imperii: nec non AVCTOR Meditationum ad Inſtrumentum Pacis, in Mantiſſa ad Specimen II. quae agit de Statibus Imperii.

III. Adeoque Character Status Imperii conſiſtit in iure ſuffragii comitialis.

IV. Quantum vero attinet ad qualitatem *immediati*, dantur quidem Status, qui territorium immediatum 1) non habent, ſed ditiones ſuas in feudum ab aliis Statibus tenent; de regalibus tamen, quae in iis exercent, ab Imperatore inveſtiuntur 2).

1) Ratione immedietatis aliam inſuper diſtinctionem profert AVCTOR Meditationum ad Inſtrumentum Pacis l. c. §. 11. Nimirum Status nonnullos habere quidem territorium *immediatum*, ſed non *immediate* ab Imperio.

2) Vid. Exempla ap. STRVVIVM in Syntagmate Iuris publici cap. XV. §. 3.

V. In Comitiis autem A. MDCLIV. grauibus de cauſis ſancitum, ne quis inter Status Imperii cooptetur, niſi territorium habeat immediatum 1): quod in Capitulationibus etiam repetitum. Itaque noui aliquot Principes hac demum conditione in ordinem recepti ſunt, vt, niſi bona immediata acquiſiuerint, qualitas Status Imperii ad heredes non tranſeat 2).

1) Vid. Receſſ. Imp. de An. 1654. §. 197.

2) De Reuerſalibus Principis de Porcia, et Principis Lichtenſteinii vid. STRVVIVS l. c. §. 5.

VI. Ius Status, ſeu Comitiorum, primitus perſonale fuit, quamdiu ſcilicet Proceres, intuitu officiorum regni, quibus fungebantur, aut intuitu feudorum, ad Curias, et Placita Imperatorum venire ſolebant. Hinc Status aliquot Imperii ſupereſſe videmus, qui territorium non habent, ex antiquo tamen more locum in Comitiis retinent. Princeps quoque olim vnum modo ſuffragium

fragium ferebat, licet plura feuda Regalia poſſideret 1). Nunc autem ius illud territoriis inhaeret 2), adeoque ratione diuerſarum regionum diuerſa quoque ſuffragia conceduntur. Qualia paſſim a Principibus adhuc hodie petuntur.

1) Inde factum, vt nonnulli Principes vnum tantum ſuffragium retinuerint, e. g. Archidux Auſtriae.

2) Extincta ſtirpe maſcula Comitum Limburgenſium, in ſeparatione feudi ab allodio, controuerſia exorta eſt, vtrum qualitas Status, cum iure ſuffragii in circulo, et comitiis ad heredes ditionis allodialis tranſiret, an pro obiecto feudali haberi deberet? Conf. Staats-Canzley T. XXXVIII. p. 513. et T. XXXIX. p. 585.

VII. Itaque prout iam legibus deſcriptum eſt Ius Statuum, vt Princeps, ſiue Comes in Ordinem et Ius Comitiorum admittatur, praeter inſignia in Imperium merita, requiritur 1), vt territorium immediatum, et bona ſuſtinendae dignitati paria poſſideat: tum vt partem onerum, collationumque Reipublicae ſuſcipiat: denique conſenſus Electorum, atque Principum, et ſi de Comite agitur, Comitum quoque 2).

1) CAPITVLAT. IMPERIAL. Art. I. 5. Auch keine Fürſten, Graffen und Herren, in Fürſt- oder Gräflichen Collegiis an oder aufnehmen, ſie haben ſich denn vorher darzu mit einem immediat Fürſtenthum, reſpective Graf- und Herrſchaft, gnugſam qualificiret, und mit einem Standeswürdigen Reichs-Anſchlag, (weshalben in Comitiis das nöthige forderſamſt zu reguliren) in einen gewiſſen Creyß eingelaſſen, und verbunden, und über ſolches alles, neben dem Churfürſtlichen, auch dasjenige Collegium und Banck, darinnen Sie aufgenommen werden ſollen, in die Admiſſion ordentlich gewilliget.

2) Ciuitates etiam conſuli de admiſſione Principum, Comitumque, volebant; vid. Repraeſentatio einiger Urſachen,

warum bey neuer Admittirung Fürſten, Graffen und Herren ad votum und Seſſionem in einem Hochlöbl. Fürſten-Rath, auch des Reichs-Städtiſchen Collegii Concurrenz jedesmals billig zu erfordern. Staats-Canzley T. XVII. p. 962. Rationes in contrarium vid. in LVNIGII Staats-Conſiliis T. II. p. 1693.

VIII. Caeterum non eſt eadem omnium Statuum Imperii origo. Variique ſunt gradus, per quos ad eam, qua hodie gaudent, domi potentiam, et in rebus communibus Imperii auctoritatem, peruenere. Scilicet inter Germanos antiquiſſimis iam temporibus Regum, Principumque poteſtas temperata fuit conſilio procerum, et populi voluntate.

IX. In ſpecie apud Francos in Conuentibus publicis Epiſcopi, et Abbates, tum et Officiales Regni, et reliqui Optimates locum habuerunt*.

* Conf. Geſchichte der Teutſchen XVI. 36. Rationem Comitiorum apud Francos explicat HERTIVS in Notitia Veteris Francorum Regni c. V. 27. Add. *Hiſtoire de l'Ancien Gouvernement de France par le Comte de* BOVLAINVILLIERS. Quo libro, epiſtola 4. Syſtema Feudale, quale inter Regem et Proceres olim fuit, deſcribitur.

X. Proceres ipſi in dies auxere patrimonium. Praeterea officia Regni in Feudum tranſierunt, et feuda ipſa hereditaria demum facta ſunt, cumulataque Iura Regalia. Nec vno tamen omnes tempore, nec iisdem modis, fortunas ſuas in tuto collocarunt *.

* Haec diſquiſitio Hiſtorica et Politica eſt. Otium hic nobis fecit Cl. HERTIVS in Diſſertatione de Origine et Progreſſu ſpecialium Romano-Germanici Imperii Rerumpublicarum.

XI. Quippe cauſae, quae Statibus ad incrementa potentiae et auctoritatis profuerunt, aliae

ſunt

ſunt generales, et omnibus communes, aliae ſpeciales. Ad illas referri poteſt Imperatorum, Regumque Romanorum profuſa liberalitas, in concedendis Reipublicae et fiſci bonis, atque iuribus: Diſcordia Regni et Sacerdotii: Poteſtas Ducum et Comitum hereditaria facta: Bellorum ciuilium licentia: quaeque ſolent alia in Regno electiuo temporum, rerumque momenta, opportuna priuatae rei, occurrere.

XII. Praeterea ſpeciales paſſim cauſae, et propriae cuilibet claſſi, atque ordini notari poſſunt. Ita Epiſcopi, et Abbates, cum aſſidui in comitatu Imperatorum eſſent, facile impetrauere, quae vellent et Aduocatiis ſublatis, ſacra et profana tractare coeperunt. Ducibus amplum territorium: et quod plures Ducatus coniungerent, pro inſtrumento amplificandae dignitatis fuit. Contra Caeſaribus, labente Imperio, e re viſum eſt, vt Epiſcoporum et Ducum potentiam minuerent, Abbates, Comites, Ciuitates, Equeſtrem Ordinem, fouere. His inſuper paſſim profuit Ducatuum veterum, et Sueuiae inprimis, extinctio. In ſpecie vrbes a Seculo XII. effloreſcere coeperunt. Mox partis per commercia diuitiis, et ſubnixae foederibus, libertatem non vna ratione parauerunt, prouti ſub Imperii praefectis quaelibet, aut in Domini alicuius territorialis poteſtate fuerat. Sed haec melius explicari poſſunt, vbi de Statibus ſingulis agitur: in qua tractatione receptam per tria collegia diuiſionem ſequemur.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# CAPVT II.
## DE
# COLLEGIO ELECTORALI:
## ET PRAEROGATIVIS AC DIGNITATE ELECTORVM IN GENERE.

*De origine Collegii Electoralis:* 1.
*Numerus eius auctus: vbi de iure circa nouum Electoratum inſtituendum.* 3. *ſeq.*
*Iura Electorum, quibus titulis nitantur?* 6.
*Iura, quae ex ratione Archi-Officiorum fluunt.* 7. *ſeq. De Iure ſeparati Collegii.* 8. *Electores Conſiliarii Imperatoris.* 9. *Vbi de conventibus Electorum.* 10. *Immunes a Xeniis Officialium hereditariorum in inueſtituris.* 11.
*De Vnione Eelectorum.* ib.
*Priuilegia ex Aurea Bulla.* 12.
*Inſpecie de non appellando.* 13.
*Et comparandi feuda.* 14.
*Electoratus indiuidui.* 15.
*Succeſſio Electoralis.* 16. 17.
*Tutela.* 18. *ſeq.*
*Actas maior.* 22.
*Lex Maieſtatis extenſa in eos, qui aduerſus Electorem conſpirauerint.* 23.
*Alia Priuilegia.* 24.
*Dignitas Electorum Regibus par.* 25. *ſeq. Vbi de praecedentia Electorum.*
*De Titulis Electorum.* 32.
*De Iure mittendi Legatos primi ordinis.* 35.

Origines Collegii Electoralis, vtque ad ſeptem primum Principes redacta fuit electio, ſupra explicauimus *. Hic de ipſo Collegii ſtatu, iuribusque ſingularibus, et dignitate Electorum, quaedam delibanda veniunt.

* Vid. Lib. III. c. 2.

II. Diu intra numerum ſeptenarium Collegium ſtetit. Atque pro conſeruatione Eius in Aurea

Aurea Bulla diſpoſitum, vt ſi Electoratum aliquem vacare contigerit, Imperator de nouo illum conferat *.

* AVREA BVLLA Tit. 7. §. 5. *Si vero aliquem ex huiusmodi Principatibus ipſorum Imperio ſacro vacare contigerit, tum Imperator, ſeu Rex Romanorum, qui pro tempore fuerit, de ipſo prouidere debebit, ac poterit, tanquam de re ad ſe et Imperium legitime deuoluta.* Agitari paſſim quaeſtionem videas: Vtrum duo Electoratus in vna perſona coniungi poſſint? In eadem domo duos, pluresue eſſe poſſe, dubium nullum eſt.

III. Sed duabus vicibus auctus numerus fuit. Cum Ferdinandus II. proſcripto Friderico Palatino, dignitatem electoralem in Domum Bauaricam tranſtuliſſet; in Pace Weſtphalica, vt ſtirpi Palatinae ſatisfieret, octauus Electoratus inſtitutus eſt 1), ſeruata in priſtinum illum inueſtitura ſimultanea, adiectaque conditione, vt ſi vnquam ille ad Palatinos redeat, octauus tum penitus ceſſet 2).

1) INSTRVM. Pacis Oſnabr. Art. 4. §. 3. 4. 5.

2) IBIDEM §. 9. *Quod ſi vero contigerit, lineam Guilhelminam maſculinam prorſus deficere, ſuperſtite Palatina, non modo Palatinatus ſuperior, ſed etiam dignitas electoralis, quae penes Bauariae Duces fuit, ad eosdem ſuperſtites Palatinos, interim ſimultanea inueſtitura gauiſuros redeat, octauo tunc Electoratu prorſus expungendo.*

IV. Denique A. MDCXCII. nouum Electoratum D. Leopoldus inſtituit, in Domo Brunſuicenſi, familia Hannouerana. Sed ob contradictionem Electorum, et Principum, diu protracta introductione, ex vnanimi demum Ordi-

num Imperii decreto, An. MDCCX. nouus Elector in Collegium receptus eſt *.

* Conditiones adiectas vide in concluſo ipſo in der Staats-Canzley T. XIII. p. 410.

V. Sancitumque ſimul occaſione horum motuum, ne inpoſterum electoratus inſtitui poſſit, niſi comitiali omnium Imperii Ordinum conſenſu *.

* Vid. Praef. zur gegenwärtigen Verfaſſung der Kaiſerlichen Regierung.

VI. Iura Electorum non vno fundamento nituntur. Quaedam enim antiquitus ex ipſo Iure eligendi, et indole Archiofficiorum ſuorum, habuerunt, et mutuis foederibus, ſeu *Vnionibus*, aſſeruere. Multa Imperatores de nouo contulerunt, et maxime Carolus IV. in Aurea Bulla. Nonnulla et poſtea, pro re nata, prout conuenire viſum antiquae dignitati, et auctoritati, obtinuerunt *.

* Iura Electorum varii ſcriptores data opera recenſuerunt. THVLEMARIVS in Tract. de Octouiratu: IOACH. ERNESTVS CRVGERVS in Diſcurſibus ad iura Nouemuirorum.

VII. Vti in ipſo iure eligendi Imperatoris maxima Principum Electorum praerogatiua eſt, ita ex antiqua Officialium Palatinorum ratione, functiones in Curia Imperiali, et praecipue in Sollemni Coronationis ſeruarunt, quas iam alio loco notauimus *.

* Conf. ſupra Lib. III. cap. 3. et 7.

VIII.

VIII. Hinc quoque deduci poteſt ipſum ius ſeparati Collegii. Quippe iam olim Palatinos Officiales, in conuentibus Regni, cum Rege ſeorſim communicaſſe conſilia conſtat *.

* Vid. HINCMARVS in Epiſtola pro Inſtitutione Carolomanni Regis §. 32 - 34.

IX. Item quod intimi Imperatoris conſiliarii cenſentur. Vnde adhuc pollicetur Imperator, conſilio illorum in maioris momenti negotiis vti *. In ſpecie illorum conſilium et conſenſus requiritur, vbi bellum ſubito ingruit, aut de loco et tempore habendorum Comitiorum, aut de conceſſione vectigalium, vel priuilegii monetae agitur: et quae alia eius gèneris ſuo loco notabimus.

* CAPITVLAT. nouiſſ. Art. III. 3. In wichtigen Sachen, ſo das Reich antreffen, nach der Anleitung der Güldnen Bull, jedoch dem Friedens-Schluß ohne Abbruch, Ihres Raths, Bedenckens, und Gutachtens Uns gebrauchen, und ohne dieſelben hierinnen nichts vornehmen.

X. Hinc conuentus electorales, quos Imperator cum Electoribus, aut ipſi etiam ſoli inſtituunt *. Qualis Conſultationis exemplum noviſſimum Imp. Aug. Carolus. VII. dedit.

* CAPITVLAT. nouiſſ. Art. III. 12. Wir laſſen auch zu, daß die Churfürſten je zu Zeiten, vermöge der Güldnen Bull, und der ſich darauf gründenden Churfürſten Vereinigung, nach Gelegenheit und Zuſtand des Heil. Röm. Reichs, zu Ihrer Nothdurft, auch ſo ſie beſchwerliches Obliegen haben, zuſammen kommen mögen, daſſelbe zu bedencken, und zu berathſchlagen ꝛc.

XI. * Ex Officiorum etiam Palatinorum ratione deriuatur, quod in inueſtituris feudorum

Electoralium, immunes ſunt a xeniis, quae alias Officiis aulicis hereditariis debentur *.

* In AVREA BVLLA Tit. 29. Imperator ipſe hanc rationem adducit: *Cum ergo ipſi Principes Electores cunctis Imperialis Curiae praeſint officiis, ſuos etiam habentes in huiusmodi officiis ſubſtitutos, datos ad hoc a Romanis principibus, et dotatos: videretur abſurdum, quod ſubſtituti Officiales a ſuis ſuperioribus, quocunque quaeſito colore exenia poſtularent: niſi forte ipſi Principes Electores ſponte et liberaliter his aliquid largirentur.*

XI. [b] Vnio autem, qua primum Principes Electores ad ſtatum ſuum communi ope tuendum, obſtrinxerunt, Renſae, An. MCCCXXXVIII. inita fuit 1). Saepius deinde repetita, in Capitulationibus etiam Imperatorum confirmatur 2). Inſtaurata eſt Francofurti ad Moenum, paulo poſt coronationem Imp. Auguſti Franciſci I.

1) De ea vid. GVNDLINGII Diſſ. *de occaſione Vnionis Electoralis.*

2) CAPITVLATIO nouiſſima, Art. III. 6. verbis: die Gemeine, und ſonderbahre Rheiniſche Verein der Churfürſten.

XII. Iura et priuilegia Electorum declarauit, confirmauit, atque auxit Carolus IV. in Aurea Bulla. Equidem ius metallifodinarum, monetae, recipiendi Iudaeos, et priuilegium de non euocando, quae tanquam ſingularia priuilegia ibi imputantur, ſucceſſu temporis etiam reliquis Imperii Statibus, partim vi ſimilis conceſſionis, partim vi Superioritatis Territorialis obtigerunt.

XIII. Sed inſignius eſt, quod ex Aurea Bulla durat priuilegium de non appellando: renouatum a Ferdinando III.

XIV.

XIV. Itemque facultas acquirendi feuda Imperii, aut terras allodiales, abſque ſpeciali Imperatoris praeſcitu, et conſenſu *.

* A. B. Tit. 10. add. IO. FRANCISCI WINTER Diſſ. *de Praerogatiua Electorum S. R. I. circa acquirendas abſque ſpecifico Imperatoris conſenſu terras Imperii.*

XV. Praeterea Carolus IV. Electoratibus conſeruandis, firmandisque intentus, plurima in eam rem ſalutaria, eadem lege ſtatuit. Praecipuum eſt, vt Electoratus in poſterum indiuiduus penes primogenitum maneret, neque fas eſſet ius ſuffragii ferendi, et Archiofficium, ab ipſa prouincia electorali diuellere *. Qua ſanctione pluribus controuerſiis obex poſitus fuit, quae ſaepius in familiis Electoralibus, non ſine graui Imperii ipſius detrimento, feruuerant: cum aut in familia ipſa diuerſae ſtirpes de iure ſuffragii certarent, aut orti ex eadem domo Principes, ad Comitia eligendi Regis, omnes admitti cuperent.

* AVREA BVLLA Tit. 7. et 25.

XVI. Ipſa vero ſuccedendi in Electoratu ratio ita definita eſt, vt ſi Elector plures filios, nepotesue relinquat, penes filium primogenitum, laicum ſcilicet, ac de caetero habilem, eiusue filium, et poſteros maneat ſucceſſio in Electoratu integro *.

* AVREA BVLLA Tit. 7. §. 2. *Ad filium primogenitum legitimum, laicum; illo vero non extante, ad eiusdem primogeniti filium, ſimiliter laicum, libere et ſine contradictione cuiuſpiam deuoluatur.* Sed praeter Auream Bullam, ſingula-

ſingularibus adhuc Conſtitutionibus Imperatores Carolus IV. et Sigismundus, Succeſſionem in familia Palatina, et Saxonica ordinarunt.

XVII. Deficiente linea primogeniti, vbi ſucceſſio deuoluitur ad collaterales, linealis ſucceſſio obtinet 1): cuius rei exemplum praeterito ſeculo fuit in Electoratu Palatino 2). Duos tamen caſus reperio, vbi concurrente ſecundi fratris filio, et fratre vltragenito, fratris ratio habita fuit 3).

1) AVREA BVLLA haec tantum habet Tit. 7. §. 3. *Si vero primogenitus huiusmodi absque heredibus maſculis, legitimis, laicis, ab hac luce migraret, virtute praeſentis Imperialis edicti, ius, vox et poteſtas electionis praedictae ad ſeniorem fratrem laicum, per veram paternalem lineam deſcendentem, et deinceps ad illius primogenitum laicum deuoluatur.*

2) In Domo Palatina Imperator Sigismundus A. 1414. et 1434. ſucceſſionem in Electoratu ad primogenituram, et ſucceſſionem linealem agnaticam definiuit. Eaque ratio ſeruata eſt, cum extincta Gente Simmerenſi, Philippus Guilielmus, Palatinus Neoburgicus, linea proximus, admitteretur, quamuis gradu Proximior eſſet Veldentinus. Scripta, quae tum in hac controuerſia prodierunt, recenſet STRVVIVS in Syntagm. I. P. cap. 16. §. 26.

In Gente Saxonica, familia Erneſtina, diſputatum ſeculo praeterito, Duxne Altenburgenſis, an Vinarienſis, alterum praecederet? Ille nitebatur lineae praerogatiua, hic aetate. Qua in lite inter alia argumenta hoc quoque excuſſum eſt, vter propior ſucceſſioni in Electoratu, ſi vacare contigerit, futurus eſſet? Pro Altenburgenſi tum ſcripſit ARNOLDVS ENGELBRECHT. Pro Vinarienſi MELCHIOR GOLDASTVS librum edidit *de Maioratu, et de iure repraeſentationis in primogenitura Imperii Germanici.*

3) Ca-

3) Caſus in Domo Rudolphi, Saxoniae Electoris, ex Aſcania Gente, contigit:

Rudolphus Elector † 1356.

Rudolphus II. † 1370. Otto † 1349. Wenceslaus.

Albertus Dux.

Mortuo enim Rudolpho II. non ſucceſſit ſecundi fratris filius Albertus, ſed tertius frater Wenceslaus. Pronti Carolus IV. A. 1376. in Comitiis Electoralibus pronunciauit. Quem caſum egregie illuſtrauit GRIBNERVS in Comm. ad Auream Bullam Saxonicam Caroli IV. §. 38. Simile exemplum in Domo Palatina, defuncto A. 1544. Ludouico Electore, contigit. Succeſſit enim frater Fridericus II. excluſis fratris Senioris filiis, Ottone Henrico, et Philippo.

XIIX. De tutela Electorali in Aurea Bulla conſtitutum, vt, moriente primogenito, et immaturum annis filium relinquente, frater primogeniti ſenior eam ſuſcipiat *.

* Vid. AVREA BVLLA Tit. 7. §. 4. *Si principem Electorem, ſeu eius primogenitum, aut filium ſeniorem laicum mori, et heredes maſculos, legitimos, laicos, defectum aetatis patientes relinquere contigerit: tunc frater ſenior eiusdem primogeniti, tutor eorum et adminiſtrator exiſtat; donec ſenior ex eis legitimam aetatem attigerit. Quam in principe Electore, decem et octo annos completos cenſeri volumus, et ſtatuimus perpetuo haberi. Quam dum attigerit, ius, vocem et poteſtatem, et omnia ab ipſis dependentia, tutor ipſe ſibi totaliter, cum officio, teneatur protinus adſignare.*

XIX. Sed vtrum ita penitus excludatur tutela teſtamentaria, quae alias in familiis illuſtribus, aeque ac inter priuatos, obtinet, aliquoties diſputatum eſt: maxime in Domo Palatina 1). Vtrinque ſpecioſae rationes prolatae ab iis, qui editis libris in ea controuerſia certarunt 2). Neque

que

Digitized by Google

que res hactenus lege deciſa eſt, et praeiudicia in vtramque partem adſunt 3).

1) Bis in Domo Palatina ea de re certatum. Primum defuncto A. 1583. Ludouico IV. Tum Iohannes Caſimirus, Neoburgicus, vt proximus agnatus, legitimam tutelam ſolus ſuſcepit, quamuis Ludouicus Teſtamento alios Contutores nominaſſet. Iterum contigit caſus poſt obitum Friderici IV. A. 1610. Is tutorem filiis nominauerat Iohannem Bipontinum, praeterito Philippo Ludouico, Neoburgico, propiori agnato. Sed tum quidem per decretum Imperatoris Rudolphi II. et ex ſententia Collegii Electoralis, tutor teſtamentarius fuit agnitus, donec vel lege, vel transactione lis componeretur. Conf. Dn. a LVDWIG in Commentar. ad Auream Bullam T. I. p. 721. vbi argumenta vtriusque partis expendit, ac denique pro legitima tutela ſententiam ipſe dicit.

2) Pro Teſtamentaria Tutela MARQVARDVS FREHERVS, et DIONYSIUS GOTHOFREDVS. Pro legitima in fauorem Neoburgici, ZACH. FRIEDENREICH, et IOH. ZESCHLINVS. Seriem ſcriptorum recenſet Dn. a LVDWIG. l. c. p. 721.

3) E. g. In Electoratu Palatino, poſt mortem Ludouici Barbati, excluſis Tutoribus Teſtamentariis, admiſſus eſt ad Tutelam frater eius Fridericus. Iohannis Caſimiri exemplum, qui itidem legitimam Tutelam contra tabulas vltimae voluntatis vindicauit, iam ſupra *not. 1.* adduxi. Contra Teſtamenti auctoritatem aduerſus legitimum Tutorem vſu obtinuiſſe, Ioh. Bipontini, ab Imperatore et Electoribus, pro Tutore agniti, adminiſtratio docet.

XX. Aliis ergo diuidere quaeſtionem viſum eſt, atque ita temperare ſententiam, vt Aurea Bulla de adminiſtratione Officii, et reliquorum munerum Electoratus intelligatur, inque iis ſola Tutela legitima locum habeat; intuitu educatio-

cationis autem, et regiminis terrarum, Electori fas ſit, teſtamento filiis proſpicere *.

* Cocceius in Iurisprudentia Publica c. 29. §. 17.

XXI. Quod temperamentum vſu etiam in Domo Electorali Saxonica 1), et Bauarica 2) obtinuit 3).

1) In Domo Saxonica Chriſtianus I. A. 1598. teſtamento Tutelam Friderico Wilhelmo, Duci Altenburgenſi, proximo agnato, Viduaeque, et eius fratri, Io. Georgio, Electori Brandenburgico, commendauit. Inter eos autem conuenit, vt Fridericus Wilhelmus res, quae ad Electoratum ſpectarent, ſolus gereret, prouincias ipſas communi nomine regeret. Vid. Europäiſcher Herold. P. I. p. 217.

2) Singulare exemplum in Domo Bauarica. Maximilianus Elector A. 1647. cum Imp. Ferdinando III. pactum iniit, Tutelam filii ſui, ſi ipſo adhuc minore decederet, penes viduam ſuam, eiusque fratrem, Imperatorem, fore. Ita quidem AVCTOR Hiſtoriae Tractatuum Publicorum (*Hiſtoire de Traitsé*) T. II. p. 203. Quae ſi rite ſe habent, ſpeciem dant Tutelae Pactitiae, etiam in Electoratu tentatae. Caeterum in Bauaria, cum mortuo Maximiliano, ſucceſſiſſet Ferdinandus Maria, obtinuit, vt Electoratus curam Albertus patruus ſuſciperet; educationem et prouinciae ſtatum mater moderaretur. Idque ex formulis ſubſcriptionum in R. I. de A. 1654. apparet.

3) In Bohemia, ſub Regibus Ladislao Poſthumo, et Ludouico, adminiſtrandi Regni, Principe impubere, curam, delecti ex Statibus habuerunt. Cuius rei rationes ex temporum illorum conditione petendae ſunt.

XXII. Aetas legitima Electorum definitur per Auream Bullam octodecim annis 1). Sed

vſu

vſu non tam ſtricte obſeruatum eſt, et ſaepius Electores etiam ante illum terminum admiſſi 2).

1) AVREA BVLLA Tit. 7.

2) Vid. Exempla ap. STRVVIVM l. c. §. 31.

XXIII. Denique Carolus IV. vt eo ſanctiorem Electorum auctoritatem faceret, legem Maieſtatis, qualem Impp. Arcadius, et Honorius tulerant, etiam in eos, qui aduerſus Principem Electorem conſpirauerint, prorogauit *.

* AVREA BVLLA Tit. 24.

XXIV. Caeterum antiquis huiusmodi praerogatiuis innixi Principes Electores, alias inſuper de nouo acquiſiuerunt, in iis Imperii negotiis, quae poſt Aureae Bullae tempora ordinata fuerunt: e. g. in deputatione Imperii ordinaria, in praeſentatione Aſſeſſorum ad Iudicium Camerale, etc.

XXV. Quoad dignitatem Electorum pro regula eſt, quod Regibus aequiparantur, eodemque fundamento praecedentia illorum, et titulorum honores, et legatorum electoralium praerogatiuae nituntur *.

* Vid. CAPITVLAT. Carolina Art. 3. Nachdemmahln ſich auch eine Zeitlang zugetragen, daß ausländiſcher Potentaten, Fürſten, Republiquen Geſandte, und zwar dieſe unter dem Namen und Vorwand, als wären die Republiquen vor gekrönte Häupter, und alſo denenſelben in Würden gleich zu achten, an denen Kaiſerlichen und Königlichen Höfen, und Capellen, die Präcedenz vor denen Churfürſtlichen Geſandten prätendiren wollen; ſo ſollen

len und wollen Wir ins künftige ſolches weiter nicht geſtatten. Wäre es aber Sache, daß neben denen Churfürſtlichen Geſandten, recht-titulirter und gekrönter, regierender ausländiſcher Königen, Königlichen Witthen, oder Pupillen (denen die Regierung, so bald ſie ihr gebührendes Alter erreichet, zu führen zuſtehet, und immittelſt in der Tutel oder Curatel begriffen ſeyn) Bothſchafter zugleich vorhanden wären; So mögen und ſollen zwar dieſelbe den Churfürſtlichen Geſandten, dieſe aber allen andern auswärtiger Republiquen Geſandten und auch denen Fürſten in Perſon, ohne Unterſcheid vorgehen: und unter Ihnen, nehmlich denen Churfürſtlichen Geſandten, primi ordinis, es mögen auch deren mehr als einer ſeyn, an unſerm Kaiſerlichen Hof, auch ſonſten aller Orten, in- und auſſer dem Reich, keine Diſtinction mehr gemachet, ſondern allen und jeden gleiche honores in allen, wie denen Königlichen Geſandten, gegeben werden.

XXVI. In celebranda quidem Curia Imperiali, in conſeſſu, et proceſſione ſollenni, nec Regibus cedunt *: Extra illam primum Regibus, actu regnantibus, locum relinquunt.

* Ob eam cauſam in Caroli V. inauguratione nec legatus Apoſtolicus, nec legatus Angliae Aquisgrani adeſſe voluerunt: Vid. SLEIDANVS Lib. II. Et Elector Brandenburgicus Rudolpho II. Vngariae iam Regi, in Curia loco cedere noluit. Vid. LIMNAEVS Lib. III. c. 2. §. 4.

XXVII. Non vero Principibus, qui Regium Titulum absque Regno gerunt, neque fratribus, aut filiis Regum.

XXVIII. Neque Reipublicae Venetae, quanquam et ipſa par Regibus habeatur. Qua in re et exempla fauent 1). Proinde cum A. 1636. Ferdinandus II. decreto ſanciuiſſet, Oratorem Ve-

P ne-

netum, Regiorum numero cenſeri, atque ideo ante Electorales locum habere, id in Capitulatione Leopoldi diſertis verbis ſublatum 2).

1) Ita A. 1490. oborta Romae inter legatum Electoris Moguntini, et Venetum, de honoratiori loco contentione, pro Moguntino deciſum. A. 1493. in exequiis Friderici III. Venetus Orator poſt Bauarum proceſſit. Itemque An. 1519. in exequiis Maximiliani I. In Concilio Tridentino legati Veneti infra Electorales.

2) Art. 4. vid. ſupra notam ad §. 25.

XXIX. Idque a Sabaudiae Ducibus 1), cum ipſi Regiae Celſitudinis titulum a Caeſare impetraſſent, ſponte agnitum; et aeque aduerſus Lotharingiae Duces aſſertum 2).

1) PVFENDORFIVS Rer. Brandenburgic. Lib. IX. §. 64. *Ea res occaſionem praebuit, vt Elector poſtea in Comitiis Ratisponenſibus, cum Sabaudiae Duce ſuper cerimoniis conuentionem iniret; qua Dux declarabat, vt i ipſe maioresque ſui nunquam praeſumſerint Electorale Collegium, aut ſingulos Electores praecedere; ita et deinceps ſe facturum; ac particulariter Electori Brandenburgico non tantum in Comitiis et Aula Caeſarea, ſed in omnibus aliis locis, ſiue intra, ſiue extra Italiam, ſine vlla contradictione ceſſurum, tum ex ratione aut occaſione tituli Regiae Altitudinis ne minimam quidem partem illius obſeruantiae omiſſurum, qua cum Electoribus agere ſueuit. Eodem quoque modo, et eodem ciuilitatis genere tractaturum legatos Electorales in Aula ſua et intra Italiae fines, quo Caeſareos, et Regios legatos tractet; habeat et honoret. Si Ducem Sabaudiae in Germaniam comitiorum, vel alia ex cauſa venire contingat, ipſum Electoris legatos tractaturum et habiturum, ſicuti tractantur et habentur a ſecularibus principibus, proximum poſt Electores locum obtinentibus, Ducem Electori daturum titulum Serenitatis Electoralis; Electore viciſſim reponente. Titulum Regiae Celſitudinis, idque apud poſteros quoque obſeruandum.*

2) IDEM

2) IDEM l. c. Lib. X. §. 85. *Aſt maior indignitas erat, quod Lotharingus legato ſuo iniunxiſſet, vt noſtros praecederet. Aduerſus quae auſa Elector ſuis imperabat, vt vi iſtum, ſi tale quid aggrederetur, depellerent, ac eo nomine ad Collegium Electorale ſcribebat, Colonienſe imprimis eam praetenſionem miraute, praeſertim cum iſte ne in Lotharingiae quidem poſſeſſione ſit; cui nec Elector in ſua Domo priorem locum conceſſurus erat. Etſi conſtabat Lotharingum ad iſta monenda ab aliis inſtigatum; qui et antea idem a patruo ſuo tentatum improbarat.*

XXX. Nec Cardinalibus hodie cedunt *.

* Conf. IOH. FREINSHEMII Diatribe de Praecedentia S. R. I. Electorum, et Romanae Eccleſiae Cardinalium.

XXXI. Prae reliquis Imperii principibus varias ſibi praerogatiuas vindicant, quae ſaepius controuerſiis anſam praebuerunt.

XXXII. Titulos Reuerendiſſimi, et Sereniſſimi, etiam ipſe Imperator tribuit.

XXXIII. Et Eccleſiaſticos Neven 1), (conſanguineos) appellat, Seculares, Oheime. Qui quidem honos, et aliis quibusdam Imperii Principibus habetur 2).

1) Vid. GVNDLINGIANA Parte XI. n. I.

2) Vid. KVLPISIVS ad MONZAMBANVM II. 9.

XXXIV. Ab exteris Regibus Seculares Sereniſſimi, et fratres vocantur: iisque viciſſim Maieſtatis appellationem tribuunt.

XXXV. Electores gaudent iure mittendi legatos primi ordinis, quibus idem honos habetur ac Regiis: ſcilicet titulus Excellentiae, honos manus dextrae, et primae ſalutationis. Imperator quoque diſcrimen inter legatos Electorum primarios, et ſecundarios, quod olim obſervabatur, ſuſtulit *.

* Vid. ſupra notam *ad §. 25.

XXXVI. Legati Electorum nemini cedunt, niſi cui et domini priorem locum relinquunt: adeoque nec ipſis Imperii Principibus *. In Collegio tamen Electorali, Principi Electori praeſenti, abſentium legati honoratiorem locum relinquunt: ſaluo caeteroquin laterum, et ſuffragiorum ordine.

* Vide locum ex Capitulatione adductum ſupra, ad §. 25. Proteſtationem Principum vide in Grauaminibus contra Capitulationem Imp. Caroli VII. apud MOSERVM T. III. p. 69.

## CAPVT III.

### DE
# ELECTORIBVS
### SINGVLIS.

*Connexio dicendorum.* 1.
*De Electore Moguntino.* 2.
- - *Treuirenſi.* 4.
- - *Colonienſi.* 6.
- - *Rege Bohemiae.* 7. *ſeq.*
*De Electore Bauariae* 14. *ſeq.*
- - *Saxoniae.* 20. *ſeq.*
- - *Brandenburgico.* 26.
- - *Palatino.* 29.
- - *BrunſuicoLuneburgenſi.* 31.

Quae notari de Electoribus merentur, pleraque occupauimus, cum de officiis Palatinis, et iuribus Electorum in genere ageremus. Eccleſiaſticorum quoque eminentiam, quam Primatus aut metropoleos honore habent, commodius explicabimus, vbi ſtatum Eccleſiae Germanicae delineabimus. Hic tamen ſingulos Electores ordine commemorare viſum eſt, vt locum faciamus obſeruationibus, quae forte in lectione aut ipſo rerum vſu, de ſtatu, iuribus, ac praetenſionibus illorum occurrere poſſunt.

II. Primus inter Principes Electores eſt Archiepiſcopus Moguntinus, S. R. I. Archicancellarius per Germaniam. Qui primum adeo, vt in Eccleſia, ita et Republica Germanica locum habet *.

* Innocentius III. ad Moguntinum, in Regeſt. Ep. 22. *Sicut frequenter Tibi propoſuimus viua voce, non eſt, qui poſt Romanum Pontificem vel in Eccle-*

*ſia Romana, vel in Imperio Romano tantum locum obtineat, quantum obtines in vtroque.*

III. Hiſce titulis nituntur tot inſignia iura et praerogatiuae, quibus in electione et coronatione Imperatoris fruitur: itemque directorium, quod in Comitiis, et in ſpecie in Collegio Electorum habet: Viſitatio Camerae Imperialis, et Iudicii aulici: Patrocinium Poſtarum Imperialium *, et quae ſunt alia iis connexa, ſuo loco, cum de Comitiis, et Iudiciis Imperii agetur, explicanda.

* Vid. quae ex ſchedis BOINEBVRGII habet BOECLERVS in Notitia Imperii L. VI. c. 5. Europäiſcher Herold T. I. p. 197.

IV. Archi-Epiſcopus Treuirenſis, S.R.I. per Galliam, et Regnum Arelatenſe Archi-Cancellarius, primo loco ſententiam dicit in electione Regis. In ordine Curiae Imperialis, vbi Electores vtrinque latus Imperatoris claudunt, ex oppoſito illi ſedet, alias cum Colonienſi locum alternat.

V. Priuilegio de non appellando diu non eſt vſus, niſi vbi lis infra 1000. floren. Rhenanos aeſtimaretur. Sed aſſeruit illud Franciſcus Ludouicus, Elector, impetrato Anno MDCCXXI. ab Imp. Carolo VI. nouo priuilegio de non appellando, illimitato *.

* Territorium Archi-Epiſcopatus Treuirenſis, acceſſionesque Abbatiarum, Prumienſis, et S. Maximini, explicat Auctor des Europäiſchen Herolds P. I. p. 207. add. Io.

LVDO-

LVDOVICI WIEDERHOLDT Diſſ. *de Praerogatiuis Electoris Treuirenſis.* Herbornae A. 1715.

VI. Archi-Epiſcopus Colonienſis 1), S. R. I. Archi-Cancellarius per Italiam, titulis inſerit Ducatum Angariae et Veſtfaliae, cuius partem Fridericus I. Imperator poſt cladem Henrici Ducis, Philippo Archi-Epiſcopo contulit 2).

1) De iure conſecrandi vngendique Imperatorem in Germania, vti inter Electores Colonienſem et Moguntinum transactum ſit, explicaui ſupra Lib. III. cap. 3. §. 8. ſeq.

2) Vid. Litteras inueſtiturae Friderici Imperatoris apud SCHATENIVM in Hiſtoria Veſtfaliae. De hac re poſtea inter eccleſiam Colonienſem, et Henrici Leonis filios, ſingulari pacto transactum eſt.

VII. Inter Electores ſeculares, Regiae dignitatis, merito primum locum habet Rex Bohemiae, S. R. I. Archipincerna. Bohemia a Germanis Principibus in Ius Imperii redacta, et denique in ciuitatem recepta fuit 1), ampliſſimisque immunitatibus, et priuilegiis 2) ornata, quae Carolus IV. imprimis ſtudioſe confirmauit, auxitque.

1) Conf. HERTIVS de renouato R. I. et Regni Bohemici nexu. IO. PETR. a LVDWIG de Iure ſuffragii Regis Bohemiae.

2) E. g. inter Priuilegia, quae Fridericus II. Ottocaro dedit, hoc quoque continetur: vt Reges ad Curiam venire non teneantur, niſi quae Bambergae, Norimbergae, aut Merſeburgi indicta fuerit.

VIII. Ipſi Duces, iam antequam numerus Electorum ad ſeptem Principes reſtrictus eſſet, electionibus interfuerunt 1). Dignitatem Regalem

ab Imperatoribus acceperunt, Vratislaus ab Henrico IV. 2) Vladislaus a Friderico I. 3). Ea dignitas primum perſonalis fuit. Sed a tempore Philippi Sueui perpetua manſit 4).

1) Cum Henricus II. Merſeburgi a Saxoniae Principibus Rex appellaretur, aderat etiam Boleslaus, Bohemiae Dux. Conradi Salici electioni Bohemum interfuiſſe VIPPO teſtatur. Fridericus II. a Rege Bohemiae electum ſe teſtatur. Similiter inter Principes, qui filium Eius, Conradum, elegerunt, Bohemiae Rex nominatur.

2) De Regia Dignitate Vratislao data, ab Imperatore Henrico IV. vide COMMENTARIOS de Rebus Imperii II. 24.

3) Vid. RADEVICVS de Geſtis Friderici Lib. I. cap. 13. GVNTHERVS in Ligurino, Lib. VI. v. 446. Diploma Friderici proferunt Rerum Bohemicarum ſcriptores, et GOLDASTVS de Regno Bohemiae in Appendice n. 10.

4) Vid. Diploma Friderici II. apud GOLDASTVM l. c. n. 13.

IX. Deinde, laxato pauliſper Bohemiae cum Imperio Germanico nexu, obtinuit aliquandiu, vt Rex Bohemiae non vocaretur ad publicos conuentus, niſi quum de electione Imperatoris ageretur. Neque in ipſo hoc conuentu Electorum admitti ad conſultationem de adornanda Capitulatione ſolebat.

X. Sed cum A. MDCCVIII. Imperii Ordines in Electoratum Brunſuicenſis Domus vnanimes conſentirent, conuenit quoque, vt Rex Bohemiae ad omnia iura Comitiorum, et Collegii Electoralis, in poſterum admitteretur: ac viciſſim partem onerum R. P. in ſe reciperet*.

* Vid.

* Vid. Concluſum Trium Imperii Ordinum in der Staats-Canzley T. XIII. p. 410. ibique verba (p. 413.) So iſt ferner beſchloſſen worden, daß Ihrer Kaiſerl. Majeſtät zu allergnädigſtem Belieben (und wie hiermit beſchiehet) frey zu ſtellen ſeye, ob, und wenn Sie, vermöge Dero habenden undiſputirlichen Rechts und Befugniß, Ihren Böhmiſchen Siß, und Stimme, durch eine eigene genugſam bevollmächtigte Geſandtſchaft bekleiden, und in allen Deliberationibus im Churfürſtl. Collegio, bey ordinari, und extraordinari Zuſammenkünften, Reichs-Deputations-Collegial-und andern Tägen verführen, hingegen aber auch zu allen Reichs-und Craiß-Oneribus et Praeſtationibus publicis, auch andern Anlagen, für nun wenigſt einen Churfürſtl. Anſchlag, und 300 Cammer-Gulden zum Cammer-Gericht (Ihren Priuilegiis fori jedoch ohnnachtheilig) übernehmen, und in allen Anlagen bezahlen zu laſſen, wie weniger nicht allergnädigſt geruhen möchten, für ſich, und Dero Böhmiſche Geſandte, auf Wahl-Reichs-Craiß-Deputations-Collegial-und andern Tägen, auch Friedens-und dergleichen Conventen und Tractaten, wo ein König in Böhmen, als Churfürſt, oder Dero Geſandte als Churfürſtliche, in-und außer Reichs concurriren, weder in Rang noch Ceremoniel vor andern Churfürſten, oder Churfürſtlichen Geſandten ſich etwas voraus zu nehmen, noch den geringſten Vorzug zu prätendiren.

XI. Praeter Bohemiam Reges ab antiquo in feudum ab Imperio, Marchionatus titulo, tenent Morauiam, quae latius olim patuit, propriosque Reges habuit *.

* Nachrichten von dem großen Mähriſchen Reich in GVNDLINGIANIS P. XI. n. 2.

XII. Sileſiam, et Luſatiam, Regno Bohemiae Carolus IV. incorporauit 1). Hac poſtea Ferdinandus II. Electori Saxoniae, Iohanni Georgio I.

 ceſſit,

ceſſit, ſeruato Coronae Bohemicae feudali vinculo 2).

1) Vid. Diploma apud GOLDASTVM l. c. n. 44. Diploma Gerlaci, Moguntini Electoris, quo conſenſum impertit vid. IBID. n. XLVII.

2) De conuerſione rerum in Sileſia conf. infra §. 28.

XIII. A tempore Ferdinandi I. *. Domus Auſtriaca Regnum Bohemiae tenet: grauibus praeterito ſeculo bellis vindicatum.

* Carolus V. Ferdinandum I. inueſtiuit Ratisbonae A. 1541. vid. Tabulas Inueſtiturae in LVNIGII Corpore Iuris Feudalis T. 1. p. 570. Matthias quoque, cum Regnum a fratre Rudolpho Imperatore impetraſſet, petendae inueſtiturae ſe obtulit.

XIV. Proximum a Rege Bohemiae locum inter Electores ſeculares hodie tenet Dux Bauariae, S. R. I. Archidapifer. Inſignem antiquitus fuiſſe Bauariae Ducum, pro nobilitate et potentia illius Ducatus, in electione Regum auctoritatem, et ratio, qua celebrari electiones ſolitas fuiſſe ſupra docuimus *, innuit, et diſertis veterum Scriptorum teſtimoniis conſtat.

* Supra Lib. III. cap. 2. §. 3. ſeq.

XV. Comitiua Palatii ad Rhenum ad Domum Bauaricam peruenit beneficio Friderici II. qui Ludouicum An. MCCXV. Comitem Palatii creauit. Noua haec dignitas in filio eius, Ottone,

ne, per nuptias cum Agnete, Henrici Guelphici filia, conualuit. Ortaeque ſunt ex poſteris eius duae ampliſſimae familiae, quarum altera ad Rhenum praecipuum robur, altera in Bauaria retinuit.

XVI. Iam inde a prima hac diuiſione, inter Duces Bauariae, et Comites Palatinos ad Rhenum, de ſuffragio in electione non convenit *. Ludouicus Bauarus Imperator An. MCCCXXIX. Ticini, cum fratris, Rudolphi, filiis, prouincias diuiſit, adiecto pacto, vt ambae familiae alternis vicibus ſuffragium in electione Regum ferrent.

* Iam filii Ottonis, Ludouicus Seuerus, et Henricus de eo diſcordes. Vid. TOLNERVS in Hiſtoria Palatina p. 408. et 404. Henricus, Bauariae Dux, interfuerat electioni Richardi, Regis: itemque ipſius Rudolphi Habsburgici.

XVII. Sed Carolus IV. in Aurea Bulla An. MCCCLVI. ſoli familiae Palatinae Electoratum attribuit; eumque ſingulari inſuper conſtitutione, conſenſu Electorum, ad Palatinatum, et Archidapiferi munus in perpetuum addixit *.

* Vid. Diploma in TOLNERI Cod. Diplomatico Palatino, n. 139.

XVIII. Poſtea tamen contradictum a Bauariae Ducibus. Inprimis Caroli V. tempore Anno MDXLIV. 1). Tandem ſeculo praeterito, poſt cla-

cladem Friderici V. Electoris Palatini, ademtus illi Electoratus in Maximilianum, Bauariae Ducem, An. MDCXXIII translatus, eaque dignitas, Lineae Wilhelminae vna cum Palatinatu ſuperiori, et comitatu Chambenſi, in Pace Veſtfalica confirmata fuit 2).

1) Vid. LVNIG. in Corpore Iuris Feudalis Germanici T. I. p. 573.

2) De quo ſupra cap. 2. §. 3.

XIX. Praeter Electorale faſtigium, in collegio Principum duo ſuffragia retinuit: alterum ratione ipſius Ducatus Bauariae, alterum ratione Landgrauiatus Leuchtenbergi. Moderari illum, vna cum Archi-Epiſcopo Salisburgenſi, Bauarici Circuli Statum, iam ſupra notauimus.

XX. Sextus Elector eſt Dux Saxoniae, S. R. I. Archimareſchallus. Saxoniae Ducum ab antiquiſſima memoria inſignis in Regum electione auctoritas fuit. Et Archimareſchalli munus iam ſub Ottone III. exercitum a Saxoniae Duce, ſupra notauimus *.

* Supra L. III. cap. 7. §. 31.

XXI. Antiqui autem Ducatus Saxoniae, Angariae, et Veſtfaliae, territorium atque potentia, ex quo poſt Henrici Leonis caſum, ad gentis Aſcaniae principes peruenit, aliquantum imminuta fuerunt.

XXII.

XXII. In ipſa Domo Aſcania, cum in duas ſtirpes diuiſa eſſet, quarum altera in Saxonia inferiori, Lauenburgi, altera Vitenbergae in ſuperiori, ſedem fixerat, aemulatio de Electoratu aliquandiu feruuit. Sed Imperatores pro his pronuntiarunt.

XXIII. Vltimo huius ſtirpis, Alberto III. An. MCCCCXXII. mortuo, Sigismundus, Romanorum Rex, Ducatum et Electoratum, nequicquam obluctante Duce Lauenburgico, contulit Friderico Bellicoſo, Marchioni Miſniae: cuius virtuti et opibus, graui tum aduerſus Huſſitas bello implicitus, ſummopere confidebat. Atque ſic Electoratus Saxonicus ex Miſnicae Domus opibus, noua incrementa ſumſit.

XXIV. Nepotes Friderici Bellicoſi, Erneſtus, et Albertus, duas clariſſimas ſtirpes condiderunt. Electoratus in Erneſti, vtpote primogeniti, Domo manſit, donec ſub Imperio Caroli V. proſtrato Iohanne Friderico, Mauritius Albertinae Genti decus hoc inferret. Id frater Auguſtus aſſeruit, variisque, vti et ex poſteris maxime Iohannes Georgius I. acceſſionibus, expectatiuis etiam impetratis *, auxit.

* E. g. in feuda Imperii Anhaltina, etc. De iure in Comitatum Hanouiae per expectatiuam impetrato, transactum cum Domo Haſſiaca Caſſellana: retentis inueſtitura, titulo, et inſigni.

XXV.

XXV. Hunc electoratum, terrarum cultu, ciuium frequentia, et commerciorum vbertate domi validum, in communibus Imperii rebus Archimareſchalli munus, Vicariatus, directorium inter Euangelicos, itemque in Circulo Saxoniae ſuperioris, etc. magis adhuc conſpicuum faciunt.

XXVI. Septimus eſt Marchio Brandenburgicus, S. Imperii Archi-Camerarius.

XXVII. Inualuit nomen, et potentia Marchionatus Brandenburgici, ab Alberti Vrſi tempore. Camerarii quoque Officium, ſub Friderici I. imperio, obtigiſſe creditur. Ludouicus Marchio, e Bauarica Domo, ſpem in Pomeraniam, inito cum Duce pacto, aſſeruit. Carolus IV. Imperator Prouinciam Brandenburgicam familiae ſuae acquiſiuit. Sed filius, Sigismundus Friderico, Burggrauio Noribergenſi, ex gente Zollerana, conceſſit.

XXVIII. Sub hac ſtirpe Electoratus maxima incrementa potentiae habuit, mira Principum in acquirendo ſolertia, et felicitate. Praecipua tantum notabimus. Pruſſiae Ducatum Io. Sigismundus obtinuit. Ab eius Coniuge Anna, ad occupandas Cliuicas ditiones, occaſio. Fridericus Wilhelmus, extinctis Pomeraniae Ducibus, vlteriorem prouinciam, in compenſationem vero citerioris, per Pacem Veſtfalicam Suecis conceſſae,

ceſſae, Praeſulatus Magdeburgenſem, Halberſtadienſem, Mindenſem et Camminenſem accepit. Filius eius, Fridericus I. Regium Pruſſiae titulum addidit, eumque mox nouis auctibus ornauit, ex quibus Noui-Caſtri in Burgundia, et Geldricas acceſſiones iam alibi notauimus. Ex hereditate Wilhelmi III. Regis Magnae Britanniae, cum aliis dynaſtiis, Principatum quoque Murſiae habuit. Sedino vrbe potitus Rex Fridericus Wilhelmus. Maioraque augmenta felicia per Sileſiam arma *, et Friſiae Orientalis acceſſio fecerunt. Inſignes praeterea expectatiuae **, vti in Ducatus Meklenburgi, et Holſatiae, etc. in longum aeuum etiam ſpes inſtruunt.

* Sileſia inferior, cum comitatu Glacenſi acquiſita per Pacem Vratislauienſem An. 1742.

** Recenſui illas in Diſſert. de Expectatiuis in Feuda Imperii, §. 13. et ſeq.

XXIX. Octauus Elector eſt Comes Palatinus ad Rhenum, S. Imperii Architheſaurarius. Is Electoratus, ad ſtirpem Neoburgicam, mortuo An. MDCLXXXV. Carolo, vltimo Gentis Simmeranae, deuolutus, ad Sultzbacenſem nuper familiam peruenit.

XXX. Inſignia habet iura ſingularia 1), partim ex antiquo Comitiuae Palatii titulo 2), partim ex ſpecialibus Caeſarum priuilegiis. Inter ea celebre eſt Ius Wildſangiatus per vicina etiam territoria: de quo graues Electori Carolo Ludouico cum vicinis lites, ita demum ar-

bitrio

bitrio Regum Galliae, et Sueciae, Heilbrunnae A. MDCLXVII. compoſitae, vt Electori Palatino Ius Wildfangiatus, ſed intra certam formulam exercendum, maneret.

1) Vid. Cl. SCHWEDERI Diſſ. *de Comitum Palatinorum Rheni iuribus, ac praerogatiuis.*

2) Hoc inprimis titulo aſſerere aliquando voluerunt iudicium, in cauſis Imperatorem concernentibus, cuius ipſe Carolus IV. in AVREA BVLLA Tit. 5. §. 3. meminit, his verbis: *Et quamuis Imperator, ſiue Rex Romanorum ſuper cauſis, pro quibus impetitus fuerit, habeat*, ſicut ex conſuetudine introductum dicitur, *coram Comite Palatino Rheni, S. Imperii Archidapifero, Electore principe, reſpondere; illud tamen iudicium Comes ipſe Palatinus non alibi, praeterquam in Imperiali Curia, vbi Imperator, vel Romanorum Rex praeſens extiterit, poterit exercere.* Sed hunc locum illuſtratum vid. in Diſſert. de Paribus Curiae §. 22. et 23.

XXXI. Nonus iam eſt in Collegio Electorali Dux Brunſuici, et Luneburgi, e familia Hannouerana *. Quae Domus auitam Guelphicae gloriam in Germania ſuſtinet. Ducatus ipſe ex reliquiis fortunae Henrici Leonis ab Imperatore Friderico II. Anno MCCXXXV. inſtitutus fuit.

* De Archi-Officio actum ſupra Lib. III. cap. 7. § 35. ſequ.

XXXII. Creuit cum dignitate potentia etiam Domus. Namque inſtituto Electoratu vniti ſunt Ducatus Zellae, Calenbergae, et Grubenhagi 1). Acceſſit Ducatus Lauenburgicus, de quo Elector cum Friderico Auguſto, Rege Poloniarum, vt Electore Saxoniae, trans-

transegit 2): nec non Ducatus Bremae et Verdae aſſertus per Pacem, cum Vlrica Eleonora, Regina Sueciae initam 3). Georgius Ludouicus, iure matris, Sophiae, ad Magnae Britanniae Sceptrum, vocatus eſt.

1) Ius Domus Hannoueranae ad alternas in Epiſcopatu Oſnabrugenſi vices, cap. ſequente explicabitur.

2) Vid. Europäiſcher Herold T. I. p. 243.

3) Holmiae, An. 1719.

XXXIII. Hactenus quidem Electoratus ad Domum ſaltem Guilielminam, ſ. Hannoueranam, pertinuit. Agi tamen coepit in Comitiis, vt ſpes eius obtinendi, ad Domum Guelpherbytanam, in caſum deficientis Hannoueranae, extendatur *.

* Vid. Staats-Canzley T. 33. cap. 10.

Q CAPVT

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## CAPVT IV.
## DE
# PRINCIPIBVS IMPERII ECCLESIASTICIS: VBI DE SACRIS GERMANIAE METROPOLIBVS, EARVMQVE SVFFRAGANEIS, ET EPISCOPIS EXEMTIS.

*Diuiſio Principum in Eccleſiaſticos et ſeculares. 1.*

*De Conſtitutione Epiſcoporum: vbi de inueſtitura per baculum et annulum. 3. Henrici V. cum Calixto II. de ea transactio. 4.*

*De electione et poſtulatione Epiſcoporum. 5. It. confirmatione et conſecratione. 6. Vbi et de Pallio. 7.*

*De inueſtitura per ſceptrum. 8.*

*Ciuilem poteſtatem, vt obtinuerint Praelati? 9.*

*In cauſis Epiſcoporum Germaniae, quaenam Iuris Canonici auctoritas? 10.*

*Epiſcoporum in Germania diuerſus ad Rempublicam habitus. 11.*

*De Ordine ſedendi. 12.*

*Germaniae ſacrae repraeſentatio: vbi obiter de gradibus Hierarchiae. 13. 14.*

*Metropolis Moguntina. Eiusd. Primatus. 15. Et ſuffraganei. 16. Vbi de Bambergenſi. 17.*

*Metropolis Colonienſis. 18. ſeq. Treuirenſis. 20. Vbi et de Eccleſia Cameracenſi. 23.*

*De Epiſcopo Baſileenſi. 24.*

*Vetus Eccleſiaſticae Politiae per Noricum et Pannoniam ſtatus, vbi de Eccleſia Laureacenſi. 25. Metropolis Salisburgenſis. 26. ſeq. Tridentinus exemtus. 30. Item Labianenſis et Tergeſtinus. 31.*

*Metropolis Vindebonenſis. 32.*

*Metropolis Hamburgenſis: Ei vnita Eccleſia Bremenſis. 33. ſeq. ſeculo addicta. 36.*

*Epiſcopatus Caminenſis quondam exemtus: deinde in Principatum ſecularem verſus. 38.*

*Metropolis Magdeburgenſis: Eius Primatus. 39. Epiſc. Misnenſis exemtus. 42.*

*Metropolis Pragenſis, vbi et de Epiſcopo Olmucenſi exemto, et de Vratislauienſi. 43. ſeq.*

Secundum Statuum Imperii Collegium conſtituunt reliqui Principes. Vti vero ex cura Reli-

Religionis et politiae orta eſt diuiſio Status in Eccleſiaſticum et ciuilem, ita duplicis generis Principes in Imperio inuenimus, Eccleſiaſticos et Seculares. De illis iam quaedam praemittenda.

II. Epiſcopi olim per Germaniam vel a Clero et populo, eligebantur: vel inſtituebantur a Rege. Quin electi quoque confirmandi tamen erant a Rege 1). Quod fieri ſolebat tradito pedo, inſigni auctoritatis, et annulo 2), quo velut deſponderentur illis eccleſiae. Vnde illa, tot quondam motibus obnoxia, inueſtitura per annulum, et baculum, appellationem traxit.

1) Conf. HERM. CONRINGII Diſſ. de Conſtitutione Epiſcoporum in Germania.

2) Ritum huius inueſtiturae deſcribit COSMAS, in Chron. Bohem. Lib. II. vbi narrat, vti Epiſcopi Pragenſis et Morauienſis, Mantuae ab Imperatore Henrico IV. A. 1091. inueſtiti fuerunt: „Sedebat Imperator in Palatio Mantuae, *Epiſcoporum et Comitum ordine non modico, ex vtroque latere collocato.* In mensa *poſiti erant baculi, annuli epiſcopales, atque reliquiae Sanctorum.* Tum Imperator admiſſos electos duos praeſules *deſponſat annulis ad ſingulas Eccleſias, dans eis paſtorales virgas.*„

III. Interdum et Ducibus prouinciarum ius inueſtiendi Epiſcopos Reges conceſſerunt 1), aut Capitula ſaltem reſpicere debuerunt, ne Epiſcopum, qui Principi diſpliceret, eligerent 2).

1) E. g. Henricus I. id iuris conceſſit Arnulpho, Duci Bavariae. Vid. COMMENTAR. de Rebus Imperii I. 8. Equidem et Henricus Leo, in tribus Epiſcopatibus Slavorum, Lubecenſi, Mecklenburgenſi, et Raceburgenſi, exercuit inueſtituram ex priuilegio Friderici I. Sed ea tantum fuit inueſtitura Regalium.

2) Tale quondam fuit Ius Ducum Pomeraniae in Epiſcopatu Caminenſi.

IV. Sub Henrieo IV. tentauit Gregorius VII. inueſtituram Regibus adimere. Poſt tragiea certamina Henricus V. eum Calixto II. A. 1122. transegit 1). Hoc pacto res eo deducta eſt, vt Eccleſiae, quae ad Regnum pertinent, libera electione gaudeant, illa tamen praeſente Imperatore fiat, isque, ſi diſcors electio ineiderit, vter rite electus ſit, Metropolitani atque prouincialium iudicio ſtatuat: electus per ſceptrum regalia a Rege aecipiat 2). Inde durat Ius Caeſaris ablegandi Miſſum ad electiones Praeſulum.

1) Vid. COMMENTAR. de Rebus Imperii ſub Henricis, Lib. III. §. 40. et ſeq.

2) In ipſis transactionis tabulis res ita exprimitur: Imperator Henricus V. declarat, ſe *dimittere Deo, et Sanctis eius Apoſtolis, Petro et Paulo, et Sanctae Catholicae Eccleſiae, omnem inueſtituram per annulum et baculum, et concedere in omnibus Eccleſiis fieri electionem, et liberam conſecrationem.* Viciſſim Imperialis iuris haec eſſe Caliſtus Papa agnoſcit: *Concedo electiones Epiſcoporum, et Abbatum Teutonici Regni, quae ad regnum pertinent, in praeſentia Tua fieri, abſque Simonia et aliqua violentia: vt ſi qua inter partes diſcordia emerſerit, Metropolitani et prouincialium iudicio vel conſilio, ſaniori parti aſſenſum, et auxilium praebeas. Electus autem regalia per ſceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quae ad Romanam eccleſiam pertinere noſcuntur, et quae ex his iure tibi debet, faciat. Ex aliis vero partibus Imperii conſecratus, intra ſex menſes Regalia per ſceptrum a Te recipiat.* Cont. HOFMANNI Diſſ. ad Concordatum Henrici V. et Caliſti II. de Inueſtituris Epiſcoporum et Abbatum.

V. Fiunt itaque hodie Epiſcopi per Germaniam, qui immediate ad Regnum pertinent, vel per

per electionem, vel per poſtulationem. Nam in aliis etiam collationem obtinere, exemplo ſunt Epiſcopatus aliquot in prouinciis hereditariis Domus Auſtriacae.

VI. Electus, aut poſtulatus, confirmationem a Papa petit, praeſtitoque Sacramento 1), conſecratur 2).

1) Conf. Cl. BVDERVS in Diſſ. de Sacramentis Principum Eccleſiaſticorum §. 17. ſeq.

2) Conf. FRANC. HALLIER in Opere de Sacris Electionibus, et Ordinationibus, inprimis P. III.

VII. Archiepiſcopi praeterea pallium accipiunt a Papa: quod et Epiſcopo Bambergae datum, vtpote Sedi Romanae immediate ſubiecto.

VIII. Inueſtitura regalium a Caeſare petenda. Sceptro quidem illa tradi conuenerat, vnde feuda ſceptri dicta ſunt *. Sed id non aeque conſtanter ſeruatum. Nam ab eo etiam tempore vexilla quandoque in Epiſcoporum inueſtituris adhibita legimus, et hodie eodem ritu Eccleſiaſtici Principes, ac ſeculares inueſtiuntur.

* Conf. BVDERVS in Diſſert. de Feudis Sceptri.

IX. Epiſcopi primitus ſacris functionibus vnice incumbebant. Praedia, atque ſecularia iura, et in iis iurisdictio, praeſertim in criminalibus, ab Aduocatis fere adminiſtrabantur. Sed ſenſim eos ſecularibus quoque curis defungi coepiſſe iam ſupra notauimus *.

* Quibus gradibus explicat STRVVIUS c. 18. §. 10. 11.

X. Quae ad dignitatem Epiſcoporum, ius ordinis, iurisdictionem Eccleſiaſticam, et legem dioeceſanam ſpectant, ex diſciplina Eccleſiae definienda ſunt, ſecundum legum Imperii publicarum, et libertatis Eccleſiae Germanicae indolem, et cuiuslibet ſedis priuilegia, ac conuentiones *.

* Moris eſt in quibusdam Eccleſiis Germaniae, vt Epiſcopi cum Capitulo, circa modum adminiſtrandi Regiminis, certa pacta, (*Capitulationem* vocant) ineant. Conf. Dn. BVDERVS de Capitulationibus Epiſcoporum Germaniae.

XI. Caeterum Epiſcopatuum per Germaniam, non eadem eſt conditio, intuitu ſecularium. Alii immediate ad Regnum pertinent; adeoque Praeſules ſimul ſunt Status Imperii. Alii Epiſcopi non habent bona immediata, ſed ſubordinata Principibus ſecularibus, in quorum ditione ſita ſunt.

XII. Obſeruandum quoque, alium ordinem Epiſcopos tenere in Comitiis, alium in Eccleſiaſtica ratione *.

* Ita D. Leopoldus in mandatis ad legatum ſuum Ratisbonae agentem: *Vota Eccleſiaſticorum Imperii Principum ordine principatuum, et non praeciſe ſecundum Eccleſiaſticam dari dignitatem.*

XIII. Hoc loco congruum eſt totam Hierarchiam Germaniae, ſecundum ſeriem Metropolium repraeſentare *, non alio, quam quo ſe ſcribenti offerunt, ordine.

* Nondum habemus GERMANIAM SACRAM, vno opere, pro dignitate argumenti, excultam. Epitomen eius

eius ſiſtit liber, Bruxellae editus, A. 1724. ſub Tit. *Hiſtoire Eccleſiaſtique d' Allemagne.* P. MARCI HANSIZII Specimen infra laudabitur.

XIV. In ipſas autem origines Hierarchiae hic inquirere non vacat: nec explicare iura et praerogatiuas Metropolitani, ſeu Archiepiſcopi, aut Primatis, ac denique Legati nati 1), quos titulos duos nonnullis etiam Eccleſiae Germanicae praeſulibus attributos reperimus 2).

1) Conf. ELIAS du PIN de Antiqua Diſciplina Eccleſiae Diſſ. I. P. LVDOVICVS THOMASSIN *de l' ancienne et nouvelle diſcipline de l' Egliſe* T. I. Lib. 1. LAELIVS ZECCHIVS de Republica Eccleſiaſtica p. 79. ſeq.

2) Vid. BERNHARDVS a MALLINCKROT in Opere de Archicancellariis S. R. I. Lib. II. cap. 4. quod agit de *Primatu trium Eccleſiarum Metropolitanarum Germaniae.* PHILIPPVS EBERHARDVS ZECHIVS de Origine, Indole, Fatis, atque Iuribus Primatum Germaniae. Halae 1727.

XV. Prouincia Moguntina omnium eſt ampliſſima. Vrbs ipſa, Germaniae primae ſub vetere Romano Imperio Metropolis, eundem honorem Eccleſiae ſuae iam olim conciliauit *.

* Quippe cum ſtaret adhuc Prouinciarum Romani Imperii ratio, et diſtributio, eccleſiaſtica quoque Politia per Germanias iam effloruit. Conf. Geſchichte der Teutſchen L. VI. §. 30 - 32. et de Moguntina inprimis Metropoli Lib. XIII. §. 35.

XVI. Suffraganei ex antiqua prouinciae ratione ſunt Epiſcopi Wormatiae, Spirae, et Argentorati. Acceſſerunt Conſtantienſis, Auguſtanus, et Curienſis, ex quo Eccleſiae illae ſub Francis inſtauratae fuerunt: tum Euangelii

lii luce per Francos ſparſa, Herbipolenſis, et Eichſtadienſis. Sed etiam Saxonia ad fidem conuerſa, Paderbornenſis, Hildeſienſis, Halberſtadienſis, et Verdenſis: qui duo Epiſcopatus in Pace Veſtfalica, ſoluti religione, in Principatus ſeculares conuerſi ſunt. Etiam Slauicas Eccleſias aliquot, per Germaniam fundatas, initio ſub ſe habuit. Sed Hauelbergenſis et Brandenburgicus Epiſcopatus ab Ottone I. Metropoli Magdeburgicae attributi. Pragenſis exemtus primum, mox a Clemente VI. Papa in Archiepiſcopatum prouectus.

XVII. Epiſcopatus Bambergenſis immediate ſubiectus eſt Sedi Romanae.

XVIII. Colonia Agrippina, vti in ciuili ordine Metropolis Germaniae ſecundae, ita et in Eccleſiaſtico. Variis a Leone IX. ornata priuilegiis, quae Eugenius III. Papa confirmauit. Iisque et hoc inter alia continetur, *vt Archiepiſcopus nulli Primati, niſi tantum Romano Pontifici ſubiectus ſit.* Titulo praeterea Legati nati Sedis Romanae vtitur.

XIX. Sub illa Epiſcopatus Tungrorum, cuius cathedram Leodium tranſtulit Hubertus: Monaſterienſis, et Osnabrugenſis: in quo vi Pacis Veſtfalicae, alternis vicibus epiſcopus ex Catholicis, et Euangelicis, et hic quidem ex principibus Domus Hannoueranae, legitur *. Epiſcopatus Mindenſis per Pacem Veſtfalicam in

in principatum ſecularem eſt mutatus. Vltraiectinus exemtus a Metropolitico iure fuit, et in Archiepiſcopatum conuerſus.

* Vid. INSTRVM. Pacis Osnabrugenſe. Art. 13.

XX. Auguſta Treuirorum caput olim Belgicae primae, et ſedes aliquando Imperatorum Occidentis, Maximiani, Conſtantii, et poſtea Valentiniani, fuit. Cumque in ea vrbe Conſtantinus M. praefectum praetorii Galliarum collocaſſet, Epiſcopum quoque auctoritate ante reliquos, in prouinciis huic praetorio attributis, eminuiſſe probabile eſt *.

* Conf. Geſchichte der Teutſchen L. VI. §. 32.

XXI. Quanquam vero, exciſa fere Seculo V. Treuirorum vrbe, Honorius Imperator praetorium Galliarum Arelatem tranſtuliſſet, nihilominus Eccleſiae Treurenſi cum iure Metropolitico 1) manſit honos Primatus 2); eamque dignitatem Iohannes XIII. Papa Theodorico Archiepiſcopo 3), Calixtus II. Brunoni 4), nouis tabulis confirmauit.

1) Conf. Geſchichte der Teutſchen L. XIII. §. 35.

2) Nicolaus I. Papa, Theugualdum, Archiepiſcopum Treuirenſem, vocat *Primatem Belgicae Prouinciae*, Cauſ. XI. Qu. III. c. 10.

3) Vid. Bullam apud BROWERVM T. I. Lib. IX. p. 472. Ex qua huc praecipue faciunt ſequentia: *Decernentes per huius noſtri Apoſtolici priuilegii validiſſimam conſtitutionem, vt quandocunque a noſtra principali et Apoſtolica Sede Epiſcopus, Presbyter, vel Diaconus, vel Subdiaconus, ſiue quilibet ordinarius Legatus, rei Eccleſiaſticae, ſeu cogendae Synodi cauſa, in Galliam, Germaniamue deſtinatus fuerit, Treuirenſis Praeſul poſt quemlibet ordinarium Legatum Apoſtolicae Sedis, primum inter alios Pontifi-*

*ces locum obtineat; et ſi miſſus Romanae Eccleſiae defuerit, ſimiliter poſt Imperatorem, ſiue Regem, ſedendi, ſententiam edicendi, et Synodale iudicium canonice promulgandi primatum habeat, vtpote in illis partibus Vicarius noſtrae Sedis Apoſtolicae merito conſtitutus.*

4) Vid. COMMENTARIOS de Rebus Imperii ſub Henrico V. p. 202.

XXII. Suffraganei Epiſcopi Metenſis, Verdunenſis, et Tullenſis. Horum diſtrictus quidem in pace Monaſterienſi Regi Galliae ceſſi fuere *, vt adeo Epiſcopi Statibus Imperii accenſeri amplius nequeant; ſed ſaluum manſit Archiepiſcopo Treuirenſi ius metropolitanum.

*Vid. INSTRVM. Pacis Veſtfalicae Monaſterienſe, cap. 11. §. 70.

XXIII. Epiſcopus Cameracenſis, Suffraganeus quidem Metropoleos Remenſis, non modo in ciuili ratione ad Imperium reſpexit, verum et Synodis in Germania ſaepe interfuit. Ab Imperatore etiam Ducis titulum obtinuit. Eccleſiam hanc Paulus IV. ad inſtantiam Philippi II. Regis Hiſpaniae, tanquam Principis Belgii, An. MDLIX. in Archiepiſcopatum conuertit. Sed vrbs ipſa, et ager Cameracenſis, in Regis Galliae poteſtatem venerunt.

XXIV. Quondam etiam ex Metropolitanis Regni Burgundiae Veſontinus ius Comitiorum, et ciuitatis Germanicae, habebat. Nunc ex illa prouincia ſolus locum in comitiis retinuit Epiſcopus Baſileenſis.

XXV. Per Noricum quoque et Pannoniam floruerant Eccleſiae, cum adhuc ſub Vetere Romano Imperio eſſent hae prouinciae. Celebratur

tur maxime Eccleſia Laureacenſis: quam metropoliticum ius per Noricum et Pannoniam late exercuiſſe tradunt 1). Sed fere obruta fuit politia Eccleſiaſtica irrumpentium populorum feritate, et ipſe Laureacenſis Clerus Paſſauium fugere coactus. Inſtaurata demum, cum iam Bauari in illis regionibus, ſub auſpicio Regum Francorum, rerum potirentur, et per quatuor Dioeceſes diſtributa eſt: nempe Salisburgenſem, Paſſauienſem, Ratisbonenſem, et Friſingenſem 2).

1) De Metropoli Laureacenſi prolixius, egit P. MARCVS HANSIZIVS in Germaniae Sacrae Tom. I. Parte I. Conf. Geſchichte der Teutſchen Lib. XIII. §. 36.

2) IBIDEM Lib. XVI. §. 18.

XXVI. Ex his Salisburgenſis Eccleſia Metropoleos honore ornata eſt 1). Diu aemulati cum illa Paſſauienſes Epiſcopi, ius Eccleſiae Laureacenſis, inſtaurare ſategerunt 2). Archiepiſcopus Salisburgenſis, Gebhardus, a Gregorio VII. Papa, Legatus natus appellatus eſt.

1) Huius Eccleſiae res proſecuti ſunt VIGVLEIVS HVND in Metropoli Salisburgenſi, P. MEZGERVS in Hiſtoria Salisburgenſi, et P. HANSIZIVS l. c.

2) Haec certamina late perſequitur P. HANSIZIVS l. c. et PFEFFINGERVS in Vitriario Illuſtrato.

XXVII. Inter Suffraganeos ab antiquo ſunt Ratisbonenſis, Friſingenſis, et Brixinenſis: qui cathedram olim Sabionae, quod Raetiae ſecundae oppidum, habuerat.

XXVIII. Paſſauienſes, vti primum de iure metropoleos aemulationes habuere; ita deinde

de

de exemtione aliquoties litem mouerunt. Res Romae acta, et Viennae, et ad Comitia quoque Imperii delata. Sub Benedicto XIII. demum voto potiti ſunt.

XXIX. Acceſſerunt Epiſcopatus, quos ipſe Archiepiſcopus Salisburgenſis inſtituit: Gurcenſis in Carinthia ſuperiori, Lauantinus in inferiori. Seccouienſis in Stiria: Chyemenſis in inſula eiusdem nominis.

XXX. Tridentinus ſub Aquileienſi Metropoli 1). Quoad territorii rationes, aeque ac Brixinenſis, Auſtriaco per Tyroliam principatui in quibusdam eſt obnoxius 2).

1) Conf. TARTAROTTVS in Diſſ. de Origine Eccleſiae Tridentinae p. 92.

2) VIGVLEIVS HVNDIVS rem ita exprimit in Metropoli Salisburgenſi p. 307. *Epiſcopi Brixinenſis, quemadmodum etiam Tridentinenſes, tametſi iure Aduocatiae, ac quibusdam aliis, ad comitatum Tyrolenſem pertineant, ſunt tamen Principes Romani Imperii, Regalia ab Imperio, ſeſſionem in Comitiis Imperialibus habent, ac in contributionibus ſunt. Hinc quoque, vt et caeteri S. R. I. Principes, tam Eccleſiaſtici quam Seculares, ab antiquis temporibus officiales ſuos, quos hereditarios vocant, habent.*

XXXI. Labacenſis in Carniola a Pio II. inſtitutus A. MCCCCLXIII. et Patriarchae Aquileienſi ſubditus. Paulus. II. petente Friderico III. immediate ſub Sedem Romanam recepit. Tergeſtinus in Iſtria, quondam Suffraganeus Aquileienſis, nunc itidem exemtus eſt *.

* Vid. *Hiſtoire Eccleſiaſtique d' Allemagne* T. II. p. 118. ſeq.

XXXII.

XXXII. Sed noua iam per Auſtriam caput effert Metropolis Vindebonae. Fridericus III. Imperator Viennae Auſtriacae, et Neoſtadii epiſcopatus inſtituerat, vtrumque immediate Pontifici Romano ſubiectum. Demum Imp. Carolo VI. Aug. auctore, Innocentius XIII. Viennam Metropolim declarauit, eique Suffraganeus datus Epiſcopus Neoſtadienſis *.

* Vid. Diſſert. de Primatibus Eccleſiae German. §. 71.

XXXIII. Metropolis Hamburgenſis fundata a Ludouico Pio. Sed praeualentibus in Transalbina regione Slauorum armis, Ansgario data Bremenſis Eccleſia, quae vsque ad illud tempus ſub Colonienſi Metropoli fuerat, deinde autem Hamburgenſi vnita manſit.

XXXIV. Deſtinata ab initio huic Metropoli fuerat cura religionis Chriſtianae per Slauos, trans Albim colentes, et regna Septentrionis. Itaque quum Otto M. late vltra Eidoram victricia arma protuliſſet, Epiſcopi Sleſuici, Ripae, Arhuſiae, ordinati ab Adaldago, Hamburgenſi Archiepiſcopo. Omnes quoque per Septentrionem Eccleſiae ad hanc Metropolim aliquamdiu reſpexere 1). Sed poſtea, mutata rerum facie, noui per Daniam et Sueciam Archiepiſcopi inſtituti fuerunt. 2).

1) De Legatione Apoſtolica Archiepiſcoporum Hamburgenſium per Regna Septentrionis, egi in COMMENTAR. de Rebus Imperii Lib. V. 13. et. 36.

2) IBIDEM ſub Henrico V. Lib. III. 5.

XXXV. Pro Slauis Epiſcopatum Aldenburgi, in Vagria, fundauerat Otto M. Quae dioeceſis cum

cum nimis late pateret, Adalberto Archiepiſcopo, circa A. MLI. e re viſum fuit, duos nouos in illa Epiſcopatus inſtituere, alterum Ratzeburgi, alterum Meklenburgi, qui deinde in oppidum Suerinum translatus fuit.

XXXVI. Geroldus autem, Epiſcopus Aldenburgenſis, cathedram Lubecam, vtpote in locum tutiorem, tranſtulit. Viget adhuc Epiſcopatus Lubecenſis, ſacris A. C. addictus. Quum tempore Pacis Veſtfalicae plures epiſcopatus ſeculo addicerentur, Ioannis, Epiſcopi Lubecenſis, e Domo Gottorpienſi, eiusque fratris, Friderici, Holſatiae Ducis, prouidentia in conſeruando ſtatu Eccleſiae Lubecenſis eluxit. Itaque Capitulum veluti grati animi cauſa A. MDCXLVII. cum Duce pactum iniit, vt poſt obitum Ioannis Epiſcopi, et quem Coadiutorem iam elegerant, Ioannis Georgii, ſex ordine Epiſcopi, aut Coadiutores, ex domo Gottorpienſi eligerentur *. Quod pactum, variis poſtea motibus agitatum, Imperator Ioſephus denuo, in conuentione Alt-Ranſtadienſi, Anno MDCCVI. cum Rege Sueciae, Carolo XII. inita, confirmauit.

* PFEFFINGERVS T. I. p. 1251. ſeq.

XXXVII. Ipſe autem Archiepiſcopatus Bremenſis, Pace Veſtfalica, in Ducatum conuerſus, et coronae Suecicae in partem ſatisfactionis, quam ob impenſas belli poſtulabat, vna cum Principatu Verdenſi, datus fuit 1). Nunc Electoris Brunſuicenſis eſt 2). Epiſcopatus Ratzeburgenſis, et Suerinen-

rinenſis, in Principatus ſeculares verſi, et Ducibus Meklenburgi attributi 3).

1) INSTRVMENTVM Pacis Oſnabrug. Art. 10. §. 7. ſeq.
2) Supra cap. 3. §. 32.
3) Pax Oſnabrugenſis Art. 12.

XXXVIII. Epiſcopatus Caminenſis in Pomerania nulli Archiepiſcopo fuit ſubiectus. Hic itidem ſolutus religione bonorum Eccleſiaſticorum, principatus titulo, a Rege Pruſſiae, vt Electore Brandenburgico, vi Pacis Veſtfalicae, tenetur.

XXXIX. Metropolis Magdeburgenſis ab. Imp. Ottone I. fundata 1). Ioannes XIII. Papa Archiepiſcopum Primatem nominauit 2). Hic quoque Archiepiſcopatus vi Pacis Veſtfalicae in Ducatum commutatus.

1) Vid. COMMENTAR. de Rebus Imperii III. 33.
2) Mira de hoc Primatu paſſim afferri videas. Iuuat ergo ipſam bullam inſpicere apud LVNIGIVM in Spicileg. Eccleſiaſtico I. Theils Fortſ. p. 16. vbi Primatus hic ita definitur: *Igitur quia ſedem Magdeburgicam, cui Deo auctore praeſides, noſtra, tuorumque comprouincialium authoritate, Archiepiſcopalem eſſe decreuimus, quem inter caeteras Eccleſias ordinem, vigorem, Primatum, et aequitatem habere in poſterum debeat, Apoſtolicae Sedis priuilegio muniri ſanximus. Dei igitur omnipotentis auctoritate, et B. Petri, Apoſtolorum Principis, et noſtra, Te, tuosque ſucceſſores in perpetuum, et Eccleſiam tuam, omnium Eccleſiarum, Archiepiſcoporum, et Epiſcoporum, qui in Germania ſunt ordinati, in ſedendo, in iudicando, in confirmando, in ſubſcribendo, in ſententiis dandis, omnique Eccleſiaſtico ordine Primatum habere volumus. Eorum vero, qui ſunt in Gallia, item Mogoncienſis, Treuirenſis et Colonienſis, Eccleſiae, in omnibus parem honorem, et ſimilem vigorem, praeſenti priuilegio confirmamus.*

XL.

XL. Suffraganei olim fuerunt Epiſcopatus Merſeburgenſis, et Numburgenſis, vterque ab Ottone fundatus. Et hic quidem Cizae primum inſtitutus fuit, ſed cathedra deinde Numburgum translata *.

* Vid. COMMENTAR. de Rebus Imper. V. 10.

XLI. Hauelbergenſis, et Brandenburgenſis initio ſub Moguntino fuerant, ſed mox ad nouam hanc Venedorum Metropolim translati. Vtrumque, aeque ac Lebuſienſem *, Elector Brandenburgicus Seculo XVI. in ſuam poteſtatem aſſeruit.

* De Epiſcopatu Lebuſienſi vid. IO. CHRIST. BECMANNI Nachrichten von dem Biſthum Lebus.

XLII. Epiſcopatus Miſnenſis, itidem ab Ottone M. conditus, immediate fuit ſub Sede Romana.

XLIII. Bohemiae et Morauiae Eccleſiae diu ad Metropolim Moguntinam reſpexere. Sed An. MCCCXLIII. Benedictus XII. Pragenſem Epiſcopum exemit, Clemens VI. Archiepiſcopum creauit.

XLIV. Suffraganei tum dati Epiſcopatus Olomucenſis in Morauia, et Lithomislenſis, in Bohemia recens conditus. Sed hic intercidit, ille immediate ſub Romano eſt Pontifice *. Pragenſis autem Metropolis duos alios Suffraganeos ſeculo praeterito accepit, Epiſcopos Leutmarizii, et Koenigsgraetiae, eodem tempore inſtitutos.

* Qua libertate et Vratislauienſis, in Sileſia, fruitur.

CAP.

# CAPVT. V.

## DE PRINCIPIBVS SECVLARIBVS: VBI AGITVR DE PRISCIS OFFICIIS, ET DIGNITATIBVS REGNI GERMANIAE, EX QVIBVS PRINCIPVM, COMITVMQVE IMPERII TITVLI ORIGINEM TRAHVNT.

*Origines titulorum et dignitatum Principum, et Comitum Imperii. 1.*

*De Titulo Principis. 2.*

*De priſcis Regni Germaniae officiis in genere. 3.*

*Ducum, Comitumque apud Francos munia, Germanicaene an Romanae originis? 4.*

*De titulo Ducis. 5. Duces ſub Romano Imperio. Diverſa Ducum in Francorum regno formula. 6. ſeq. Ducatuum Regni Germaniae recenſio. 11. ſeq. De titulo Archiducis. 20.*

*De formula Comitum apud Romanos, et Germanos. 21.*

*De Marchionibus. 25. ſeq.*

*De Comitibus Palatinis. 31. vbi in ſpecie de Comitibus Palatinis ad Rhenum, Saxoniae, Bauariae, Carinthiae &c.*

*De Landgrauiis. 40.*

*De Burggrauiis. 44.*

*Alia Regni officia: Aduocati, Vicecomites, Vicedomini. 49.*

*Miſſi Dominici 50.*

*De dignitatibus Regni Germaniae: Alia realis, alia perſonalis. 51.*

*De dignitate Principum. 52. ſeq. Vbi in ſpecie de IV. officiis Aulicis Principum. 54. Item de Iure Principum, vulgo* Fürſten-Recht. *55.*

*De Comitibus Principali dignitate. 57.*

*De dignitate Comitum, Praecedentia, Titulis &c. 58. ſeq.*

*De Dynaſtis.* (Herren) *60.*

*Obiter de dignitatibus militaribus. 61.*

*Illuſtratur ex dictis Status Collegii Principum Imperii. 62.*

*De ſuffragiis curiatis Praelatorum, et Comitum. 62. ſeq.*

Ad explicandas vero Principum ſecularium Comitumque Imperii, origines, et titulorum, quibus vtuntur, rationes, primum priſca officia, tum et dignitates Regni Germaniae, repraeſentari debent *.

* Multum illis ſimile deprehendes in Regnó Franciae Occidentalis, nec non in aliis Regnis, quae Germanici ſanguinis et moris populi, Gothi, Burgundi, Saxones, Langobardi condiderunt. Ita vt communes origines facile agnoſcas, vti iam obſeruatum in Geſchichten der Teutſchen Lib. X. §. 42. Sed propriam deinde formulam pro cuiuslibet Regni Statu accepere; quam varii paſſim Scriptores tradunt. Ex Hiſpanis SALAZAR de MENDOZA Origines dignitatum ſecularium Caſtellae, et Legionis ſcripſit, Hiſpanice. Madriti A. 1658. Ex Italis LVDOVICVS RODOLFINVS de Origine, et Dignitate, et Poteſtate, Ducum Italiae commentatus eſt. Regni Neapolitani officia ac dignitates explicat MARINVS FRECCIA in opere de Subfeudis Baronum etc. De Officiis et Dignitatibus Regni Galliae ſeu Franciae Occidentalis egerunt FAVYNVS, IO. TILIVS aliique.

II. Principis vox, aeque ac Germanorum Fürſt, proprio ſignificatu *primum* notat. Inde ad praecipuum nobilitatis gradum 1), et paſſim ad ipſum apicem auctoritatis, et potentiae in ciuitate, translata eſt 2).

1) Ita e. g. in Gallia quondam Principis titulus non niſi ex Regio Sanguine prognatis deberi credebatur. THVANVS L. XXV. *Conſtare Principis nomen nusquam in Gallia tributum, niſi iis, qui per mares a Regibus Galliae originem repetunt.*

2) Ita Rerum Romanarum Scriptoribus Imperator Princeps dicitur, et principatus libertati opponitur. Ita adhuc ſunt in Germania, et Italia, territoria Principatus axio-

axiomate inſignia. In Italia Principatus Pedemontii, Carpi etc. In Germania Principatus Rugiae: et ex Epiſcopatibus facti, Halberſtadienſis, Mindenſis etc.

III. Ducis autem, Marchionis, Landgrauii, Comitis etc. vocabula, ſi originem ſpectes, officii ſunt: pars etiam tituli dignitatis euaſerunt. Retinentur a potentiſſimis Principibus ex antiqua Rempublicam, pace et bello, adminiſtrandi ratione, etiam ex quo dudum illa ceſſauit.

IV. De Ducibus, et Comitibus Imperii Romano-Germanici acturis, Romanorum veterum, et Germanorum inſtituta ſeorſim conſideranda ſunt *. Nam vt Latina vocabula *Ducum, et Comitum* a Romanis ſumta, ita Germanica Herzogen, Fürſten, Grafen, ex vſu veterum Germanorum videntur remanſiſſe.

* Vtrum Ducum et Comitum apud Francos nomina, et functiones a Romanorum inſtituto originem habuerint, an a veteribus Germanis deriuari debeant? inter eruditos diſceptatur. Equidem Duces Germanorum, et Principes, qui ius per vicos pagosque reddebant, quales TACITVS deſcribit, diuerſae videntur conditionis a Ducibus et Comitibus, qui ſub Francorum Regibus prouinciis, et vrbibus praeſedere. Neque tamen opus eſt, ad explicandam Ducum et Comitum apud Francos formulam, Romanas origines ſollicitare. Quidni enim ſuopte iudicio Franci, mutato rerum ſuarum ſtatu, auita etiam inſtituta, paulisper inflexa, ad illum attemperauerint?

V. Ducis vocabulum a ducendo oritur, et militiae proprium eſt. Sed inde translatum ad Principis in libero Populo auctoritatem, atque dignitatem, a Regia proximam, deſignandam.

VI. In Imperio autem Romano ex inſtitutis eius, noua et ſingularis Ducum formula exorta eſt. Iam ſub antiquis Imperatoribus occurrunt Duces, qui prouinciis praeerant *.

* Vid. PANCIROLLI Notitia Dignitatum vtriusque Imperii.

VII. Sub Germanicis Imperatoribus ex vetuſtis Germanorum 1), et in ſpecie Francorum 2) inſtitutis, nomine Ducatus venit Praefectura militaris, per certum aliquem diſtrictum, aut integram prouinciam, coniuncta interdum cum Aduocatia Monaſteriorum, conductu, aliisque Regalibus. Haec initio viris ſtrenuis a Regibus ad arbitrium data: deinde, vt alia Regni officia, iisque addicta praedia et iura, in feudum conceſſa, denique prorſus hereditaria facta.

1) De Ducibus Germanorum ſui aeui TACITVS de Moribus Germanorum cap. 7. *Reges ex nobilitate, Duces ex virtute ſumunt.* Congruit Germanicum nomen Herzog, quod ſignificare poteſt ductorem, domitorem, nutritorem exercitus. Vid. CL. WACHTERI Gloſſarium in voce Herzog.

2) ANTON. DADINVS ALTESERRA *de Ducibus et Comitibus Prouincialibus Galliae.* Toloſae 1643. 4.

VIII. Attamen et alius conditionis Duces apud Francos, iam ſub primae ſtirpis Regibus, occurrunt: ſcilicet Principes gentis ſuae, qui iura fere omnia perfecti principatus apud ſuos tenebant, ſed Regibus Franciae beneficiali nexu obſtri-

obſtricti erant. Tales in Germania fuerunt antiqui Duces Alemanniae, et Bauariae *: vt in Galliis, Aquitaniae.

* Geſchichte der Teutſchen XVI. 36.

IX. Denique titulus Ducalis, mera dignitas eſſe coepit, cum Marchiae, Comitatus, aut allodia etiam illuſtrium, hoc axiomate ab Imperatoribus ornarentur.

X. Imo et perſonalis ſaltem caracter interdum familiis tributus eſt, quae Ducatum re ipſa non haberent. Quales fuerunt Duces Zeringiae, et Duces Meraniae.

XI. Iam de Ducatibus ipſis Regni Germaniae. Sub Carolo M. ſublato Thaſſilone, Boioariae Duce, Ducatus, quales ſupra deſcripſimus, in Germania ceſſarunt *.

* Ducatuum tamen nomen etiam diutius manſit. E. g. in diuiſione Regni, quam Ludouicus Pius A. 839. inſtituit, legimus Ducatum Auſtraſiorum, Ducatum Toringubae, Ducatum Friſiae. Vid. Annales BERTINIANI ad h. A.

XII. Sed circa vltima Carolingorum in Germania tempora Saxoniae, Bauariae, Thuringiae Duces * iterum memorantur.

* Sed illi tum Praeſidesne magis Prouinciarum, an Domini fuerint, iam non diſquirimus.

XIII. Imo et Sueuiae Dux iterum ſub Conrado I. occurrit 1): et Lotharingi tum Rayneri-

um Ducem habuere 2). Franconiae quoque Duces inclaruerunt, itemque Carinthiae. E Slavicarum gentium principibus primi in ius Germanicum recepti fuerunt Bohemiae Duces.

1) Vid. COMMENTAR. de Rebus Imperii I. 2.
2) IBIDEM I. 2. et 6.

XIV. Hi primi, et antiquiſſimi in Germaniae Regno Ducatus. Sed numerus inſigniter auctus, variasque ob cauſas, et variis modis. Nam et Ducatus antiqui diuiſi, et Comites plurimi, qui excuſſa Ducum auctoritate potentiam auxerant, ipſi tandem Ducum titulis ornati fuere. Quod melius apparebit ex ipſa Ducatuum recenſione. Sic a Bauariae Ducatu ſeiuncta Auſtria. Stiriam Fridericus I. Carniolam Fridericus II. Ducatus honore extulerunt.

XV. Saxoniae, Angariae, et Veſtfaliae Ducatus poſt Henrici Leonis cladem, ad Bernardum, e Domo Aſcania, peruenit. Sed pars Angariae, et Veſtfaliae, Ducatus titulo, Archiepiſcopo Colonienſi data. Brunſuicum et Luneburgum, auitam filiorum Henrici Leonis haereditatem, ad Ducalem dignitatem Fridericus II. euexit: Holſatiam Fridericus III.

XVI. Ex vicinis Slauis Boleslaum ac Caſimirum, Pomeraniae Ducum titulo, in numerum Principum Germaniae cooptauit Fridericus I *. Abotritarum Principes Carolus IV. Duces Mecklenburgi appellauit.

* Vid.

* Vid. teſtimonium SAXONIS GRAMMATICI ſupra Lib. II. cap. 2. §. 29.

XVII. Sueuiae Ducatus, cui interdum et Alſatiae titulus iunctus fuit, cum Conrado iuniore, Conradi IV. Regis Romanorum filio, intercidit. Neque Ducatum per Sueuiam inſtaurare viſum eſt Rudolpho Habſpurgico. Sed Auſtriaci, Principes in Sueuia vocari, contenti ſunt. *. Inſtitutus poſtmodum a Maximiliano I. in ea prouincia Ducatus Vürtenbergiae.

* IO. CHRISTOPHORVS PESLERVS De Domus Auſtriacae Principatu in Sueuia.

XVIII. In partibus Lotharingiae durauit Ducatus Lotharingiae Superioris, ſiue Moſellanicus. Inferioris Ducatus in Brabantiae nomen tranſiit. Limburgi ditionem Ducatus nomen retinuiſſe ſcribunt ex fortuna Henrici, Dynaſtae Limburgi, quem Henricus IV. Imperator Ducem Lotharingiae Inferioris conſtituerat. Cum enim Henricus V. Ducatum paulo poſt ad Louanienſem Domum tranſtuliſſet, Limburgici tamen Ducalem titulum retinuerunt *.

* Vid. Diſſ. *de Nexu Regni Lotharingiae etc.* §. 25.

XIX. Praeterea Geldriae Comitem Imper. Ludouicus Bauarus: Luxenburgi, itidemque Iuliaci Comites, Carolus IV. Montium, Venceslaus: Cliuiae, Sigismundus, Duces creauerunt.

XX. Archiducalem Titulum fortuna Domus Habsburgo-Auſtriacae illuſtrauit.

XXI. Comitum quoque nomen aliud Romano vſu, aliud Germanica interpretatione, primum fuit. Vox ipſa ſocium, ſiue adiunctum notat. Qui ergo in contubernium Caeſarum adſciſcebantur, vt opera et conſiliis, in pace et bello, praeſto eſſent, Comites appellati: et pro gradu dignitatis, per tres ordines, quorum paſſim in legibus mentio, diuiſi ſunt. Hi et miniſteriis aulicis praefici ſolebant, et in prouincias quoque mitti*, partim vt militibus praeeſſent, partim vt ius dicerent. Vnde Comes Orientis etc.

* Inde Comites, qui prouincias regunt, de quibus lex Iuſtiniani in Cod. h. t. *Eos, qui adminiſtratione ciuili, ac prouinciae gubernandae, ſub iurisdictionis licentia*, COMITES QVOQVE PRIMI ORDINIS *eſſe meruerint, vicariae dignitatis, poſt depoſitam adminiſtrationem priuilegiis frui oportet.*

XXII. Germanicum vocabulum Graf Iudicem proprie notat 1). Quod munus apud veteres populos Germanicos dignum maxime Principibus Viris habitum 2), ita vt etiam Reges quorundam, iudices vocati ſint 3). A Germanica voce, ſtylo medii aeui, *Grauionis* 4) nomen obtinuit. Sed Latino vſu praeualuit Comitis appellatio.

1) Conf. CL. WACHTERI Gloſſarium in voce *Graf.*

2) TACITVS de Moribus Germanorum cap. 12. *Eliguntur in iisdem conciliis et Principes, qui iura per pagos, vicosque reddunt. Centeni ſingulis ex plebe Comites, conſilium ſimul et auctoritas, adſunt.* Viri docti pro *centeni* ſub-

ſubſtituunt *certi*. Atque inde Scabinos, quod nomen a Germanico Schäffen exortum, deducunt.

3) Vid. Exemplum Athanarici Regis Gothorum, qui modo Rex, modo Iudex appellatus eſt, in den Geſchichten der Teutſchen Lib. VII. §. 3. not. 5. et 9.

4) In Legibus Ripuariis Tit. LIII. Rubrica, *de eo, qui Grafionem occiderit:* explicatur per legem ipſam, *ſi quis iudicem fiſcalem, quem Comitem vocant, interfecerit &c.* PAVLVS WARNEFRIDVS L. III. Hiſt. Longobard. cap. 31. *Dum Dux eſſet in Tridentina Ciuitate, cum Comite Boioariorum, illi Grauionem dicunt, qui Bazanum, et reliqua caſtella regebat, conflixit.*

XXIII. Scilicet Franci, Gothi, Burgundi, vt prouincias facilius in officio retinerent, commodiusque regerent, ac tuerentur, Duces atque Comites iis impoſuere hoc diſcrimine, quod Comites ſingulis ciuitatibus pagisue praeerant 1); Duces pluribus. Interdum et ſine Ducibus, per Comites diuiſa adminiſtratio prouinciarum fuit 2). Quae omnia magis a temporum indole, populorumque inſtitutis, quam certa aliqua regula pendent.

1) Vnde Comitatus nomen non modo officii, ſed etiam territorii, et prouinciae eſt. Ita e. g. in diuiſione Regni, quam Ludouicus Pius A. 839. inſtituit: occurrit Comitatus Batauorum, Comitatus Teſtrabant. etc.

2) Conf. OLIVARII VREDII liber de Officio et Dignitate Comitis apud Ethnicos, Romanos, Gothos, et Francos. add. HERM. CONRINGIVS *de Ducibus et Comitibus Imperii Germanici.*

XXIV. Caeterum variae Comitum appellationes a diuerſo vel territorio, vel munere, cui

 prae-

praeeſſent, exortae ſunt: ita praeter Landgravios, Burggrauios, et Palatinos Comites, inclyti ſunt die Wild= und Rhein=Grafen, Rauh=Grafen, etc. Haeſitque priſcum officii nomen quibusdam etiam minoris dignationis Magiſtratibus, vt Saltz=Gräfen, Zent=Grafen etc.

XXV. Marchiones a marca, quae Germanis limitem notat, cui tuendae praefecti erant, dicti ſunt. Vt enim Romani limites Imperii caſtellis, praeſidiisque firmare ſolebant *: ita etiam Germani, quibus praecipua quondam ſecuritas fuerat latiſſime circum ſolitudines habere, progreſſu temporis munire fines, et praeſidia per illos diſponere coeperunt.

* Conf. Geſchichte der Teutſchen Lib. IV. §. 9. et Lib. V. §. 20.

XXVI. Inde frequens Carolingorum iam aevo praefectorum limitis, ſiue marchionum, mentio.

XXVII. Nouosque ſubinde conſtituerunt Germaniae Reges *, prout fines Imperii prolati, mutatiue fuerunt.

* Ita Henricus fines aduerſus Slauos proferendo Brandenburgenſi, Miſniae, et Luſatiae Marchionatui initia dedit. Idem cum aduerſus Danos fines protuliſſet, Sleſuici Marchionem inſtituit.

In Lotharingiae Regno, Dux Lotharingiae ſuperioris vocatur Dux, et *Marchio:* in Inferiori, Marchio Antwerpiae ad Scaldin fuit.

XXVIII. Et alii quidem Marchiones immediate

diate ſub Regibus fuerunt. Alii Ducis in provincia auſpicia ſecuti ſunt.

XXIX. Alii quoque ad dignitatem Principum euecti ſunt *: alii in numero Comitum manſerunt.

* Vt Brandenburgicus, Miſnenſis, Badenſis.

XXX. Succeſſu temporis ipſum Marchionis nomen dignitatis titulus in Imperio factus eſt, medius inter Ducem et Comitem *.

* E. g. Comes Iuliacenſis ad Marchionis primum, deinde ad Ducis dignitatem euectus fuit. Carolus IV. Marchionem Pontis Moncionis creauit: Sigismundus Mantuae.

XXXI. Comites Palatii erant, qui in palatio cauſas, ad Regum, Imperatorumque cognitionem deuolutas, tractarent 1). Carolingorum quidem temporibus vnus erat Palatii Comes, Isque primariis officialibus accenſebatur 2).

1) Conf. PETRI PITHOEI obſeruatio de Comitibus Palatinis, tam Germaniae, quam Galliae: quam ex eius Commentariis de Comitibus Campaniae decerptam, Latine edidit MARQVARDVS FREHERVS: item GEORGIVS SCHVBARTHVS, nec non EBERHARDVS OTTO de Comitibus Palatinis. De Comitibus Palatii in Regno Franciae vid. CAROLVS du CANGE in Diſſert. XIV. ad IOINVILLAE Hiſtoriam Ludouici Sancti.

2) HINCMARVS de Ordine et Officiis Palatii cap. 21. *Comitis Palatii inter caetera pene innumerabilia, in hoc maxime ſollicitudo erat, vt omnes legales, quae alibi ortae, propter aequitatis iudicium Palatium aggrediebantur, iuſte ac rationabiliter determinaret, ſeu peruerſe iudicata, ad aequitatis tramitem reduceret.*

XXXII.

XXXII. Deinde Imperatores et Reges Romanorum per diuerſas prouincias, vti Palatia, ita Comites quoque Palatinos habuerunt, qui controuerſias ad Regis iudicium delatas, nomine Regis, ſecundum cuiuslibet populi iura, dirimerent *.

* SPECVL. SAXONICVM Lib. III. tit. 64. Palantzgrauius ſub banno iudicat Imperali.

XXXIII. Sed et hoc dignitatis nomen eſſe coepit: quo Comites nonnulli vſi ſunt, quod vel ipſi Palatii ius habere, vel quod de Palatio Regis eſſe cenſebantur.

XXXIV. Imprimis illuſtris ſemper fuit Comitiua Palatii ad Rhenum, ſeu proprie Regni Franciae Orientalis. Ex quo ad familiam Bauaricam peruenit, inſignibus paſſim per oras, Rheno vicinas, terrarum acceſſionibus aucta eſt *.

* Eas recenſet MARQVARDVS FREHERVS in Originibus Palatinis cap. 12. et 14.

XXXV. Praeterea Saxonia, vt ius antiquum, et conſuetudines retinuerat, ita et proprios Palatii Comites habuit 1). Inter quos clarum inprimis Henrici Illuſtris, Miſniae Marchionis, nomen fuit 2). Deinde comitiua Palatii ad Electores Saxoniae peruenit, et vnita fuit Electoratui 3).

1) Veterum Palatinorum Saxoniae ſucceſſiones egregie explicat Auctor libri: Entwurf einer Hiſtorie der Pfalzgrafen zu Sachſen. (Erfurt, 1740.)

2) Vid. DN. GRIEBNERVS in Programm. de hoc Henrici titulo.

3)Vid.

3) Vid. EIVSDEM Diſſ. de Iuribus Palatinatus Saxonici Electori propriis.

XXXVI. In Bauaria 1) quoque Comitis Palatii titulus diu viguit. Occurrunt Comites Palatini ex familia Vitelsbacenſi 2). Et poſt illos ex ſtirpe Comitum Ortenbergenſium 3). In Carinthia Comites Goeritiae Palatini fuerunt 4).

1) Habuerunt enim et Boioarii proprias leges: et paſſim occurrunt in Rebus Francicis, qui ſe *Lege Boioariorum* viuere profitentur. Diu ſeruatam eius auctoritatem ex loco OTTONIS de S. BLASIO colligas. Is de Ottone IV. Imperatore ſcribit ad A. 1208. *Poſt haec apud Caſtrum Noricum colloquium habens, a Bauaria in Alemanniam peruenit, ibique in Epiphania Domini apud Auguſtam colloquium habens, Ottonem Palatinum de Witilinspach, nec non Marchionem de Andehſe*, Lege Bauarica, *ſententialiter, propter occiſum Philippum, proſcripſit.*

2) Ita RADEVICVS Lib. II. cap. 59. Ottonem Witilsbacenſem, *Palatii Comitem de Bauaria, vocat.* Vltimus ex ea gente fuit Otto ille, quem proſcriptum ab Imperatore in praecedente nota legimus.

3) RAPOTHO, Comes Palatinus Bauariae, ſubſcribit tabulis compoſitionis inter Ottonem IV. et Ludouicum, Bauariae Ducem A. 1212. ſancitae, in TOLNERI Cod. Palatino Diplomatico n. 81. Hanc Comitum Palatinorum, ex Ortenbergenſi ſtirpe, ſeriem illuſtrat WIGVLEIVS HVND im Bäyriſchen Stammbuch P. II. p. 25. et ſequ. Deſiiſſe hunc Palatinatum coniicit cum Rapothone III. qui A. 1249. obiit. IBIDEM p. 27.

4) Hic Palatinatus deinde in poteſtatem Ducum venit, ita vt Comites Palatii auctoritatem a Ducibus haberent. Ita in diplomate Rudolphi IV. Auſtriaci de A. 1359. inter teſtes nominatur: Graf Meinhard von Gortz, unſer Phalenz-Graf zu Karnden. Extat in Dn. a LVDWIG Reliquiis veteris aeui T. IV. p. 289.

XXXVII.

XXXVII. In Sueuia Comites Tubingenſes Palatini vocati ſunt. Sed dubium eſt, officiumne Comitis Palatini per prouinciam reuera geſſerint, an vero dignitatis ſaltem cauſa titulum, quemadmodum alii Comites, habuerint.

XXXVIII. Praeter Germaniam, Imperatores in reliquis etiam Regnis Comites Palatii habuere. In Italia, atque ipſa vrbe Roma, claruerunt Comites Palatii Lateranenſis *, cuius muneris amplitudo, numero illorum, qui titulum obtinuere, aliquantum imminuta eſt.

* THOMAS REINESIVS de Palatio Lateranenſi eiusque comitiua.

XXXIX. In Arelatenſi Regno, Burgundiae 1), et Viennae Comites Palatini, appellantur. In Lotharingia inferiori Comites Hannoniae 2), interdum et Namurci.

1) Burgundiae Comites hunc titulum ab Ottone, Imp. Friderici I. filio, tenuerunt. De quo vid. ANDR. du CHESNE in Hiſtoria Regum, Ducum, et Comitum Burgundiae etc. Lib. IV. cap. 22.

2) Ita Carolus Burgundus in titulo Valenciani, in Capitulo Ordinis Equitum aurei Velleris publice propoſito, vocatur PALATIN DE HAYNAV, DE HOLLANDE, DE ZELANDE, ap. HENRICVM d'OVTREMAN in Chronico Valencian. p. 77. Ortus forte ex eo titulus, quod Comites vices regias, per illas Regiones ſuſtinerent.

XL. Landgrauii munus fuit iurisdictionem non in ſingulis pagis, ſed per prouinciam, aut amplio-

ampliorem certe diſtrictum exercere, et interdum pluribus Comitatibus praeſidere. Vnde Comites etiam prouinciales vocati ſunt *.

* In vetere Imperio Romano Comes Prouinciae dicitur, qui prouinciae, Comitiua primi Ordinis decoratus, praeeſt. Cod. Iuſtin. *de Comitibus, qui Prouincias regunt.*

XLI. Ex iis Landgrauii Thuringiae ad principalem dignitatem euecti fuerunt. Quorum familia in Henrico A. 1247. extincta, Thuringia ad Marchionem Miſniae, Haſſia ad Henricum Brabantinum, peruenit: a quo Landgrauiorum Haſſiae origo.

XLII. Landgrauiatus quoque Leuchtenbergi, (et olim Alſatiae) principalis dignitatis eſt.

XLIII. Alii Landgrauii in Comitum numero manſerunt. Ita e. g. Furſtenbergii, Landgrauii in Stuhlingen, vocati ſunt, etiam antequam Collegio Principum adſcripti eſſent.

XLIV. Burggrauii 1) (quos in Belgio Caſtellanos 2) vocari conſueuit) Caſtro, et praediis fundisque ad illud pertinentibus, et miniſterialibus, praeerant, et praeſidebant in iudicio.

1) HENR. GVNTHERVS THVLEMARIVS de Burggrauiis Imperii.

2) De Caſtellanis olim per Belgicam frequentibus, quos hodie Vice-Comites, aut Burggrauios vocant, vid. excurſio in Operibus AVBERTI MIRAEI Diplomaticis T. I. p. 561. nec non FLORENTIVS van der HAER, in Libr. de Caſtellanis Inſulanis.

XLV. Adeoque diſtinctam iurisdictionem habebant a Praefectis, ſeu Aduocatis vrbium, et Scul-

Sculteti Imperialibus, quorum illi criminalem, hi ciuilem in ciuitatibus iurisdictionem exercebant.

XLVI. Neque tamen eadem omnibus Burggrauiis fuit formula. Nam alii immediate ab Imperio iurisdictionem habuerunt: alii ab Epiſcopis, vt Burggrauius Argentoratenſis.

XLVII. Alii a Ducibus, Principibusque territorii: quos interdum equeſtri ordine contineri, imo et infra illum collocari videas.

XLVIII. In Burggrauiis, qui ab Imperio conſtituti, eminet Magdeburgenſis, quae dignitas Electoratui Saxonico vnita. In Principum quoque numerum recepti Norimbergenſes, et Miſnenſes.

XLIX. Alia quoque viguerunt olim Regni officia. Fuerunt Aduocati, qui in prouinciis, aut vrbibus res, et iura Imperii 1), quiue bona Eccleſiarum, et Monaſteriorum ſecularia curarent. Fuerunt praeſertim in Italia, Vicarii. Fuerunt Vice-Comites, quibus vices ſuas Comites, et plerumque Epiſcopi, delegabant. Vice-Domini 2), in procuratione rerum Eccleſiae ſecularium, locum habuere.

1) Inde Terra Aduocatorum (das Voigtland) nomen habuit: item Aduocatia Prouincialis per Sueuiam: et Hagenoae per Alſatiam.

2) Germanis Viʒthum, Gallis, *Vidames*.

L. In-

L. Inprimis Miſſi Dominici aliquando celebres fuerunt *, quos extra ordinem Reges Francorum, et deinde Imperatores quoque in ciuitates et prouincias mittere ſolebant, vt inquirerent in Epiſcoporum, Comitum, Abbatum adminiſtrationem, geſtorum omiſſorumue rationes exigerent, conuentus iuridicos per prouincias agerent, deſideriis, et queſtibus Prouincialium, praecipue viduarum, et pupillorum ſatisfacerent.

* FRANCISCI DE ROY, Anteceſſoris Andegauenſis *de Miſſis Dominicis, eorumque officio, et poteſtate, liber.* Andegaui 1672. 4.

LI. Hactenus de officiis Regni. Iam et de Dignitatibus, quae prope Regalem eminent, acturi, initio ſtatim notamus, alias ipſi territorio inhaerere, adeoque et tranſire ad ſucceſſores: alias, perſonae tantum tributas, cum familia exſpirare.

LII. Ortae vero ex antiquiſſima Germanorum Nobilitate, atque ſenſim titulis, inſignibus, et reliquo honoris apparatu diſcretae ſunt, Dignitates Principum, et Comitum.

LIII. Principes praecedentia, titulis 1) et inſignibus propriis, vti corona 2), quiue inter Germanos vſitatior, galero 3), Principali, gaudent. Olim etiam toga, paludamento, aliisque ornamentis 4) diſcernebantur.

1) Titulum Sereniſſimi ab ipſo Imperatore familiae aliquot impetrauerunt. Conſilium petendi illum pro omnibus

 maio-

maiorum gentium Principibus, in Comitiis A. MDCLIII. propoſitum, enarrat PFANNERVS in Hiſtoria Comitiorum L. III. §. 103. Titulo Regiae Celſitudinis, Duces Lotharingiae, et quondam Sabaudiae, in Aula etiam Imperiali gaudebant. Imperator Carolus VI. eundem Holſatiae Duci conceſſit.

2) PASCHALIS de Coronis L. IX. c. 22. *Corona Ducalis eſt circulus laminae aureae lapillis pretioſis diſtinctae, ex quo flores et folia vndique ſurgunt.*

3) Galerum pellitum, quo Principes in Germania vtuntur, deſcribit PASCHALIS Lib. IX. c. 23.

4) Conf. DADINVS ALTESERRA de Ducibus et Comitibus Francorum Lib. III. c. 10. Ducibus gladium praeferre, olim moris fuit. Exemplum Guelphi Ducis vide in COMMENTARIIS de Rebus Imperii, ſub Henrico V. Lib. III. §. 3.

LIV. Propria etiam Principum praerogatiua cenſebatur*, quatuor Officia Palatina habere, Mareſchalli, Dapiferi, Pincernae, Camerarii. Quae inde Miniſteria Principum, (Fürſten-Amt) dicta, atque ab Eccleſiaſticis haud minus quam Secularibus Principibus ſtudioſe ſeruata, et plerumque certis familiis in feudum conceſſa fuerunt.

* Hinc Ludouicus IV. Imperator, in diplomate, quo Rainaldum Geldriae Ducem appellauit, apud MIRAEVM in Donationibus Belgicis, Lib. I. c. 140. *Inſuper ad maiorem dicti ducatus, et principatus ſplendorem aſſignamus ipſi, iuxta morem Imperii quatuor officiarios, infra nominandos, et eorum heredes etc.*

LV. Item ſingulare fori priuilegium 1), vnde Ius Principum, (das Fürſten-Recht) ad quod toties olim prouocatum legimus 2), nomen habuit.

1) Hen-

1) Henricus VII. in diplomate, quo Bertholdo Comiti Hennebergiae dignitatem Principis confert, apud L V N I G I V M Reichs-Archiv Parte Speciali Cont. II. p. 179. *Conferimus eidem Bertholdo, ac ſuis heredibus, omnia iura Principum, tam in ingreſſu, quam in egreſſu ad Imperialem deliberationem, in ſententiis conuenieudis, dictandis, pronuntiandis, etc.* Priuilegia fori ibidem ita deſignat: *ac ipſum Comitem Bertholdum, et ſuos liberos, iure aliorum noſtrorum principum, nec non homines eorundem, hominibus aliorum Principum noſtrorum, tam in parando et ſtando iure, quam aliis libertatibus, et iuribus per omnia adaequandos.*

2) Ita Saxones ab Henrico IV. inter alia petunt, apud L'A M B E R T V M S C H A F N A B V R G E N S E M, vt Principibus, quibus bona ademta, ſatisfaciat, *ſecundum Principum ſuorum iurisdictionem.*

LVI. Illa vero Principum, qui Status Imperii reuera ſunt, praecipua praerogatiua eſt, quod ſuffragia in Comitiis viritim ferunt, Comites curiatim.

LVII. Inclaruerunt etiam Comites, principali dignitate: ſiue illam retinuerint ex antiquo more, quo non tam ſollicite videntur diſcreti fuiſſe dignitatum gradus; ſiue ipſi a regibus, Principibusue progeniti, gentis ſplendorem Comitatui intulerint; ſiue denique ab Imperatoribus hanc dignitatis acceſſionem ſingulari priuilegio impetrauerint*.

* E. g. Comites Hennebergici, quibus Henricus VII. dignitatem Principis diplomate ſupra adducto, contulit.

LVIII. Comitis quoque nomen ipſum iam dudum dignitatis eſſe coepit: plurimiſque fami-

liis conferri, quae territorium, vetere Comitatus formula condecoratum, reuera non haberent.

LIX. Haec quoque dignitas prooedriam ſuam 1), propriosque titulos 2), coronam 3), aliasque praerogatiuas habet 4).

1) Vid. CAPITVLAT. IMPER. Art. III. 23. Es ſollen auch bey Kaiſerlichen und Königlichen Crönungen, und andern Reichs-Solennitäten, denen immediaten Reichs-Grafen und Herren, die im Reich Seſſionem et Votum haben, vor andern aus- und inländiſchen Grafen und Herren, wie auch Kaiſerlichen Räthen und Cammer-Herren, und zwar gleich nach dem Fürſten-Stand, vor allen andern, weil ſie im Reichs-Fürſten-Rath Votum et Seſſionem hergebracht, deßwegen Ihnen auch billig, wie bey den Conſultationibus, Oneribus und Beſchwerlichkeiten, alſo auch ſolchen Actibus ſolennibus die Stelle, und was deme anhanget, gelaſſen, und ebenmäßig auſſer ſolchen Reichs-Feſtivitäten am Kaiſerlichen Hof, und allen Orten obſerviret werden.

2) De Titulo *Nobilis Vir*, Comitibus tributo, conf. HVLDARICI ab EYBEN Diſſ. de Titulo *Nobilis Vir*. Ab ipſo Imperatore ornantur elogio Hoch, und Wohlgebohrne.

3) Coronam Comitum deſcribit PASCHALIS. l. c. conf. FESCHIVS de Inſignibus cap. 6. et ſeq.

4) KOP de inſigni Differentia inter S. R. I. Comites et Nobiles immediatos. Collectionem ſcriptorum, ad Iura Comitum pertinentium, dedit LVNIGIVS in Theſauro Iuris derer Grafen und Herren des Römiſchen Reichs. Singularia quaedam excuſſit Dn. WILHELMVS FRIDERICVS PISTORIVS in Hiſtoriſchen und Juriſtiſchen Anmerckungen etc.

LX. Reliqui ex Nobilitate, qui officium Regni non habebant, patrimonio, cum auita libertate

tate fuebantur, Dynaſtae, (Herren 1), et Barones vocati ſunt. Ex hac Nobilitate 2), quae pro antiquiſſimo Germanicorum populorum more, ex libertate decora ſua trahens, ſeminarium Officiorum et dignitatum Imperii fuit, tot illuſtriſſimae familiae iam olim ad Comitum, et Principum, immo Regale, et Imperiale faſtigium aſcenderunt.

1) Atque illi vel Herren ſimpliciter vocati ſunt, vel Edle Herren, Panner-Herren, Frey-Herren: quibus in ſpecie manſit Baronum appellatio.

2) Secundum TACITVM de Moribus German. c. 25. quatuor hominum Status inter Germanos, Nobiles, Ingenui, Liberti, Serui, fuerunt. Ex Nobilitate lecti Reges. IDEM c. 7. *Reges ex Nobilitate ſumuntur.* Congruit Alemannorum *Chuning*, Francorum *Kuning*, ex quo hodiernum *Koenig*, quod generoſum, et praeſtanti genere ortum ſignificat. Vid. Cl. WACHTERVS in Gloſſario, voce *Koenig*. Lecti etiam ex nobilitate *Principes, qui ius per pagos vicosque redderent:* quem locum ſupra ad §. 22. explicaui. Porro de vtriſque TACITVS c. 11. *Mox Rex, vel Princeps, prout aetas cuique*, prout nobilitas, *prout decus bellorum, prout facundia eſt, audiuntur.* Ex ingenuis, Equeſtris Ordinis origines, ſuo loco deducemus.

LXI. A dignitatibus in Republica, diuerſi ſunt honores militiae 1) in quibus praecipuum *Militis*, in ſpecie ſic dicti, ſeu *Equitis* nomen 2), principibus etiam viris decori habitum.

1) Inter inſignia illorum baltheus, ſiue cingulum, et calcaria. Conf. FESCHIVS de Inſignibus cap. 6.

2) Militis, ſeu Equitis nomen, vti Dignitatis factum, vide in COMMENTAR. de Rebus Imperii ſub Henrico V. Lib. III. §. 53. et 57.

LXII. Ex Officiis et dignitatibus Regni origo Collegii Principum explicari, et praeſens quo-

que conſeſſus illuſtrari poteſt. In Curia Principes Eccleſiaſtici locum ad dextram occupant *: Seculares, Ducum alii, Comitum Palatinorum, Marchionum, Landgrauiorum, pro antiqua quilibet ratione, alii ſola Principum, appellatione inſignes, ad ſiniſtram. De ordine ſedendi variae lites, iisque componendis aut euitandis non vna adhibita ratio. Plerumque alternatio placuit.

* Conſultationem de hac praecedentia, in Comitiis Anno MDCLIII. a quibusdam Principibus inſtitutam, enarrat PFANNERVS loc. cit. Lib. II. §. 81.

LXIII. In eodem Senatu reliqui etiam Praelati, qui immediate ſub Imperio ſunt, et Comites, curiatim ſuffragium ferunt. Praelati quidem per duas claſſes Sueuicam, et Rhenanam, quae in Comitiis A. MDCXL. inſtituta, diuiſi.

LXIV. Comites duo quondam ſuffragia curiata habebant: nempe Vetterauici et Sueuici. Sed in Comitiis An. MDCLI. Franconici, et An. MDCLIII. Veſtfalici, iure ſuffragii donati fuere.

CAPVT

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# CAPVT VI.
# COLLEGII PRINCIPVM
## RECENSIO.

Quae hactenus protulimus de Principum Eccleſiaſticorum et Secularium origine, ordine et dignitate, ea iam vſum exſerent, vbi ipſas Principum, qui loco et ſuffragio in Comitiis gaudent, claſſes, prout paſſim, apud Iuris Publici Scriptores, ex tabulis comitialibus deſcriptae reperiuntur, hic repraeſentamus. Hunc quidem indicem ipſum facile erit ex recentioribus actis ſupplere. De ſingulorum autem Principum territoriis, iuribus, titulis, inſignibus, conſuli debent, qui data opera de iis commentati ſunt *.

* Inter illos, qui familias et hiſtoriam Principum Germaniae vno opere complexi ſunt, commendari praecipue meretur IACOBI WILHELMI ab IMHOF Notitia Procerum Imperii.

| Scamnum PRINCIPVM ECCLESIASTICORVM. | Scamnum PRINCIPVM SECVLARIVM. |
|---|---|
| Archidux Auſtriae *. | Dux Bauariae 1). |
| Dux Burgundiae. | *Elector Brandenburgicus, ratione* Ducatus Magdeburgenſis. |
| Archiepiſcopus Salisburgenſis. | *Elector Palatinus, ratione* Lautern. |
| *Archiepiſcopus Veſontinus.* | |

Magnus Ordinis Teutonici Magiſter **.
Epiſcopus Bambergenſis.
Wirceburgenſis.
Wormatienſis.
Eichſtadienſis.
Spirenſis.
Argentoratenſ.
(alternant ſecundum ſeſſiones.)
Conſtantienſis.
Auguſtanus.
Hildeſienſis.
Paderbornenſis.
Friſingenſis.
Ratisbonenſis.
Paſſauienſis.
Tridentinus.
Brixienſis.
Baſileenſis
(alternant ſecundum Comitia.)
Leodienſis ***.
Oſnabrugenſis.
Monaſterienſis,
Curienſis,
Lubecenſis ****.
Abbas Fuldenſis.
Campidonenſis.
Elwangenſis.
*Murbacenſis.*
*Luderenſis* *.

*ratione* Simmern.
*ratione* Neoburgi.
Dux Bremenſis.
Comes Palatinus Bipontius.
Comes Palatinus Veldentinus.
Dux Saxo-Gothanus, ratione Altenburgi.
Duces Saxoniae, ratione Coburgi.
Dux Saxo-Vinarienſis.
Dux Saxo-Gothanus.
Dux Saxo-Iſenacenſis.
(alternant ſecundum dies deliberationis 2).)
Marchio Brandenburgicus lineae Culmbacenſis,
- lineae Onoldinae.
*Elector Brunſuicenſis, ratione* Ducatus Zellae,
- - Calenberg.
Dux Brunſuico-Guelferbytanus.
Ducatus Grubenhagen 3).

Magi-

Magiſter Ordinis Iohannitici per Germaniam.
Abbas Berchtolsgadenſis.
Praepoſitus Weiſſenburgenſis †.
Abbas Prumienſis ††.
- - Stabulenſis.
- - Corbeienſis.
Praelati Sueuici.
- - Rhenenſes.

*Elector Brandenburgicus, ratione* Principatus Halberſtadii.
*Dux Bremae et Verdae, ratione* Verdae.
DuxWurtenbergiae
Landgrauius Haſſiae lineaeCaſſellanae,
- - Darmſtadienſis,
Marchio Badenſis in Baden,
- - Durlacenſis,
- - in Hochberg.
Dux Megapolitanus, lineaeSuerinenſis.
Dux Megapolitanus, lineae Guſtrouienſis. (alternant.)
*Rex Sueciae, ratione* Pomeraniae citerioris.
*Elector Brandenburgicus, ratione* Pomeraniae vlterioris.
*Elector Brunſuicenſis ratione* Ducatus Saxo-Lauenburgici 4).

* Ex Priuilegio Caeſarum hic locus Auſtriacis datus. Caeterum cum Salisburgenſi in loco, et directorio alternant.

** De loci honore contradicit Bambergenſis.

*** Cum eo de loco contendit Monaſterienſis.

**** Locus illi poſt pacem Weſtfalicam in Scamno tranſuerſo.

* Vtrumque exemtum a Gallis obſeruat Dn. Moser in Diſſ. de Dubiis Imperii Finibus p. 25.

† Haec praepoſitura vnita eſt Epiſcopatui Spirenſi.

†† Haec Abbatia vnita eſt Archiepiſcopatui Treuirenſi.

*Rex Daniae, ratione* Ducatus ſui Holſatiae *.
Dux Holſatiae lineae Gottorpienſis.
*Elector Brandenburgicus ratione* Mindenſis Principatus.
*Dux Sabaudiae,*
*Bauarus, ratione* Landgrauiatus Leuchtenbergenſis.
Principatus Anhaltinus.
- Hennebergicus.
*Dux Megapolitanus, ratione* Principatus Suerini.
*Elector Brandenburgicus, ratione* Principatus Caminenſis.
*Dux Megapolitanus, ratione* Principatus Ratzeburgi.
*Landgrauius Haſſo-Caſſellanus, ratione* Principatus Hirſchfeldiae.
*Dux Lotharingiae, ratione* Marchionatus Nomeni etc.
*Dux Wurtenbergiae, ratione* Montisbeliardi.
Princeps Arenbergenſis.
Hohenzolleranus,
Lobkowizius.
Salmenſis.
Dietrichſteinius.
Naſſouius in Hadamar,
- - Siegen.
- - Dietz.
Auersbergius.
Friſiae Orientalis 5).

Prin-

Princeps Fürſtenbergius.
Schwartzenbergius.
Lichtenſteinius.
Comites Sueuici 6).
Wetterauici.
Franconici.
Weſtphalici.

1) Antiqua eſt Ducum Saxoniae cum Bauaris de loci honore contentio, quam ex actis Comitiorum, ſub Friderico III, et Maximiliano illuſtrat MVLLERVS.

2) Inita de ea re conuentio A. 1704. quam vid. apud LVNIGIVM im Reichs-Archiv P. Speciali Cont. II. p. 128.

3) Locum et ſuffragium Ducatus Grubenhagen Elector Brunſuicenſis Duci Ludouico Rudolpho, e ſtirpe Guelpherbytana, ad dies vitae ceſſerat, conſenſu Collegii Electorum, atque Principum. De quo v. Staats-Cantzeley Tit. XXVI. cap. 11.

4) Elector Hannoueranus A. 1716. ad ſuffragium in Comitiis ratione huius Ducatus admiſſus fuit, ſaluo cuiuslibet iure in petitorio. Vid. Electa iuris Publici T. X. p. 957.

* Holſatica quoque Domus inter Alternantes nuper recepta.

5) Diu inter duos hos Principes de praecedentia diſceptatum. Frobenius autem Princeps Fürſtenbergius Ratisbonae A. 1717. cum Principe Friſiae Orientalis ita transegit, vt Friſius ternis vicibus praecedat, quarta vero vice ipſe, dum vixerit: poſt ipſius obitum Friſiae Orientalis Principi prior locus in perpetuum relinquatur. Vid. Staats-Cantzeley T. XXIX. cap. 6.

6) Quae familiae ſingulis claſſibus contineantur, accurate recenſitum vide in LVNIGII Theſauro Iuris Comitum p. 892. et ſeq.

CAPVT

## CAPVT VII.

# DE VRBIBVS IMPERII IMMEDIATIS.

*Vrbium per Germaniam frequentia. Illarum origines et incrementa. 1. 2.*

*Vrbes hodie vel mediatae, vel immediatae. 3. ſeq.*

*Diuerſus vrbium immediatarum ortus. 5.*

*Antiquum vrbium regimen per Aduocatos, et Sculteros Imperii. 6. et ſeq.*

*Vt libertatem parauerint? 9.*

*De homagio, quod Imperatori praeſtant 11.*

*Diſcrimen aliquando fuit inter vrbes immediatas. Aliae imperiales, aliae liberae dictae. 12.*

*Vt territorium et iura regalia acquiſiuerint? Vbi et de ſuperioritate earum territoriali. 13. 14.*

*Ciuitates Status Imperii. De voto illarum deciſiuo. 15. Deque reliquis iuribus, quae ſibi vindicant. 16.*

*Forma Regiminis ab antiquo more diuerſa. 17.*

*Controuerſia de praecedentia Vrbium et Ordinis Equeſtris. 18.*

*Potentia, et Numerus vrbium valde imminutus. 19.*

*De vrbibus Hanſeaticis in ſpecie. 20.*

*Vrbium Imperii per duas claſſes recenſio. 21.*

Tertium inter Status Collegium conſtituunt Vrbes immediatae. Germania frequens eſt vrbibus. In iis quidem regionibus, quae Romanis quondam paruerunt, iam tum inſignes floruerunt vrbes, pleraeque deinde ſub Germanico Imperio inſtauratae. In Germania etiam Magna, quae nulla quondam, aut rara oppida habuerat, ſub Francis, ſubque Germanicis Imperatoribus, plures vrbes conditae, aut amplificatae fuerunt. Occaſionem partim dedit Religio, cum epiſcopatus et monaſteria paſſim inſtituerentur,

rentur, partim muniendorum finium, aut fouendi commercii ratio. Delecta etiam Principum ſedibus loca, ſucceſſu temporis, frequentari incolis coeperunt *, vrbiumque numerum auxere.

* De origine et incrementis vrbium in Germania conf. HERM. CONRINGIVS de Vrbibus Germaniae, et IAC. BRVNNEMANNI Diſſ. de Incrementis Vrbium Germanicarum.

II. Multum vero inualuerunt vrbes, quaeſitis per commercia opibus, iunctisque foedere viribus, quod magno turbulentis temporibus aduerſus principes, nobiles, milites, praeſidio fuit. Inter foedera eiusmodi celebre inprimis eſt Rhenanum, quod circa A. MCCXLVI. vrbes ad Rhenum ſitae primum inierunt: itemque Hanſeaticum, de quo infra pluribus agendi locus erit.

III. Caeterum vrbes in Germania, ſi libertatem et habitum erga Imperium ſpectes, duplicis ſunt conditionis. Nam vel ſuo iudicio ſtatum ſuum regunt, atque immediate Imperium reſpiciunt: vel in territoriis Statuum ſitae, illorum quoque ſuperioritati ſubiectae ſunt.

IV. Neque adeo opus eſt, tertiam vrbium ſpeciem, quas mixtas vocant, cum nonnullis conſtituere. Quae enim ad hanc claſſem referuntur, vel ſunt municipia inſignibus priuilegiis ab Imperatoribus, aut dominis territorii ornata; vel ſunt vrbes immediatae, in quibus aliis Imperii Statibus iura quaedam, ſiue ex pacto cum ipſis

ipſis, ſiue ex conceſſione imperatoris, competunt.*

* Conf. STRVVIVS in ſyntagmate Iuris publici §. 16. ſeq.

V. Vrbes Imperii vel a prima origine ad regnum immediate ſpectauerunt 1); vel libertatem a ſubiectione priorum dominorum variis modis impetrauere. Nam aliae ab Imperatoribus exemtae ſunt 2): aliae pretio libertatem redemerunt 3): nonnullae extinctis Principum, in quorum poteſtate fuerant, familiis, Imperio immediate parere coeperunt. Quae omnia prolixius hiſtoria exequitur.

1) Ita e. g. Rotuila et Nordlinga, Vrbes in Sueuia, celebrantur vt immediatae, ſtante adhuc Ducum Sueuiae domo.

2) Exemplo eſt Vrbs Ratisbona, et Lubeca.

3) Sic Vlma a Coenobio Diuitis Augiae libertatem redemit.

VI. Solebant olim vrbes Imperii vel Advocatum*, vel Scultetum, interdum vtrumque magiſtratum, ab Imperatore accipere: illi vero ita plerumque partiri iuriſdictionem, vt in cauſis capitalibus Aduocatus, in ciuilibus Scultetus cognoſceret.

* De Aduocatis Ciuitatum per Franconiam, vid. ISAACI PEYERI Diſſert. de Aduocatis liberarum Ciuitatum Imperialium Circuli Franconici. Altorfi 1722.

VII. Nonnullae* etiam Aduocato Prouinciali in quibusdam partibus fuerunt obnoxiae.

* Vt decem ciuitates in Alſatia, quae ſub Praefectura Prouinciali Hagenouienſi fuerunt.

VIII.

VIII. Haec Aduocati, et Sculteti officia, paſſim familiis quibusdam iure hereditario conceſſa fuerunt *.

* E. g. Domus Saxonica quondam et Aduocati, et Sculteti officium habuit in vrbe Nordhuſa. Domus Haſſiaca adhuc habet praefecturam Imperialem in vrbe Vezlaria.

IX. Sed pleraeque ciuitates vel priuilegiis liberatae ſunt ab illa ſubordinatione, vel pretio libertatem redemerunt, praefecturamue ipſam in ſuam redegerunt poteſtatem.

X. Ita vero libertatem adeptis, praeſidio eſt earundem legum reuerentia, quibus aliorum Imperii Ordinum ius, ſtatus, ac poſſeſſio defenditur *.

* Equidem bello tricennali propoſitum a Bauaro Conſilium inſtituendi iterum per Vrbes Praefectos. Prodiit tum pro defenſione vrbium, Diſcurs, ob die alten Reichs-Vogtheyen bey den Reichs Städten mit berechtigtem Fug wieder angerichtet werden können? (Auctor: DAN. HEIDERO) Recuſus liber Vlmae, An. 1732. vna cum apologia, ſub titulo: Gründlich-Hiſtoriſcher Bericht von denen alten Reichs-Vogtheyen ꝛc.

XI. Nec homagium, quod Imperatori praeſtant, libertatem imminuit, quemadmodum nec Principum aliorumque Statuum ſacramenta, quibus tempore inueſtiturae fidem Caeſari adſtringunt *.

* Conf. WILDVOGEL de Superioritate territoriali Ciuitatum Imperii §. 34.

XII. Cum antiquitus autem nonnullae vrbium, quae immediate ad regnum pertinebant, immu-

immunes a contributionibus, ac iuriſdictione Regni, aliae ad vtramque adſtrictae eſſent, obtinuit, vt illae ciuitates Imperii *liberae* vocarentur *. Sed hoc diſcrimen ceſſat, ex quo communi omnes libertate frui coeperunt: idemque omnium eſt cum Imperio nexus.

* Vnde diſtinguuntur interdum die Reichs=Städte, und Freyen Reichs=Städte. Id diſcrimen late perſequitur Dn. a LVDWIG in Diſſ. de Ciuitatum diſpari cum Imperio nexu. Cui ſub praeſidio GABR. SCHWEDERI oppoſita Diſſ. de pari nexu ciuitatum Imperialium cum S. R. Imperio.

XIII. Caeterum cum libertate vrbes etiam ſenſim acquiſiuerunt iura regalia, et reditus ad fiſcum antiquitus ſpectantes.

XIV. Nonnullae etiam territorium: idque auxerunt partim acquiſitis praediis, quae ad praefecturam ſpectauerant, partim coëmtis aliunde. Sic tandem conſecuta eſt ſuperioritas territorialis *.

* WILDVOGEL l. c. §. 39.

XV. Suffragio in Comitiis iam dudum gauiſae ſunt. Sed cum de vi atque efficacia eius dubium moueretur, ac paſſim obiiceretur, Ciuitates conſultandi tantum cauſa audiri, ſuffragii deciſiui vis atque efficacia, qua conſultatiuo opponitur illis, in Pace Weſtfalica confirmata fuit *.

* SCHWEDERVS de Voto deciſiuo Ciuitatum Imperialium in Comitiis.

XVI.

XVI. Adeoque et alia iura, quae Statibus Imperii communia ſunt, ſibi vindicant: e. g. ius legationum 1), ius auſtregarum 2), immunitatem a vectigalibus, in rebus ad vſum cuiuslibet vrbis publicum ſpectantibus etc. 3).

1) Ita Inſtrumento Pacis Ryſuicenſis, poſt alios Status, ſubſcripſere vrbes, Colonia ad Rhenum, Auguſta Vindelicorum, Francofurtum ad Moenum.

2) Add. HILLERVS de Iudicio amicabili liberarum S. R. I. Ciuitatum. Conf. quae notauit Dn. MOSERVS ad Capitulationem Imp. Caroli VII. T. III. p. 261.

3) Vid. HEZELIVS de Immunitate Ciuitatum Imperialium a Vectigalibus, in rebus ad vſum proprium publicum ſpectantibus.

XVII. Adminiſtrandae Reipublicae forma in Vrbibus Imperii hodie plerumque ab antiquo more multum differt. Neque in omnibus eadem eſt. In aliis Ariſtocratia obtinet, eaque in nonnullis adeo certis tantum familiis Patriciis adſtricta. In aliis viget forma Regiminis ex Ariſtocratia et Democratia mixta.

XVIII. Controuerſia de praecedentia inter Ciuitates Imperii, et Nobiles immediatos, ferbuit maxime in tractatibus Pacis Weſtfalicae *.

* Conf. LONDORPIVS T. VI. Lib. III. c. 43. PFANNERVS in Hiſt. Pacis Weſtfalicae L. III. n. 97.

XIX. Caeterum fuit aliquando maior vrbium imperialium et numerus, et potentia, vt adeo crederent exteri, praecipuum Germaniae robur

T in

in ciuitatibus eſſe 1). Sed mutata paſſim rerum facies. Ipſe numerus vrbium immediatarum valde imminutus eſt, variis caſibus. Nam tot prouinciae integrae Imperio ſubductae. Nonnullae vrbes, olim ab Imperatoribus oppignoratae, libertatis iacturam fecere. Multo plures a Principibus in poteſtatem redactae ſunt 2).

1) Vid. e. g. quae habet MACHIAVELLVS in Relatione de Germania (*Ritratti delle coſe d' Alamagna.*)

2) IO. BVRCHARDVS MAIVS de Ciuitatibus Imperialibus ab Imperio auulſis.

XX. Seorſim interdum memorantur Ciuitates Hanſeaticae 1). Quod foedus a voce Germanica Hanſe dictum, Seculo XIII. exortum, maxima incrementa habuit, ita vt An. MCCCCXCIV. ciuitates foederatae LXXII. numerarentur. Diuidebatur in IV. Dioeceſes, Lubecenſem, Colonienſem, Brunſuicenſem, et Gedanenſem. Nec vllum forte in Hiſtoria Vrbium Graecarum clarius vnquam foedus fuit. Seculo XVI. fere intercidit. Vrbes autem Lubeca, Hamburgum, Brema, veluti tabulas e naufragio collecturae, A. MDCXLI. nouo ſe pacto adſtrinxere 2), nomenque commune, atque foedus ſuſtinent. Obtinuere porro, vt priuilegiis ſuis conſuleretur tam in Pace Weſtfalica 3), quam in variis exterorum Regum foederibus 4). Proſpectum quoque illis in Capitulatione Imperiali 5).

1) IO. ANGELVS WERDENHAGEN de Rebus publicis Hanſeaticis. HAGEMEYER de Foedere Ciuitatum Hanſeaticarum.

2) Quod vid. in Collectione Tractatuum T. III. p. 422.

Tem-

Tempore Tractatuum de Pace Weſtfalica conſilium de reſtituendis commerciis dedere, quod vide *dans les negociations de la Paix de Munſter* T. I. p. 441.

3) Vid. INSTR. Pacis Oſnabrugenſe art. X. §. 16.

4) Tale eſt Foedus, quod a Philippo IV. Hiſpaniae Rege, impetrarunt, in Collect. Tractatuum T. III. p. 513. Ibidem habentur contenta priuilegiorum, ab Hiſpaniae Regibus vrbibus Hanſeaticis conceſſorum, p. 896. De libertate commerciorum per Regna Borealia, conf. art. 31. Inſtrumenti Pacis, inter Sueciae et Daniae Reges, Hafniae A. 1660. initae. Foedus commerciorum cum Rege Galliae, A. 1716. initum, vid. in Corp. Iur. Gentium Academico. p. 1615.

5) Art. VII. 2.

XXI. Vrbes Imperiales, quotquot ſuperſunt, in duas Claſſes diuiduntur: Rhenanam et Sueuicam. Quae diuiſio coepit in Comitiis Auguſtanis A. MCCCCLXXIV *. Indicem illarum, qualis paſſim ex tabulis Comitialibus deſcriptus habetur, hic ſubiicimus.

* Vid. MVLLERI Reichs-Tags-Theatrum unter Friderico III.

| *Scamnum Rhenenſe.* | *Scamnum Sueuicum.* |
|---|---|
| Colonia Agrippina | Ratisbona |
| Aquisgranum 1). | Auguſta Vindelicorum |
| Lubeca } alternant | Noriberga |
| Wormatia } alternant | Vlma |
| Spira } alternant | Eslinga |
| Francofurtum ad Moenum | Reutlinga |
| | Nordlinga |
| *Hagenouia* etc. 2) | Rotenburgum ad Tubarim |
| Goslaria | |
| Brema | Hala. Sueuorum |
| Hamburgum 3). | Rotweila } alternant |
| Mulhuſa | Vberlinga } alternant |
| Nordhuſa | Heilbrunna |

Tremonia
Fridberga
Wetzlaria
Gelnhuſa.

Gemunda
Memminga
Lindauia
Dunckelſpiel
*Donawertha* *
Biberacum
Rauensburgum.
Suinfurtum }
Campidunum } alter-nant.
Winsheimium }
Kaufbeura
Weila
Wangia
Isna
Pfullendorſum
Offenburgum
Leutkircha
Wimphena
Weiſſenburgum Nordgouiae. Gienga. Gingenbacum. Zell am Hammerbach. Buchornia. Aalia. Buchouia. Bopfinga.

1) Proteſtatur contra Praecedentiam Coloniae.

2) Decem quondam per Alſatiam Ciuitates Imperiales, ſub communi Praefectura Prouinciali, cuius ſedes Hagenoae, erant: ſcilicet *Hagenoa*, *Colmaria*, *Schletſtadium*, *Weiſenburgum*, *Landauia*, *Oberenheimium*, *Rosheimum*, *Monaſterium in Valle S. Gregorii*, *Kaiſersberga*, *et Turckheimum*. Haec Praefectura in Pace Monaſterienſi Galliae Regi ceſſa eſt, ita tamen, vt §. 87. in ceteris vrbium libertati caueretur. Sed Gallica nihilominus arma praeualuere.

3) Vocatur ad Comitia; ſed ſeſſionem ipſam, atque vſum ſuffragii, moratur contradictio Domus Holſaticae.

* Nota vrbs clade ſua. Reſtituta A. 1705. in priſtinum libertatis locum. Sed per Pacem Badenſem iterum Bauarici iuris facta, de quo vid. Staats-Canzeley T. XXIV. c. 14.

LI-

# LIBER V.

## CAP. I.

## DE PARTIBVS SVMMI IMPERII PER GERMANIAM, ET PRIMO DE IVRE SACRORVM. VBI ET DE LIBERTATIBVS ECCLESIAE GERMANICAE, INTVITV CVRIAE ROMANAE.

*De partibus Summi Imperii per Germaniam: Regalia vnde dicantur? Illorum diuiſio in maiora, et minora. 2. Item in immanentia et transeuntia. 3.*

*Iurium Regalium exercitium vt temperatum in Germania? 4.*

*Ius Statusque Sacrorum in Germania 5. Quid in genere ſummae poteſtati ciuili circa ſacra competat? 6. Id ius Sacrorum a primis Imperatoribus Chriſtianis exercitum. 7. Item ab aliis Regibus, in ſpecie Francorum, 8. Exempli loco producitur Carolus M. 9.*

*Mutationes quae circa Ius Sacrorum in Germania contigerunt. 10.*

*Ius Sacrorum in Imperio quale? 11. Quomodo conſtitutum? 12. Vis Pacis religioſae, et Weſtfalicae. 13. Quinque capita Iuris circa ſacra 14.*

*Cura doctrinae Publicae, et in ſpecie Ius reformandi 15. Eius limitationes. 16. 17.*

*De habitu Sacerdotii erga Imperium. 18.*

*Iurisdictionis Eccleſiaſticae Status, intuitu Imperii vniverſi. 19. Intuitu Ordinum Imperii in Territoriis. 21. ſq.*

*De bonis eccleſiaſticis vt transactum? 25.*

*De reliqua cultus externi cura: vbi obiter de iure Faſtorum. De Faſtis Imperialibus adornandis Conſilium. 26.*

*De componendis Grauaminibus Religionum. 27.*

*Iura circa ſacra Imperatori reſeruata: vbi de primariis precibus. 28. ſeq. Ad illas an*

*opus ſit conceſſione. Pontificis? 30. Item de iure condendi Vniuerſitates ſtudiorum. 31. De iure Imperatoris circa ſacra in Italia. Vbi in ſpecie de Eius Aduocatia Eccleſiae Romanae. 32. De priſtino Imperatorum Iure ordinandi Sedem Romanam. 33. 34. Quae partes Imperatoris oborto in Eccleſia Schismate? 35. Itemque circa Concilium Oecumenicum, et Nationale? 36. De Eccleſiarum Romano-Catholicarum in Germania libertatibus, intuitu Curiae Romanae. 37. ſeq. Illarum conſeruandarum curam Imperator ſuſcipit in Capitulatione. 39.*

Abſoluta doctrina de Subiecto Maieſtatis, videndum, quomodo iura ſummae poteſtatis, intuitu vniuerſae Reipublicae, in Germania exerceantur, et deinde quae illorum ratio ſit in territoriis Statuum. Hic generalia principia explicari debent, ex quibus ſpecialia Statuum iura formulam accipiunt: vt melius appareat, quomodo particulares res publicae, vniuerſae illi, et communi, innectantur, ac velut ſpiritum ab illa trahant.

II. Partes ſummi Imperii, ſeu iura Maieſtatis, vulgo Regalia * vocant, eaque diuidunt in maiora et minora.

* Cuius vocabuli originem ab initiis Regni Francici repetit CONRINGIVS de Vrb. Germ. §. 59.

III. Itemque in immanentia, quae domeſticum territorii ſtatum concernunt, et transeuntia, quorum vis etiam extra territorium ſe exſerit *.

* TITIVS in Specimine Iuris Publici Lib. III. 5.

IV.

IV. Iam ſupra notatum eſt, ita temperatum eſſe exercitium iurium Maieſtatis in Germania, vt Imperator alia coniunctim cum Statibus, alia conſilio et conſenſu Electorum, alia ſolus ſuſtineat, et exſequatur.

V. Primum vero, quoniam prima merito in qualibet Ciuitate religionis cura eſt, de Imperatoris et Statuum Imperii iure circa ſacra, quaedam ſunt delibanda *.

* Conf. Cl. EBERHARDI OTTONIS Oratio de Iure Imperatoris et Statuum Imperii circa ſacra.

VI. Scilicet in Eccleſiaſtica re ſunt ſua vniuerſo fidelium coetui iura: ſunt Sacerdotio ſuae functiones: ſed eſt etiam ſummae in qualibet ciuitate poteſtati aliqua auctoritas 1). Nec tamen extenditur vltra externum ſtatum, vtpote qui directione aliqua opus habet. Interna enim ad conſcientiam pertinent, in quam nullum humanae poteſtati arbitrium competit 2).

1) Conf. HVGO GROTIVS de Iure Summarum Poteſtatum circa ſacra.

2) Conf. NOODTI Oratio de Religione ab Imperio libera.

VII. Ita Imperatores olim Chriſtiani externum Eccleſiae ſtatum auctoritate ſua excoluere, tot latis legibus, quarum magna pars in vtroque Codice, Theodoſiano, et Iuſtinianeo, ſupereſt. Vbi controuerſiae exortae, vt mature ſo-

pirentur, conuocatis ad Concilium Epiſcopis, operam dederunt; Epiſcopos inſtituerunt, aut electos a populo confirmarunt. Gentilium quoque cultum moderati ſunt, et ſectas ab Orthodoxis diſſidentium, ſiue tolerare eas, ſiue coërcere viſum eſſet *.

* De Conſtantino M. in ſpecie id oſtendit FRANC. BALDVINVS in Conſtantino Magno Baſileae 1556.

VIII. In regnis, quae Germanici Populi in Romani Imperii prouinciis condiderunt, idem iuris tenor, quo vſi fuerant Imperatores, ſeruatus. In ſpecie in Eccleſia Francica et hanc circa externa directionem Regibus reliquerunt Epiſcopi, et Reges ea ſumma cum moderatione, atque prouidentia, functi ſunt.

IX. Quod praecipue exemplo Caroli M. illuſtrari poteſt. Quoties legibus ſtatutisque inſtauranda, ornandaque eſſet Eccleſiae facies, ipſius iuſſu conſultabant Epiſcopi, et Abbates, ac ad ipſum, quid ſibi e re viſum eſſet, referebant 1). Si contentiones de fide exortae eſſent, non pro ſuo ingenio decidebat, nec Archicapellano rem, vt alias lites Comiti Palatino, committebat, ſed clariſſimos Epiſcopos, et Abbates, ſcripto ſententiam, et conſilium, rogabat. Quae ſi nondum ſufficerent argumenti grauitati, omnes ſacrorum in regno Antiſtites ad Synodum vocabat 2).

1) Ita Synodus Moguntina, ad quam prouinciae Moguntinae, Colonienſis, et Salisburgenſis Epiſcopi A. 813. conuenerant, de decretis ſuis in praefatione ad Carolum: *de his ta-*

*tamen omnibus valde indigemus veſtro adiutorio, atque ſana doctrina, quae et nos iugiter admoneat, atque clementer erudiat, quatenus ea, quae paucis ſupter praeſtrinximus a veſtra auctoritate firmentur; Si tamen veſtra pietas ita dignum eſſe iudicauerit, et quicquid in eis emendatione dignum reperitur, veſtra magnifica imperialis dignitas iubeat emendare etc.*

2) Ita de doctrina Felicis, Epiſcopi Vrgellenſis, conuocata Francofurti ad Moenum A. 794. frequentiſſima Synodo, in qua et ipſe praeſedit, rem, vna cum famoſa de imaginibus controuerſia, decidi curauit, et decreta ſuo nomine edidit. Cum iterum recruduiſſet controuerſia, ac Felix ſententiam priorem ſcripto propugnaſſet, Alcuini ſui conſilio, copiam eius ſcripti Leoni Papae, Paulino Patriarchae Aquileienſi, Richboldo Archiepiſcopo Treuirenſi et Theodulpho, Epiſcopo Aurelianenſi miſit, iudiciumque illorum expetiit, vt ipſe melius de tota cauſa iudicare poſſet. Facile eſſet, qualem FR. BALDVINVS Conſtantinum M. hac in parte repraeſentauit, talem ex Francicis Principibus Carolum Magnum ſiſtere. Sed haec pro ſpecimine ſufficiant.

X. Equidem ſucceſſu temporum iura Regni circa ſacra ſenſim fuerunt imminuta. Quas viciſſitudines hic repraeſentare opus non eſt. Vbi enim humano iure, per mortalium rerum conuerſiones, inducta eſt mutatio, ibi eadem auctoritate, cum iuſtae adſunt cauſae, res in priſtinum ſtatum reſtitui poteſt.

XI. Caeterum ius et auctoritatem, quae in Imperio vniuerſo ſummae Poteſtati circa ſacra competit, definiueris *ius circa ordinandum ſtatum religionis externum, ad conſeruandam conſcientiarum libertatem, et pacem Imperii publicam, legibus, pactisque, ſtabilitum* *.

 * Vti

* Vti Statibus Imperii, in ſuo cuiuis territorio competat, vid. Infra Lib. VI. cap. 2.

XII. Carolus V. ſub quo certamina de religione maxime eruperunt, initio ad comitia hanc curam reuocauit. Sed cum neque Concilii nationalis ſpes eſſet: neque ex Tridentino remedia ſtabiliendae concordiae ſuccederent, interea Status Imperii, obſecundantes ciuium et prouincialium votis, ius ſacrorum in ſuo quisque territorio aſſeruerunt, alii Romano - Catholica Sacra retinentes, alii Confeſſionem Auguſtanam, vna cum ſubditis, amplexi.

XIII. Id deinde in Pace Religioſa A. MDLV. ab Imperatore, et Ordinibus Imperii vniuerſis, adeoque a ſumma Germaniae, nullique externo arbitrio obnoxia poteſtate, agnitum, confirmatumque, et multo clarius in Pace Weſtfalica aſſertum eſt: ea aequabilitate, vt ob diuerſum de religione ſenſum, nemo in vita ciuili deterioris habeatur conditionis, vtque quod alterutra pars ſibi ſumit, id alteri viciſſim tribuat.

XIV. Ad quinque vero capita praecipue referri poteſt nempe: I.) Curam doctrinae publicae, componendique oborta circa illam diſſidia. II.) Sacerdotii erga Imperium, ſeu Ciuilem poteſtatem, habitum: III.) Iurisdictionem tam in perſonas, quam in cauſis, quae ad Religionem ſpectare exiſtimantur. IV.) Bona Ecle-

cleſiaſtica: V.) Externi cultus ordinem in ritibus, feſtis etc.

XV. Cura doctrinae publicae duplici ratione ſe exſerit, prout vel de religione ſemel recepta conſeruanda, tuenda, amplificanda agitur, vel mutare aliquid in ſtatu ſacrorum viſum fuerit. Hoc in ſpecie *ius reformandi* vocatur, quod vocabulum Germaniae motibus nimium quantum innotuit.

XVI. Limites autem ſuos, libertas haec, et in ſpecie ius reformandi, ab vniuerſa Imperii auctoritate accepit. Nam initio in pace Religionis Auguſtana A. MDLV. ad Catholicos, et Auguſtanae Confeſſioni addictos reſtringitur. Deinde horum iura in Pace Veſtfalica Reformatis etiam diſertis verbis attributa ſunt 1): idque in capitulatione nouiſſima repetitur 2). Atque ad tres illos cultus, ius Sacrorum in pace Veſtfalica ita eſt reſtrictum, vt nullum alium recipere ac tolerare publice liceat.

1) Vid. INSTRVMENTVM Pacis Oſnabrugenſe Art. 7.
2) Vid. CAPITVL. IMPERIALIS Art. II. 3.

XVII. Praeterea tres hae religiones in eadem Pacificatione variis erga ſe inuicem limitibus ſeptae ſunt. Nam intuitu Catholicorum et Proteſtantium, Status anni MDCXXIV. fere pro norma eſt*. Inter ipſorummet quoque Proteſtantium partes cancelli poſiti. Praeter leges

leges vero Imperii publicas, magna quoque in hoc argumento pactorum, quae Status inter ſe, vel cum ſubditis, ſuper ſtatu Sacrorum, in Territorio, inierunt, nec non priuilegiorum, et litterarum reuerſalium, vis eſt, eademque in Pace Veſtfalica religione ſanciuntur, ac ſi ipſis tabulis Pacis inſerta eſſent. Quae omnia diſtinctius proſequemur, vbi ſequente libro Statuum in Territoriis ſuis Iura explicanda erunt.

* In Palatinatu res in eum ſtatum reſtituta per Pacem Veſtfalicam, in quo fuerat ante motus Bohemicos. In Pace Ryſuicenſi multa loca reſtituebantur a Gallis, in quibus, durante bello, contra tenorem Pacis Veſtfalicae Catholicorum ſacra introducta fuerant. Itaque tum adiiciebant articulo 4. clauſulam, vt *in locis reſtitutis conſeruaretur Status religionis Catholicae, qui tum eſſet*. Haec eſt illa clauſula, de qua toties queſti Proteſtantes. Conf. Dn. STRVVII Hiſtorie der Religions-Beſchwehrden P. II. cap. 2. §. 38. ſeq.

XVIII. Relatio Imperii ad ſacerdotium diuerſimode, pro diuerſis Catholicorum, et A. C. addictorum principiis, ſe habet. Catholici Epiſcopatum, et Politiam Eccleſiaſticam per Epiſcopos ordinatam, retinuere, atque auctoritatem Romanae Sedis agnoſcunt. In Epiſcopatibus, qui immediate ſub Imperio ſunt, electio, aut poſtulatio, Capitulis competit. In reliquis nonnullis Ius nominandi habent Principes r). Apud Proteſtantes, quanquam Epiſcopatus aliquot, aut Capitula conſeruati ſint; Sacerdotii tamen officia omnia per Presbyteros exercentur. Quidnam vero Statibus ipſis, circa examina,

mina, et confirmationem Miniſtrorum Eccleſiae, iuris competat, infra explicabitur 2).

1) Vid. ſupra Lib. IV. cap. 4. §. 5. et ſeq.

2) Lib. VI. cap. 2. §. 17.

XIX. Iurisdictionis Eccleſiaſticae, intuitu Imperii vniuerſi, hic ſtatus eſt hodie. Quoad perſonas Eccleſiaſticas religionis Romano-Catholicae, tribunalia Imperii nullam iurisdictionem ſibi vindicant*: habent tamen ratione feudorum, et regalium.

* Immunitatem perſonarum et bonorum Eccleſiaſticorum a iurisdictione ſeculari Otto IV. Fridericus II. et Carolus IV. peculiaribus conſtitutionibus ſanciuerunt.

XX. Neque cauſas eccleſiaſticas Imperii tribunalia ſibi vindicant 1). Sed cum ſaepe dubium moueatur, vter Iudex, Eccleſiaſticus, an ſecularis, ſit competens, antiquam contentionem dirimere promiſit Imperator, curando vt cauſae Eccleſiaſticae et ciuiles rite diſcernantur 2).

1) Relaxatio tamen a iuramento, quam ad iurisdictionem Eccleſiaſticam Canonici iuris Interpretes referre ſolent, non ſolum Camerae Imperiali, ſed iudici ordinario in genere vindicatur, in Rec. Imp. de A. 1654. §. 164. Conf. Dn. KEMMERICH in Diſſ. de Relaxatione a iureiurando.

2) CAPITVL. IMPERIAL. Art. XIV. 5.

XXI. In territoriis Statuum diuerſa eius eſt conditio. Catholici enim Iurisdictionem Epiſco-

ſcoporum ſuorum, et Romani Pontificis, in iis caſibus, in quibus per Germaniam obtinet, agnoſcunt.

XXII. Intuitu vero Statuum Euangelicorum (comprehenſa immediata Imperii Nobilitate) illa cum omnibus ſuis ſpeciebus ſuſpenſa, et tam ratione Catholicorum et Euangelicorum erga ſe inuicem, quam ratione Euangelicorum inter ſe, intra limites cuiusuis territorii, vti ius dioeceſanum ipſum, concluſa eſt*.

* Vid. INSTRVM. Pacis Oſnabrugenſe art. 5. §. 48. *Ius Dioeceſanum, et tota iurisdictio Eccleſiaſtica, cum omnibus ſuis ſpeciebus, contra Auguſtanae Confeſſ. Electores, Principes, Status, comprehenſa libera Imperii Nobilitate, eorumque ſubditos, tam inter Catholicos et Auguſtanae Confeſſioni addictos, quam inter ipſos ſolos Auguſtanae Confeſſionis Status, usque ad Compoſitionem Chriſtianam diſſidii Religionis, ſuspenſa eſto, et intra terminos Territorii cuiusque, ius Dioeceſanum, et iurisdictio Eccleſiaſtica, ſe contineat.*

XXIII. Itaque Status Euangelici iurisdictionem illam Eccleſiaſticam in ſuis territoriis, tam ratione perſonarum, quam cauſarum Eccleſiaſticarum ipſi exercent, et plerumque, ſeparato conſiſtorio, eam delegant.

XXIV. Quid vero obtineat, vbi cauſae e. g. matrimoniales, Status ipſos A. C. addictos concernunt, de eo variae adhuc ſunt ſententiae*.

* Conf. Diſquiſitio: Ob die Iurisdictio Summorum Tribunalium in cauſis Eccleſiaſticis fundiret? in der Staats-Cantzel-

Canzelley T. XXV. In ſpecie de matrimonialibus conf. LINCKII Differt. de Immediatorum Proteſtantium foro in cauſis matrimonialibus. Item IO. FRIDERICI LVDOVICI Diſſert. de Iudice Statuum Euangelicorum in matrimonialibus.

XXV. Ex ſuprema Imperii poteſtate in bona eccleſiaſtica fluit diſpoſitio, quae circa illa in Pace Religioſa, et Veſtfalica facta eſt. In ea plures Epiſcopatus religione ſoluti, et Seculo addicti ſunt. Quoad reliqua bona Eccleſiaſtica placuit, vt Annus MDCXXIV. pro regula poſſeſſionis eſſet, et quaecunque a Catholicis, aut Auguſtanae Confeſſioni addictis eo tempore poſſeſſa fuiſſent, in perpetuum iis manerent: aſſerto tamen in poſterum effectu Reſeruati Eccleſiaſtici, tam intuitu Catholicorum, quam A. C. addictorum*.

* Vid. INSTRVMENTVM Pacis Oſnabrugenſe Art. V. §. 14. ſeq.

XXVI. Ad eam iuris circa ſacra partem, quae cultus externi ordinem, et ritus moderatur, Faſtorum quoque auctoritas refertur. Non ob aliam, vti videtur, quam Feſtorum, quae publice celebrantur, rationem. Siquidem ipſas temporum vices, et corporum coeleſtium motus recte notare, non auctoritatis, ſed artis eſt. Hic quoque in diuerſas partes abiit Germania, cum Gregorius XIII. nouos faſtos publicaſſet. Et quanquam initio huius ſeculi Status A. C. addicti Calendarium emendatum, cui cum Gregori-

goriano fere conuenit, receperint, nonnunquam tamen in die celebrandi Paſchatos occurrit differentia. Prouti A. XXIV. et XLIV. accidit, non ſine turbis paſſim enatis. Propoſitum conſilium fuit ſub Imperatoris nomine publicandi Calendarium, quod vtraque pars ſequi poſſit *. Sed fato Germaniae pacifica conſilia non aeque faciles exitus habent.

* Vid. Staats-Cantzelley T. XLVIII. Iam ſimile quid propoſitum ſub Ferdinando II. in Comitiis A. MDCLIII. refert PFANNERVS in Hiſt. Comitiorum Lib. VII. §. 32.

XXVII. His fere modis, poſt internecina bella, controuerſum ſacrorum Ius in Imperio definitum eſt, conſeruandae ciuilis pacis, et concordiae cauſa 1). Multa quidem ab eo tempore in contrarium admiſſa, vt tot A. C. addictorum auditae querelae teſtantur 2). Varia petita, propoſita, et tentata etiam remedia fuerunt 3), easque ſibi curae fore Auguſtiſſ. Imperator in Capitulatione nouiſſima promiſit 4).

1) Ex quo iam vnam in religione ſententiam tenere non datum erat, hoc ſaltem Reipublicae conuenire viſum eſt, vt Ciues, etiamſi in Sacris diuerſa ſequantur, ad robur, et decus tamen imperii, et populorum felicitatem, vnanimes conſilia et opes conferant.

2) Tria grandia Volumina implent hae querelae, et quaecunque alia illarum occaſione in publicum prodiere ſcripta. Rem totam ordine, in compendio tamen, recenſuit Celeb. STRVVIVS in der Hiſtorie der Religions-Beſchwehrden.

3) Conf. TREVERI Diſquiſitio optimae legitimaeque rationis componendi diſſidia circa religionem in Imperio

perio exorta. MOSERVS de Grauaminibus religionis prouiſorie ad Statum Pacis Badenſis reducendis.
4) Art. I. 11.

XXVIII. Caeterum quaedam iura circa ſacra reſeruata ſunt Imperatori. Quo pertinent Primariae preces: quod eſt ius praeſentandi perſonam in quolibet capitulo 1). Nititur antiqua conſuetudine 2), quod hanc veluti gratiam haberent Eccleſiae Imperatoribus, quorum beneficiis, et protectione fruerentur.

1) De primariis precibus Auguſtae, ſupr. Lib. III. cap. 4. §. 5.
2) Ad eam iam prouocat Rudolphus I.

XXIX. Aſſertum denuo eſt in Pace Veſtfalica, et quidem in capitulis, et conuentibus immediatis, in quibus hactenus exercuerat 1): in mediatis vero ſi A. MDCXXIV. facultate illas exercendi gauiſus fuerit 2).

1) Vid. INSTRVM. Pacis Oſnabrugenſe art. 5. §. 18. Repraeſentationem Epiſcopi Oſnabrugenſis vid. in der Reichs-Fama A. 1727. M. Ianuar. p. 22.

2) IBIDEM §. 26. Add. Reflexiones über den Terminum decretorium des Kaiſerlichen Iuris primariarum precum bey Mediat-Stiftern: in der Reichs-Fama A. 1727. p. 132. 234. 353.

XXX. An neceſſe ſit, ad exercitium eius, conceſſionem petere a Pontifice, tempore D. Ioſephi acriter diſputatum *. Placuit tamen petere, vt vel apud Catholicos ſaltem, eo ſit expeditior illorum cauſa, qui preces eiuſmodi impetrarunt.

* Prodiere pro Iure Auguſti A. 1712. Vindiciae Primariarum Precum, Caeſ. Maieſtati ſuo vno, et proprio Iure, vi ac virtute

tute electionis per Imperium Romanum competentium, etc. Romanae Curiae cauſam egit CONR. OLIGENIVS. Sub quo nomine latuit PETRVS MARCELLINVS CORRADINVS, tum Subdatarius, poſtea Cardinalis. Illi reſpondit Dn. GRIBNERVS in Diſſ. de Precibus Primariis Imperialibus, ſine Pontificis indultu, validis.

XXXI. Referunt etiam huc ex antiqua conſuetudine, qua Academiae ſolent ad Sacrorum Statum referri, Ius priuilegia Academiae conferendi.

XXXII. Praeterea Imperatori in Italia etiam, atque intuitu Eccleſiae Romanae, capita quaedam priſci Iuris ſuperſunt. Ita ſpeciali titulo eſt Advocatus, ſiue protector, Eccleſiae Romanae, eaque protectio in ipſa Capitulatione Auguſtali curae commendatur 1). Intelligi autem debet, ſaluo ſtatu Proteſtantium in Germania, et ſalua legum publicarum atque conuentionum, quibus ille nititur, ſanctimonia 2).

1) CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. I.

2) IBID. conf. SCHWEDERI Diſſert. de Aduocatia ab Imperatore Proteſtantium Eccleſiis non minus ac Catholicis praeſtanda. It. BECKII Diſſ. de Triplici Aduocatia Imperatoris Eccleſiaſtica.

XXXIII. Primi Imperatores Chriſtiani, ex hoc Imperii circa ſacra iure, et electionem Pontificum Romae confirmabant, et ſi diſcors electio, vter legitime electus, definiebant *.

* Ita Honorius Auguſtus in Schiſmate inter Eulalium, et Bonifacium decidit pro Bonifacio: de quo conf. P. ANTONIVS PAGIVS in Critica Annalium BARONII ad A. CCCCXVIII. In Libro Diurno Romanorum Pontificum, quem P. IOANNES GARNERIVS edi-

edidit, extat Tit. 4. p. 16. formula epiſtolae, qualis ad Exarchum Rauennae, pro petenda confirmatione electi Pontificis, mitti ſolebat. Conf. Geſchichte der Teutſchen T. II. obſ. 17.

XXXIV. [a] Id ius, vti Carolingicis etiam Imperatoribus, competierat, Otto M. ſibi et ſucceſſoribus iterum aſſeruit, nec quisquam maiori auctoritate exercuit, quam Henricus III.

XXXIV. [b] Sub Henrico IV. coepere certamina, quibus tandem liberam electionem obtinuere Pontifices. Eam deinde ſolis Cardinalibus aſſeruerunt. Atque adeo Imperatori ſupereſt tantum ius intercedendi, (*excluſiuam* vocant Romae) vbi in Candidatum minus acceptum ſibi, ſuffragia inclinauerint.

XXXV. Sed etiam mutata iam electionis forma, ſi forte Schiſma in Papatu oriretur, quamvis omnium Eccleſiarum intereſſet, illud quantocyus tolli, praecipue tamen Imperatoris, vel ipſo Aduocatiae titulo, haec cura fuit.

XXXVI. Quae Imperatoris ſint partes circa Concilium Nationale, et ex principiis ſupra poſitis, et vſu Eccleſiae Francicae, atque Germanicae apparet: cuius Praeſules aut conuocati a Regibus, aut certe conſenſu illorum, conuenire ſolebant. Quid vero circa Concilium Oecumenicum iuris remanſerit *, Imp. Sigismundus in Concilio Conſtantienſi et Baſileenſi oſtendit.

* CARDIN. VRSINI (poſtea PAPAE BENEDICTI XIII.) *Diſquiſitio, an Imperator, Reges, aliique Principes ſeculares Conciliis praeeſſe, et Laici in illis intereſſe valeant.* Reperitur in Ei. Synodico Beneuentanenſis Eccleſiae.

XXXVII. Antequam ab hoc argumento diſcedamus, pauca et de libertatibus Eccleſiae Germanicae, qua Sacris Romano-Catholicis addicta eſt, addenda ſunt *.

* Argumentum de Libertatibus Eccleſiae Germanicae, nondum pro dignitate excultum eſt. Tentauit id IO. SCHILTERVS in Opere de Libertatibus Eccleſiae Germanicae.

XXXVIII. Illa quidem ſenſim magis et magis ſubordinata fuit ſummo Pontifici. Cum vero Curia Romana, praeter redemtionem pallii, atque annatas, nouas indies exactiones introduceret, tum variis modis libertatem electionis, et collationis beneficiorum imminueret, et ne Concordatis quidem ſtaretur, graues ſaepe Principum, eccleſiaſticorum inprimis, querelae * auditae ſunt.

* Grauamina Nationis Germanicae contra Curiam Romanam, aliquoties prolata, recenſuit IO. FRID. GEORGIVS.

XXXIX. Sed in Capitulatione ſpondet Imperator prouidere, ne quid contra Concordata, et ſpecialia cuiusuis Eccleſiae iura ac priuilegia admittatur 1), vtque auctoritati et dignitati Praeſulum in exercenda iurisdictione, et diſciplina conſulatur 2), et ſicubi querelae locus, legitima remedia adhibeantur 3).

1) CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. XIV. 1.
2) IBID. 2. 3) IBID. 3.

CAP.

# CAPVT II.
## DE IVRISDICTIONE IMPERII, ET CVRA POLITIAE: VBI IN SPECIE DE RE MONETARIA ET CVRSV PVBLICO.

*Iurisdictio quo ſenſu hic accipiatur?* 1.
*AutonomiaGermanorum. Prouidentia, ne ſub praetextu iurisdictionis Eccleſiaſticae Cauſae ciuiles extra Germaniam trahantur.* 2.
*De poteſtate legislatoria in Germania* 3.
*De poteſtate iudiciaria remisſiue.* 4. *Quid circa illam reſeruatum Comitiis?* 5.
*Cura politiae.* 6. *Capita quaedam eius in Comitiis ordinata: Vbi et de cura commerciorum. ibid.*
*In ſpecie hic agitur de iure monetae: et de curſu publico.* 7.
*Capita Iuris Publici circa rem monetariam.* 8.
*Priuilegia monetae vt concedantur?* 9. 10.
*Norma ſecundum quam moneta in Imperio cudi debet.* 11.
*Modus Imperii,* (Reichs-Fuß) *in moneta aurea, et argentea.* 13. *ſeq. Cur non ſeruari potuerit?* 16. *In circulo Saxonico ſuperiori, modus Zinnenſis,* (Zinniſcher Fuß) 17. *Et Lipſienſis.* 18. *Eum recipiendum per Imperium vniuerſum ſtatuitur in Comitiis.* 19.
*De valore monetae extrinſeco* 20. *De vario monetae computo: eiusque ſpeciebus* 21. *ſeq. De caractere monetae.* 24.
*Cuſtodia legum monetalium Circulis demandata.* 25. *et ſeq. Vbi de officinis, et conuentibus monetalibus.*
*Animaduerſio in Status, qui Regali monetae abutuntur.* 27.
*De officio poſtarum Imperii.* 28.
*Statuum Imperii poſtae.* 30.

Proximum curae ſacrorum locum damus iurisdictioni, quod vocabulum hic in ſenſu lato accipimus, ita vt ipſum ius ferendi leges, et iudiciariam poteſtatem contineat.

II. Eſt haec ſingularis Germanorum libertatis gloria, quod Autonomiam ſuam illibatam a prima origine ſeruauerint. Quanquam in Eccleſiaſticis cauſis inualuerit Romani Pontificis auctoritas, tamen cauetur, ne ſub praetextu iurisdictionis Eccleſiaſticae, cauſae ciuiles extra Germaniam trahantur 1), et aliquoties animaduerſum eſt in eos, qui in cauſis ſecularibus Laicorum ad Papam, aut eius Nuntios prouocauere 2).

1) IOSEPHVS SACRIPANTI (Romanae Eccleſiae poſtea Cardinalis) librum edidit ſub titulo: *Defenſio Iurisdictionis Eccleſiaſticae, circa appellationes ab Officiali Leodienſi in cauſis profanis inter Laicos ad ſuperiores Eccleſiaſticos.*

2) Conf. CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. XIV. 4.

III. Quantum ad poteſtatem legiſlatoriam attinet, facultas, leges ferendi, abrogandi, et authentice interpretandi, eſt penes Imperatorem, et Status *.

* Vid. INSTRVM. Pacis Osnabrugenſe art. 8. §. 2. Hinc et Reformatio Iuſtitiae ad Comitia reiecta. IBID. Art. 8. §. 3. Et in Comitiis ſubſecutis multa ad Ordinem Iudiciarium ſpectantia definita ſunt, in R. I. de A. 1654.

IV. Alteram partem iurisdictionis, quae circa conſtitutionem iudiciorum, atque adminiſtrationem iuſtitiae verſatur, explicabimus infra, vbi de iudiciis Imperii agemus.

V. Nonnunquam Status Imperii, vbi grauari ſe in iudiciis exiſtimant, recurrunt ad Comitia.

tia 1). Vt tamen certus huic Recurſui modus detur, e re communi eſt imperii 2). Ex ipſa etiam iudiciaria poteſtate reſeruata eſt Comitiis notio, vbi de decernenda proſcriptione agitur 3).

1) Conf. MOSERI Betrachtung des Recurſus von den höchſten Reichs-Gerichten an den Reichs-Convent.
2) Conf. infra Lib. V. cap. 5. §. 16.
3) Vid. CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. 20.

VI.[a] Praeter legum curam Comitia quoque olim occupauit cura Politiae, quae verſatur circa negotia, non tam iure ſcripto, quam prudentia, et conſilio, ad felicitatem publicam, et vitae commoda, et decus morum attemperanda. Id teſtantur variae ordinationes politiae 1), in Comitiis confectae. In Pace quoque Veſtfalica cura haec ad Comitia reiecta 2); ſed deinde Statibus fere, in ſuo cuilibet territorio, relicta eſt 3).

1) Nouiſſima eſt de An. 1577. ſancita in Comitiis Francofurti ad Moenum. Vide illam im Reichs-Archiv P. Generali p. 412.
2) Vid. INSTR. Pacis Osnabrugenſe Art. 8. §. 3.
3) Iuuabit in hoc argumento expendere, quae Clariſſ. Auctor, verſionis Gallicae, Capitulationis Imp. Caroli VII. ad Articulum VII. commentatus eſt, p. 168. et quae cenſuit Dn. MOSERVS, ad eandem Capitulationem, Tom. III. p. 94.

VI.[b] Nonnulla tamen capita, quorum argumentum per vniuerſum Imperium extenditur, auctoritate comitiali definita ſunt *: e. g. de titulis, et inſignibus praeter fas vſurpatis: de inſpectione in libros: de tribubus opificum probe ordinandis, earumque abuſibus tollendis, etc.

 * Quid

* Quid ab An. 1666. in Comitiis circa politiam conſultatum, late recenſet Auctor Meditationum ad Inſtrumentum Pacis Caeſareo-Suecicae p. 1268. ſeq. Add. Mantiſſa III. ad Specimen VIII.

VI. [c] Commercia inprimis Imperii vniuerſi curam merito aduertunt 1), eiusque veſtigia in Capitulatione Imperiali, vbi prouidetur aſſerendae commerciorum libertati, et coërcendis monopoliis 2), vt apta nauibus flumina reddantur nauigabilia, vtque vectigalibus modus ponatur 3).

1) Conf. INSTRVM. Pacis Osnabrug. Art. 9. Quae in praeſentibus Comitiis eam in rem decreta ſunt, reperiuntur im Reichs-Archiv Parte Generali p. 506. ſeq.
2) CAPIT. IMPERIALIS Art. VII.
3) IBIDEM Art. VIII. 7. 8.

VII. Sed hoc loco duo tantum attingemus capita, quorum frequentiſſima in Iure Publico mentio: ſcilicet rem monetariam, et curſum publicum; (vulgo *Poſtas* vocant) quae duo non ad quaeſtum, et emolumenta fiſci, ſed ad ciuilis vitae commoda, et in ſpecie ad commercia iuvanda, introducta primitus fuerunt.

VIII. Quoad ius monetae notari debet (1) facultas, cudendi monetam, (2) norma, ſecundum quam cudi debet.

IX. Ius regale monetae olim ſolis Imperatoribus, Regibusue competiit, ſed ſucceſſu temporis, cum Principibus, et reliquis Statibus communicatum eſt 1), adeoque non tam ex ipſa ſuperioritate territoriali, quam ex priuilegio Imperatorum, aut certe longo vſu 2), vim habet.

1) Vid.

1) Vid. ILLVSTR. a BVNAV in Diſſ. de Iure circa rem monetariam in S. R. I.
2) Conf. locum ex CAPITVLATIONE infr. ad §. 27.

X. Neque amplius concedit Imperator priuilegium monetae cudendae, niſi praeuio Electorum conſenſu. Circuli etiam, in quo territorium, qui priuilegium petit, habet, conſilium, iudiciumque, ab Electoribus ante requirendum eſt.

XI. Norma, ſecundum quam moneta cudi debet, variis legibus Imperii, continetur. Pro fundamento eſt Edictum de A. MDLIX. Concernit autem tam bonitatem monetae intrinſecam, quam valorem externum. Quippe plurimum intereſt R. P. ne valor extrinſecus multum ſupra verum pretium adſcendat.

XII. Bonitas intrinſeca aeſtimatur ex portione metalli nobilioris et admixti aeris (Korn): nec non ex quantitate ponderis (Schrot). Haec metallorum proportio, et ponderis in moneta ratio, vocatur modus pecuniae (Fuß).

XIII. Modus itaque pecuniae, qualis per Germaniam obſeruari deberet, per edictum monetale de A. MDLIX. ita ordinatur, vt, quoad monetam auream, ex Marca conficiantur 72 floreni aurei, ac ſinguli contineant 18 Karath, (12 Loth) 6 grana. Valor extrinſecus ad 75. crucigeros tum determinatus fuit.

XIV. Ducati, ex Marca confici debent 67. et, quoad pretium intrinſecum, continere ſinguli 23 Karath, 8 grana. Valor extrinſecus definitus eſt 104 crucigeris.

XV. Ex Marca argenti vero cudi debent numi Imperiales nouem, et continere argenti puri 14 Loth, 4 Gran *.

* Imperatori tamen 4 grana remiſſa ſunt, vid. Europäiſcher Herold T. I. p. 957.

XVI. Sed non diu ſeruari potuit haec ratio: imprimis cum poſt annum vigeſimum Seculi XVII. aeruſcatorum fraudes Germaniam miſere afflixiſſent *. Atque ab eo tempore cum in Comitiis fruſtra conſultaretur, de reducenda ad veterem legem moneta, Circuli et Status Imperii vtcunque ſibi conſulere tentauerunt.

* De quo egi in Diſſert. de Iure circa rem monetariam in terris Circuli Saxonici ſuperioris Sect. II. §. 5. et ſeq.

XVII. In Circulo quidem Saxoniae ſuperioris inter Electorem Saxoniae, et Electorem Brandenburgicum, per legatos in monaſterio Zinnae An. MDCLXVI. conuenit, quotidiani vſus monetam cudere, eo valore, vt marca argenti in 10½ imperiales extenderetur: inde nomen der Zinniſche Fuß.

XVIII. Sed cum neque is teneri poſſet, Electores Saxoniae et Brandenburgi, atque e Saxonia inferiori, Duces Brunſuicenſes ac Luneburgenſes, Lipſiae A. MDCXC. nouam iniere rationem: ſcilicet vt ex Marca argenti cuderentur numi quatuor, octo, et ſedecim groſſorum, vsque ad valorem 12 imperialium. Inde haec monetae ratio dicitur der Leipziger Fuß.

XIX.

XIX. Anno demum MDCCXXXVIII, in Comitiis placuit, modum hunc pecuniae per vniverſum Imperium recipere. Propoſitum quoque rationem quaerere peraequandae monetae, tam in Imperio, quam cum vicinis: nec non definiendae proportionis inter monetam auream, et argenteam. Curam, haec omnia ad effectum deducendi, nuper S. Caeſarea Maieſtas reſumſit *.

* CAPITVLAT. IMPERIALIS, Art. IX. 4. Nachdem in denen Jähren 1737. und 1738. bey der allgemeinen Reichs-Verſammlung, wegen Herſtellung des Münz-Weſens, verſchiedenes gehandelt, und von vornächſtem Unſerm Vorfahren am Reich genehmet worden, theils noch zu erörtern ausgeſetzet iſt: Als ſollen und wollen Wir, ſo balden nach angetretener Unſerer Regierung, ernſtlich daran ſeyn, damit alles und iedes vollends gänzlich zu Stande gelange; mithin das noch zu berathſchlagen übrige, zu ſeinem Schluß beſtens beförderet, das bereits beſchloſſene aber einsweilen, mittelſt auszulaſſender Münz-Verordnungen und dazu gehöriger Valvations-Tabellen verkündet, auch allenthalben ohne Unterſcheid, und beſonders von denenjenigen, die ſich des Münz-Regalis bedienen, genaueſt befolget werde.

XX. Circa valorem extrinſecum conſideratur aeſtimatio (Werth und Wardirung), et character; quo et ſignum valoris extrinſeci indicatur, et velut fiducia eius continetur.

XXI. Aeſtimationis cauſa varie diuiſa eſt moneta, quo facilius comparari cum diuerſi pretii rebus poſſit. Vnde variae numorum ſpecies *, variusque computus. Argentum rude quondam pendebatur per marcas et libras: vnde et pecunia poſtea ſic computari coepit. Et in edicto qui-

quidem monetali Imperii marcam Colonienſem intelligi ex ſupra dictis patet.

* De his fuſe actum in Diſſ. De Iure circa Rem monetariam Sect. III.

XXII. Ipſius monetae antiquiſſimae ſpecies ſolidi, et denarii. Tum oboli, qui ab vrbe Hala in Sueuia, nomen Hallerorum (Heller) traxerunt. Diu quoque numis bracteatis quotidianae vitae neceſſitates paſſim ſuppleuerunt. Sed praeualuit numorum ſolidorum vſus, qui vt a bracteatis diſtinguerentur, *Groſſi* appellati ſunt: ac per ſexagenas computari ſolebant. Tandem et numi argentei maioris moduli, qui valore aureis reſponderent, ſignari coeperunt, et floreni (dicke Groſchen, gülden Groſchen) primum appellati ſunt, ſed mox in aliud nomen tranſiere. Nam cum initio Seculi XVI. in Bohemia, in Valle Ioachimica, (quae fodinae tum recens detectae) eiusmodi floreni argentei procuderentur, a nomine loci thaleri, ſiue Vallenſes dicti: et cum Schlickianae gentis teſſeram, ac S. Ioachimi imaginem praeferrent, modo Schlickiani, modo Ioachimici cognominati ſunt. A pondere vero Vncialium, et ab auctoritate Caeſaris et Imperii, quae poſtmodum acceſſit, Imperialium, appellationem traxere.

XXIII. Ex auro magnus olim fuit vſus numorum ab Imperatoribus Graecis cuſorum, qui Bizantini inde vocati ſunt. Inter aureos Imperatorum Germanicorum Auguſtales Friderici II.

*maxi-*

*maxime celebrantur.* Seculo etiam XIII. ſolidi aurei Florentinorum in Germania in vſu eſſe coeperunt. Qui, quod lilii florem, inſigne Vrbis, altera facie referrent, *floreni* vocari coeperunt. Cumque Status, ad Rhenum colentes, cupide hanc monetam imitati eſſent, Rhenani cognominati ſunt. Sed hodie frequentior ducatorum vſus eſt.

XXIV. Quantum vero ad caracterem attinet, decretum in edicto de An. MDLIX. vt moneta altera parte aquilam bicipitem, titulumque Imperatoris; altera Status, cuius auctoritate cuſa eſt, inſignia atque titulum referat. Verum id in moneta Statuum, ſaltem potentiorum, vſu non obtinuit, iique ſua imagine, ſuisque inſignibus vtuntur.

XXV. Legum monetalium cura circulis demandata eſt, eumque in finem ſtatutum, vt certae tantum officinae monetales in quolibet Circulo inſtruantur, extra quas monetam cudi fas non ſit, niſi iis Statibus, qui in territorio ſuo metallifodinas habeant.

XXVI. Porro, vt conuentus explorandae monetae cauſa, per Circulos ſtatis vicibus inſtituantur. Quod negotium Circuli Bauariae, Franconiae et Sueuiae *coniunctim exercere ſolent* 1). Curam autem reſtituendorum eiusmodi conuentuum, vbi forte intermiſſi ſunt, S. Caeſ. Maieſtas in nouiſſima Capitulatione ſuſcepit 2).

1) Vid. IOH. SCHEIDLINI Diſſ. de Conuentibus monetalibus, trium ſuperiorum correſpondentium Circulorum, Franconiae, Bauariae, et Sueuiae.

2) Art.

2) Art. IX. 5. Immaßen wir dann auch nachdrücklichſt darob ſeyn wollen, daß die Müntz-Probations-Täge, bey denenjenigen Crayſen, wo ſelbige zeithero ins Stecken gerathen, wieder in Gang gebracht, und ordentlich gehalten werden mögen, beſonders aber überhaupt darauf halten, daß nach Maasgab der älteren und jüngeren Reichs-Müntz-Ordnung, ausländiſche Müntz-Sorten in keinem höhern Werth, als nach dem Reichs-Satzungs-mäßigen Schrot und Korn, in denen Reichs-Landen, und im Handels-Lauff, geduldet werden.

XXVII. Grauis quoque animaduerſio decreta eſt in Status, qui Regali monetae abutuntur: priuatio eius et ſuſpenſio a loco, et ſuffragio in comitiis *.

* Capitvlatio Imperial. Art. IX. 7. et ſ. Auch wo Wir beſtändig befinden, daß diejenigen Stände, denen ſolches Regale und Priuilegium verliehen, daſſelbe dem Müntz-Edict, und andern zu deſſelben Verbeſſerung erfolgten Reichs-Conſtitutionen zugegen mißbrauchet, oder durch andere mißbrauchen laſſen, und ſich alſo ihrer Müntz-Gerechtigkeit ohne fernere Erkenntniß verluſtig gemacht, ihnen, wie auch denenjenigen, ſo ſolches *Regale* nicht rechtmäßig erhalten, oder ſonſten beſtändig hergebracht, daſſelbe nicht allein verbieten, und durch die Creyſſe wider ſie gebührend verfahren laſſen, ſondern auch einen ſolchen privirten Stand, auſſer einer allgemeinen Reichs-Verſammlung, und der Stände Bewilligung nicht reſtituiren. Wie Wir denn auch gegen diejenigen, ſo obgedachter maſſen das ihnen zukommende Müntz-Regale gegen die Reichs-Conſtitutiones mißbrauchet, oder durch andere mißbrauchen laſſen, nebſt der priuatione gedachten ihres Regalis, auch mit der Suſpenſione a ſeſſione et voto, (jedoch auf Art und Weiſe, wie in dem erſten Articul dieſer Capitulation enthalten) verfahren, und ſolchen ſuſpendirten Stand, gleichfalls anders nicht, als auf einem allgemeinen Reichs-Tag, nach gegebener Satisfaction, reſtituiren laſſen ſollen, und wollen.

XXVIII.

XXVIII. Curſus publici, ex quo per Germaniam ordinati fuerunt, illorum directionem Caeſar Familiae a Turri Taxia primum iure officii deinde etiam feudi ,. dedit.

XXIX. Ferdinandus II. autem in Aula, et in terris Domus ſuae hereditariis, Magiſtrum poſtarum hereditarium inſtituit Comitem de Par: quae procuratio ſub Carolo VI. ad iura fiſci, ſeu Camerae, reuocata eſt. Inde ſaepius inter praefecturam curſus publici, quae per Imperium exercetur, et nouam illam aulicam, ortae ſunt lites: Imperiali tamen in Capitulatione proſpicitur *.

* CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. XXVIIII. 4.

XXX. Plures ex Statibus Imperii potentioribus, ſuis auſpiciis, curſum publicum ordinarunt *. Alii, et ciuitates imprimis, veredarios ſuos retinuere. De quibus omnibus paſſim peculiariter transactum eſt. Atque innumera ſunt pacta, quae Status Imperii tam cum praefectura curſus publici Imperiali, quam inter ſemet mutuo, eam in rem inierunt, atque ex iis propriam formulam cuiuslibet iura accipiunt.

* Pro iure Poſtarum ſoli Imperatori et Imperio aſſere[illegible] militat HOERNICKE in Tr. de Regali Poſta[illegible] Iure. Pro Statuum libertate, adornandi curſus publicos ſcripta, recenſuit STRVVIVS in Bibliotheca Iuris cap. 14.

* * *

CAP.

## CAPVT III.

### DE
# BONIS PVBLICIS, SIVE DOMANIIS IMPERII, VBI ET DE AERARIO, DE COLLECTIS ET MATRICVLA.

*Domanii vocabulum vnde? Quae olim bona Imperii publica? 1. Item qui reditus? 2. Illorum diſſipatio quot modis facta? 3. De Iure vectigalium. 4. Tenues fiſci reliquiae. 5. Egeſtas publica. 6. Cautelae in poſterum: De recuperatione iniuſte ſubtractorum. 7. Imperatoris poteſtas circa alienationem reſtricta. Feuda Imperio reſeruantur. 8. Inopiam publicam ſupplent ſeruitia feudalia, et collectae. 9. Ad collectas Statuum Imperii conſenſus requiritur. 10. Vtrum vnanimis? ib. Collectae vel ordinariae, vel extraordinariae. 11. Modi conferendi: olim ſecundum communem denarium. 12. Tum ſecundum modum expeditionis Romanae. 13. 14. Vbi de matricula. 15. ſeq. Denique coepit modus amicae conuentionis. 19. Conferre regulariter tenentur omnes Status. Remedia aduerſus moroſos. 20. De Priuilegiis immunitatis. 21. Itemque tranſactionibus Statuum quorundam. 22. Status Imperii has pecunias a ſubditis ſuis exigunt. 23. De collationibus Nobilitatis immediatae. 24. De Contributionibus Statuum Italiae: vbi et de Papae, ad bella contra Turcas, ſubſidiis. 25.*

Olim ampliſſima Imperium habuit bona publica 1), quae vulgo nunc Domania 2) vocant. Illa conſiſtebant in terris, oppidis, villis, mineris, vineis 3), ſylvis etc. quae omnia regi per praefectos,

fectos, aduocatos, aliosque procuratores ſolebant.

1) Conf. SCHWEDERI Diſſ. de Domanio Imperii.

2) Accepta vox ex Iure Gallicano, interque auctores, qui eam iuris partem attigerunt, RENATI CHOPPINI Liber de Domanio Franciae inſignis eſt. Sed principia Iure conſultorum Gallicorum de Domanio non aeque locum habere poſſunt in Iure Germanico.

3) Sic et vini portiones ab Imperatoribus olim in feudum conceſſas legimus. E. g. Philippus, Romanorum Rex, dedit Duci Lotharingiae inferioris *carretas* aliquot vini in feudum.

II. Eo etiam ſpectabant certi reditus, tributa prouinciarum, vrbium cenſus, vectigalia, mulctarum compendia, et alia, quae nomine Regalium, paſſim apud veteres memorantur*.

* Quae in Italia quondam fuerint bona, et reditus publici, docet RADEVICVS, vbi res Friderici I. inſtaurantis priſca regni Iura, deſcribit L. II. c. 5. *Deinde ſuper iuſtitia regni, et de regalibus, quae longo iam tempore, ſeu temeritate peruadentium, ſeu neglectu Regum, Imperio deperierant, ſtudioſe diſſerens, cum nullam poſſent invenire defenſionem excuſationis, tam Epiſcopi, quam primates, et ciuitates, vno ore, vno aſſenſu, in manum Principis regalia reddidere, primique reſignantium Mediolanenſes extitere. Requiſitique de hoc ipſo iure quid eſſet, adiudicauerunt Ducatus, Marchias, Comitatus, Conſulatus, Monetas, Telonia, Fodrum, Vectigalia, Portus, Pedatica, Molendina, Piſcarias, Portus, omnemque vtilitatem de decurſu fluminum prouenientem: nec de terra tantum, verum etiam de ſuis propriis capitibus cenſus annui redditionem. Hisque omnibus in fiſcum adnumeratis, tanta circa priſtinos poſſeſſores vſus eſt liberalitate, vt quicun-*

*que donatione Regum aliquid horum ſe poſſidere, inſtrumentis legitimis, edocere poterat, is etiam nunc imperiali beneficio, et regni nomine, id ipſum perpetuo poſſideret: Ex his tamen, qui nullo iure, ſed ſola praeſumtione, de regalibus ſe intromiſerant, XXX. millia talentorum, plus minusue, reditibus publicis, per ſingulos annos, acceſſerit.*

III. Terrae fiſcales autem Imperii, aeque ac reditus, in manus poteſtatemque Statuum dudum peruenerunt: variis quidem modis, praecipue per conceſſionem in feudum, per fundationes, et donationes pias, per oppignorationem 1), aut longam denique, et ſaepius agnitam, confirmatamque poſſeſſionem. Neque talia vindicare 2) amplius fas eſt. 3).

1) Io. STRAVCHIVS de Oppignorationibus rerum Imperii.
2) Olim Imperatores quandoque de reducendis bonis atque reditibus Imperii cogitaſſe, exemplo Henrici V. Rudolphi Habsburgici, et Alberti I. conſtat.
3) De rebus ab imperio oppignoratis, non reluendis, in ſpecie diſponitur in Capitulatione. Art. X, 4.

IV. In ſpecie de vectigalibus notandum, ea hodie fere ad dominos territoriorum ſpectare: Ius autem, vectigalia inſtituendi, augendiue, ab Imperatoris conceſſione proficiſci. Neque illud concedit Imperator amplius, niſi conſenſu Collegii Electoralis: auditisque prius Statibus illius Circuli, in quo territorium petentis ſitum eſt *.

* Conf. de toto hoc argumento Dni. de HOPFGARTEN Diſſ. de Iure Vectigalium in S. R. Imperio.

V. Quae vero Imperatori adhuc ſuperſunt ex Steuris ciuitatum, quaeque alia fiſci imperialis

emo-

emolumenta *, tam exilia ſunt, vt vix in computum veniant. Cancellaria modo laudemia ſua, et ſportulas ſuas ſeruauit.

* E. g. aurum coronarium; cenſus Iudaeorum etc.

VI. Itaque nulla re magis laborat Reſpublica, quam hac egeſtate: de qua ſubleuanda iam dudum fruſtra conſultatum eſt. *

* Conf. TEXTOR de Ratione Status Imperii, cap. 16.

VII. De futuro tamen in nonnullis capitibus proſpectum. Ita promittit Imperator, non alienaturum ſe iura et bona Imperii, ſed amiſſa potius (quantum per leges Imperii et pacta licuerit) recuperaturum *.

* CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. X. 1. et ſeq. Sollen und wollen dem H. Römiſchen Reich, und deſſen Zugehörungen, in= und auſſerhalb Teutſchlandes, nicht allein ohne Wiſſen, Willen und Zulaſſen der Churfürſten, Fürſten, und Stände ſämtlich, nichts hingeben, verſchreiben, verpfänden, verſetzen, noch in andre weg veräuſſern oder beſchweren, ſondern uns auch alles deſſen, was etwan zu Exemtion und Abreißung vom Reich Urſach geben könte, inſonderheit der exorbitirenden Privilegien und Immunitäten, enthalten; vielmehr aber Uns aufs höchſte bearbeiten, und allen möglichſten Fleiß und Ernſt anwenden, dasjenige, ſo davon kommen, als verpfändete, und verfallene Fürſtenthümer, Herrſchaften und Lande, auch conſiſcirte, und ohnconfiſcirte merkliche Güter, die zum Theil in anderer fremden Nationen Händen ungebührlicher Weiſe erwachſen, zum förderlichſten wiederum darzu zu bringen, und zuzueignen.

VIII. Praeterea diſpoſitum, vt, cum in poſterum feuda ad Imperium reciderint, ea ad vſus eius ſeruentur, neque expectatiua detur, niſi requiſito Electorum, et pro qualitate feudi, Principum, et reliquorum ſtatuum conſenſu *.

* Ibidem Art. XI. 10. Wann auch ins künftige Lehen dem Reich, durch Todesfälle, oder Verwürckung, eröffnet, und lediglich heimfallen werden, ſo etwas merckliches ertragen, als Churfürſtenthümer, Fürſtenthümer, Grafſchaft-Herrſchaften, Städte und dergleichen, die ſollen und wollen Wir die Churfürſtenthümer ohne des Churfürſtlichen Collegii, die Fürſtenthümer, Graf und Herrſchaften, Städte und dergleichen aber, ohne der Churfürſtlicher, Fürſtlicher, auch (wenn es nehmlich eine Reichsſtadt betreffen thut) Städtiſcher Collegiorum Vorwiſſen, und Conſens, ferner niemanden leihen, auch niemanden einige Expectanz oder Anwartung darauf geben; ſondern zu Unterhaltung des Reichs, Unſer, und Unſerer nachkommender König, und Kaiſer behalten, einziehen, und incorporiren.

IX. Illum bonorum, et redituum publicorum defectum, vtcunque ſupplent Collectae Statuum, et ſeruitia feudalia, quae Imperio debent.

X. Collectae eiusmodi, prouti conuenit in Pace Veſtfalica, non poſſunt exigi ſine conſenſu Statuum 1), idque etiam in ſequentibus Capitulationibus firmatum eſt 2). Controuerſia autem, vtrum in decernendis illis vnanimia ſuffragia requirantur, an maiora numero ſufficiant, nondum decidi potuit.

1) Vid. Instrum. Pacis Osnabrugenſe Art. 8. §. 2.

2) Vid. Capitvlatio Imp. Caroli VII. Art. V. Wir ſollen und wollen auch = = die Steuren, und dergleichen An- und Auflagen, es ſeye zu Kriegs- oder Friedens-Zeiten, anders nicht, als mit Rath, Wiſſen und Verwilligung der Churfürſten, Fürſten und Stände auf allgemeinen Reichstägen, anſetzen, dieſelbige in den gewöhnlichen Leg-Städten, durch die von denen Creyſſen dahin verordnete Bediente empfangen laſſen, und daran ſeyn, damit

damit der Rückſtand von denen vorhin bewilligten Reichs-Steuern eingetrieben, und von denen Reichs-Pfennig-Meiſtern, denen ſolchenfalls die Erhebung und Zuſammenbringung derer in denen Leg-Städten eingegangenen Gelder, denen Reichs-Geſetzen und Verfaſſungen gemäß, ohne Eintrag zu überlaſſen, jedesmahl dem Reich, oder wen daſſelbe, bey der Verwilligung, zur Aufnahm ſolcher Rechnungen verordnen wird, auf dem ſo dann fürwährenden, oder da ſelbiger Zeit keiner wäre, dem nächſt darauf folgenden Reichstag, wenn es nicht Anlagen betrifft, welche zu eines Römiſchen Kaiſers freyer Diſpoſition verwilliget worden, richtige Rechnung gethan werde, auch die von denen Reichs-Ständen eingewilligte Steuern und Hülffen zu keinem anderen Ende, als darzü ſie gewilliget worden, anwenden.

XI. Collectae a ſcriptoribus Iuris publici dividuntur in ordinarias, et extraordinarias. Illae ſunt, quae quotannis, ad ſuſtentationem Iudicii Cameralis, ſolui debent. (die Cammer-Zieler). Extraordinariae quae ad quascunque alias Imperii neceſſitates decernuntur.

XII. Modus collectandi olim inſtitui ſolebat, ad bonorum, quae quilibet poſſideret, proportionem. Quam cenſus ſpeciem, per ſe ſatis aequam, vocauere *communis denarii.*

XIII. Deinde collationes redigi coeperunt ad modum expeditionis Romanae 1). Cum enim ex matricula conſtet, quot quisque Status equites peditesque ſiſtant, iam loco militum pecunia exigitur, et pro equite 12; pro pedite 4 floreni, in ſtipendium menſtruum 2) computantur.

1) Conf. ERICVS MAVRITIVS in Diſſ. de Matricula §. 24. ſeq.

2) Inde nomen ein Simplum, ein Römer-Monath.

XIV. Huius itaque calculi ratio habetur, vbi pecunia publico Imperii nomine corrogari debet, atque interdum quinquagena, immo centena, et ducena ſtipendia decreta legimus.

XV. Qui cogendi pecuniam modus cum nitatur matricula Imperii, de ipſa iam adeo pauca hic adiicienda ſunt. Scilicet matricula haec eſt: *Deſignatio Statuum Imperii, et quantum quisque eorum ad vſus communes contribuat, publica auctoritate facta* *.

* Conf. ER. MAVRITIVS loc. cit. §. 31. ſeq.

XVI. Fundamenti loco ſeruit matricula A. MDXXI. in Comitiis Vormatienſibus confecta *.

* Extat vetuſtior, An. 1431. Noribergae, in frequentiſſimis Comitiis facta, ad expeditionem contra Huſſitas inſtruendam. Ab eo tempore et aliae plures confectae ſunt, ſed temporariae: prout in Conuentibus Imperii, languentibus Ordinum ſtudiis, feruentibusue, modo tenuia, modo ampliora auxilia promitterentur.

XVII. Matricula autem illa plurimis querelis obnoxia 1), per inſecutam moderationem ſaepiſſime immutata fuit 2).

1) De quibus conf. MAVRITIVS loc. cit. §. 41. ſeq.

2) Matriculam, qualis A. 1698. fuit, vide im Reichs-Archiv P. General. p. 772. Quaecunque vlterius ab A. 1698. vsque ad A. 1710. per nouam moderationem immutata fuerunt, exhibentur IBIDEM p. 785. add. STEINII Diſſ. de matricula Imperii nouiſſima.

XVIII. Ideoque diu conſultatum fuit de ea re-

rectius adornanda 1): quod negotium in Pace Veſtfalica reiectum ad Comitia. In Capitulatione nouiſſima adhuc commendatur cura moderationis, et peraequationis matriculae. 2)

1) Quae in durantibus Comitiis ea de re conſultata fuerint, vid. im Reichs-Archiv P. G. p. 786.

2) Art. V. 10. Confer. Gedancken von Verfertigung eines Reichs-Interims-oder Uſual-Matricul; in Dn. MOSERI Commentariis ad Capitulationem Imp. Caroli VII. Tomo III. p. 81.

XIX. Hinc coepit in Comitiis nouus modus, ſcilicet *amicae conuentionis cum Statibus*: et ſumma in Comitiis decreta per Circulos diſtribuitur: atque adſignata portio in quolibet Circulo a Statibus eiusdem exigitur.

XX. Regulariter omnes Imperii Status ad collationes haſce tenentur. Aduerſus moroſos decretae quidem acres in Ordinatione Executionis animaduerſiones, ſed quae difficile executioni dari poſſunt.

XXI. Nonnulli Status priuilegio immunes ſunt a collectis: qualia tamen impoſterum non amplius conceſſurum ſe pollicetur Imperator *.

* CAPITVLATIO nouiſſ. Art. V. 6. et ſeq.

XXII. Alii peculiari transactione de modo tributorum, ad certam ſummam, conuenerunt, vti quondam Dux Lotharingiae, in pacto Noribergenſi A. MDXLII. Similiter de contributione terrarum Circuli Burgundici transegit Carolus V. in Comitiis Auguſtanis, A. MDXLVIII.

XXIII. Olim Status collectas haſce ex ſuis domaniis praeſtiterunt. Poſtmodum iis conceſſum, vt partem a ſubditis exigerent: ac omne denique in hos onus paſſim deuolutum.

XXIV. Ordo equeſtris immediatus peculiari conuentione cum Imperatore de contributionibus, quas ſubſidium charitatiuum vocant, paciſci ſolet *.

* Conf. Cl. KOELERI Diſſ. *de Ortu et Progreſſu ſubſidii charitatiui, Imperatori ab Ordine Equeſtri praeſtiti.* De eo Infra Lib. VII. cap. 2. §. 42.

XXV. Ab Italiae Statibus tempore belli, exiguntur contributiones *. In ſpecie ſi bellum aduerſus Turcas geratur, eo iuſtius a Papa ſubſidium expectat Imperator, cum annatae eum in finem introductae ſint, vt theſaurus aduerſus infideles colligeretur.

* Vid. BOEHMERI Differt. de Subſidiis pecuniariis Statuum Italiae.

CAP.

# CAPVT IV.

# DE IVRE BELLI, PACIS, FOEDERVM, ET LEGATIONVM INTVITV TOTIVS IMPERII.

*Iura Maieſtatis tranſeuntia. 1. Definitur bellum Imperii ſollenne. 2. Quomodo Statuum conſenſus requiratur: vbi de bello offenſiuo et defenſiuo. 3. 4.*
*De iis, quae ad bellum inſtruendum pertinent, vbi de indictione, etc. 5.*
*Ad Imperii exercitum, quae pertineant? 6. Vbi de Duce. 7. ſeq. De reliquis Praefectis. 9. Et conſilio bellico. 10. Modus conſcribendi exercitum. 11. ſeq.*
*De commeatu, armis, aerario militari. 14.*
*Ad exercitum Imperii omnes Status debitas copias mittere tenentur. 15.*
*De Sacramento exercitus, diſciplina, et iurisdictione militari. 16.*
*Conſultationes de milite perpetuo alendo, in Imperio. 17.*
*De iis, quae in bello gerendo occurrunt. Directio bellica. 18.*
*De Hoſpitationibus, Tranſitu etc. 19. De Fortalitiis. 20.*
*Ius Pacis Statibus communicatum 21. Vt concurrant declaratur exemplis Pacis Neomagenſis, Ryſuicenſis, Badenſis. 22.*
*Ius foederum in Imperio, quot modis conſideretur? 23. Foedera vniuerſi Imperii nomine vti ineunda? 24. Difficultas foederis cum vniuerſo Imperio ineundi. 25. Quid vſu obtineat exemplis declaratur. 26.*
*Ius foederum, quod Imperatori, etiam citra concurſum Ordinum competit, explicatur. 27.*
*Ius legationum. 28. Id verſatur, tam circa mittendos legatos: 29. Vbi de iure adlegandi Statuum. 30. Quam circa Legatos recipiendos. 31.*

Ad iura Maieſtatis tranſeuntia pertinent iura belli, pacis, foederum, et legationum, quatenus totius Imperii nomine exercentur.

II. Bellum ſollenne Imperii definitur, quod ſit *publica armorum contentio*, *contra gentes exteras*, *aut Statum etiam Imperii aliquem*, *communi Caeſaris et Statuum auctoritate*, *ſuſcepta.*

III. Olim quidem liberior Imperatorum circa bellum poteſtas. Decerni tamen in Curia ſolebant. Sed Statuum auctoritas eo inualuit 1), vt conſenſus tandem illorum requireretur. Duo tamen diſtinguendi ſunt caſus. Ad bellum offenſiuum 2) neceſſario requiritur conſenſus Statuum, aut ſaltem, ſi periculum in mora ſit 3), Electorum.

1) Qua ratione Imperatorum poteſtas hac in parte magis, magisque limitata, et ius belli cum Statibus communicatum, fuſius explicitum vide in Diſſ. de Bello Imperii ſollenni Sect. I. §. 4. 5.

2) Caracter belli offenſiui eſt inuaſio: isque cenſetur bellum offenſiuum gerere, qui prior arma infert, etiamſi alter iniuriam prior intulerit. Conf. PVFFENDORFIVS de Iure Nat. et Gent. VIII. 6. 3. Solent autem bella plerumque fauorabili defenſionis titulo inuolui. Vtrinque ſpecioſe cauſa inſtruitur. Vtrinque exercitus, pari velut paſſu, incedunt, vt anceps ſit iudicatu, vnde bellum coeperit.

3) CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. IV. 2. Wir ſollen und wollen auch Uns in Zeit unſerer Regierung gegen die benachbarte Chriſtliche Gewälte friedlich halten, ihnen allerſeits zu Widerwärtigkeit gegen das Reich keine Urſach geben, weniger das Reich in fremde Kriege impliciren, ſondern uns aller Aſſiſtenz, daraus dem Reich Schaden und Gefahr entſtehet, gänzlich enthalten, auch kein Gezänk, Fehde, noch Krieg in- und auſſerhalb des Reichs, von deſſelben wegen, unter keinerley Vorwand, wie der auch ſeye, anfangen: oder Bündniß mit ihnen machen, es geſchehe denn ſolches mit der Churfürſten, Fürſten und Stände Conſens auf offenem Reichstag, oder zum wenigſten der ſämmtlichen Churfürſten Vorwiſſen,

Rath und Einwilligung, in eilenden Fällen, wo hiernächſt gleichwohl, und ſobalden, mit geſamtem Reiche die Gebühr zu beobachten.

IV. In bello defenſiuo aliquantum liberior Imperatoris poteſtas. Namque illum, ſi bello Imperium petitur, ſtatim pro eius defenſione omnem opem adhibere fas eſt *.

* Vid. CAPITVLATIO Art. IV. 5.

V. Quae legibus publicis de ſollenni bello Imperii conſtituta, aut introducta moribus, ſunt, vel pertinent ad apparatum ſuſcipiendi, vel ad ipſam gerendi rationem. Ad prius caput referas indictionem belli, Legatorum hoſtis eliminationem, mandata auocatoria, commerciorum cum hoſte prohibitionem * etc.

* Quam tamen ſunt, qui ſuadeant, ad merces tantum, quarum in bello vſus eſt, reſtringi.

VI. Circa exercitum quae conſideranda occurrunt, partim Ducem, et reliquos praefectos, tum milites ipſos concernunt; partim arma, commeatum, et reliqua omnia, quibus opus habet ad ſui ſuſtentationem, ac obeunda militiae munia.

VII. Olim Imperatores ipſi, Regesque Romanorum, exercitus duxere, vti vel Maximiliani I. et Caroli V. exempla ſatis probant. Recentiori aeuo id rarius contigit. Quanquam et Maximilianus II. in expeditione aduerſus Turcam, Ferdinandus III. tricennali bello, in caſtra ſe contulerunt, et D. Ioſepho, Regi iam Romanorum, ſub

ſub certis conditionibus, auſpicia in exercitu permiſſa 1). Iam dudum inualuit vſus, vt Dux exercitus ex Caeſaris, Statuumque iudicio legatur, etiamſi Imperator ipſe in Caſtris verſetur 2).

1) Vid. Europäiſcher Herold P. I. p. 940.

2) Vid. Diſſ. de bello Imperii ſollenni §. 17. Exemplum contigit Friderici III. aeuo, in expeditione aduerſus Burgundum, cum dux exercitus conſtitutus Marchio Brandenburgicus, quamuis Imperator ipſe in caſtris eſſet.

VIII. Recentiori aeuo duo coeperunt Duces legi, alter ex Catholicis, alter ex Euangelicis. Et ab hiſce deſideratum, vt par vtriusque poteſtas eſſet, et per vices exercitum regerent. In vltimo bello quatuor Principibus is honos habitus.

IX. Poſt illos ſunt ſummus equitum praefectus (General über die Cavallerie), Rei tormentariae praefectus (General-Feld-Zeugmeiſter), et Ducum Imperii Legati (Reichs-Feld-Marſchall-Lieutenants).

X. Praeterea formari debet Conſilium bellicum, et Conſiliarii, pari ex vtraque religione numero, in Imperatoris aeque ac Imperii fidem iureiurando adſtringi *. Quale tamen hactenus reipſa adornari nondum potuit.

* CAPITVLATIO nouiſſ. Art. IV. 3.

XI. In ſcribendo exercitu ingens diſcrimen deprehendimus noſtri temporis, ab antiquo more quo fere ſola feudali diſciplina ſtabat omnis militiae

militiae ratio 1). Sub Friderico III. et Maximiliano inualuerat modus expeditum agmen cogendi, quod die eilende Hülfe vocabatur, quo tamdiu ſuſtineretur vis belli, donec maiores copiae praeſto eſſent. Quando vero copiae omnes aderant, per varia agmina, ſub ſignis quaeque ſuis 2), diuidebantur. Erant etiam ipſius Imperii vexilla, penes quae veluti auſpicia vniuerſi exercitus eſſent. De iis, etiamſi vſus in bello diu ceſſet, acriter certatum eſt, cum fine ſeculi praeteriti de inſtituendo Archi-Vexilliferi titulo ageretur.

1) Olim Imperatores Germanici non ſemper euocabant omnes vaſallos, ſed ex iis ſaltem populis, qui vicini eſſent hoſtibus. Vaſallos ipſos adeſſe oportebat, cum definito clientum, militumque ſuorum numero, aut alium mittere, dimidiamue reditus annui partem ſoluere. Edictum illud Heribannum vocabatur. Succeſſu temporis obtinuit, vt in Comitiis de parando exercitu ageretur: eundemque in finem conſignatum in matricula, quid praeſtare Status quisque deberet.

2) De antiquo Vexillorum apud Germanos vſu confer. ſupr. Lib. III. cap. 4. §. 27.

XII. Ex quo diuiſio Imperii per Circulos obtinuit, factum quoque, vt cuiuslibet Circuli ordines copias ſuas coniungerent. Secuti ſunt matriculam de A. MDXXI. licet illa, vtpote ad vſum decretae tum expeditionis Romanae ſolummodo deſtinata, male proportionem ſeruaret, atque indies adeſſent, qui remitti aliquid de praeſtatione ſua peterent.

XIII.

XIII. Quod ergo ob hoſce defectus non poſſet inſiſti matriculae, An. MDCLXXXI. conuenit de nouo modo conſcribendi exercitum. Cumque XL. millia armatorum ſiſtere viſum eſſet, aſſignarunt cuilibet Circulo in genere ſummam militum, quos ipſe ad communem exercitum mittere teneretur, cuius diſtributionis rationem ſubiecta tabella monſtrat 1). Eandem proportionem poſtea ſeruarunt Status, quemcunque numerum ſtatuerent: et in bello quidem, quod propter ſucceſſionem Hiſpanicam geſtum eſt, in triplum aliquando auctus fuit, decretis CXX. militum millibus 2).

1) Vid. FABRI Staats-Cantzelley T. X. p. 334.

| | zu Pferd. | zu Fuß. |
|---|---|---|
| Chur-Rheiniſche | 600 | 2707 |
| Ober Sächſiſche | 1321 | 2707 |
| Ober-Oeſterreichiſche | 2521 | 5507 |
| Burgundiſche | 1321 | 2707 |
| Fränkiſche | 980 | 1901 |
| Bayern | 800 | 1493 |
| Schwäbiſche | 1321 | 2707 |
| Ober-Rheiniſche | 491 | 2853 |
| Weſtphäliſche | 1321 | 2707 |
| Nieder-Sächſiſche | 1321 | 2707 |
| | 11997 | 27996 |

Totam hanc conſultationem egregie explicat DN. KOPPIVS in Tr. *de Aſſociatione Circulorum* P. II. §. 3. et ſeq.

2) Sed vſu ipſo quid obtinuerit, docebit Relatio apud Dn. KOPPIVM l. c. in Append. p. 101. ſub tit. Nachricht von derer Aſſociirten Creyſſen Armatur, und deren Eintheilung.

XIV. Singuli etiam Circulij copiis ſuis proſpiciunt de commeatu, veſtibus, et armis, qua optime

optime ratione poſſunt 1). Demum et commune aerarium militare inſtruere vltimis temporibus ipſa neceſſitas docuit 2).

1) Vid. Diſſ. de Bello ſollenni Imperii Sect. I. §. 31. 32.
2) IBIDEM §. 33.

XV. Equidem Status omnes militem ſubmittere debent, niſi exemti ſint, aut legitime excuſati. Neque licet, decreto Imperii bello, medium inter partes ſtare, neutras ſequi. Sed iam dudum experientia docuit, valde obeſſe Germanorum armis, quod tam ſegniter conueniunt: quodque potentiores, ac remotiores a periculo Status, reliquorum Ciuium calamitates facile negligunt. Quantumuis fortia et ſalutaria in Comitiis ſaepe decreta fuerint, euentum tamen, parem antiquae gloriae et fortunae militari, non habuere *.

* Vid. Diſſ. de Bello Imperii ſollenni Sect. I. §. 28. et 29.

XVI. Caeterum exercitus ille vniuerſus Imperatori atque Imperio Sacramentum dicit. Ab eadem quoque auctoritate diſciplinae militaris, tam neceſſariae in exercitu, vis manat, et ſub principatu Maximiliani II. Spirae in Comitiis ſcriptae ſunt leges, quibus Iurisdictio militaris nititur *.

* Leges haſce militares vid. in Dn. LVNIGII Corpore Iuris Militaris.

XVII. Saepe quondam deliberatum fuit de perpetuo milite alendo, quo publica ſecuritas et domi

domi aſſeri, et ab externa vi defendi poſſet. Ea res tandem ſponte ſua ſuccedere viſa eſt, ex quo Germania diuturnis bellis implicita, non modo Imperatores, verum et Circuli aliquot, et Status potentiores, arma in promtu retinuere *.

* Vid. Diſſ. de Bello Imperii Sect. I. §. 26.

XVIII. Gerendi autem belli ratio, a Caeſaris quidem et Ordinum arbitrio penderet. Sed cum hi in partem curae venire commode non poſſint, Conſilium bellicum inſtitui debere viſum eſt. Nonnulla tamen lege perpetua cauentur: e. g. ne exercitus, pro defenſione Germaniae conſcriptus, ſine Electorum et Statuum conſenſu extra fines eius ducatur *.

* Capitvlat. Imperial. Art. IV. 8.

XIX. Itemque, ne hoſpitationes, ſine Ordinum conſenſu, in illorum territoriis inſtituantur: vtque tranſitus non ſine requiſitione fiat, ſitque innoxius *. Sed ſaepe leges inter armorum ſtrepitus audiri non poſſunt.

* Varia in hanc rem ſpecialius definita in Capitvlatione l. c. §. 9. 15. 16.

XX. Fortalitia ſine conſenſu Status, cuius eſt territorium, neque noua exſtrui, neque vetera et collapſa inſtaurari poſſunt *. Imperii fortalitia ſunt Philipsburgum, et Kehla, ſed tam negligenter ſeruantur, vt facile appareat, non

non optime conſuli munimentis Germaniae, ſi illorum cura ad vniuerſum Imperium ſpectet.

* IBID. §. 6.

XXI. Vt, quando de Pace agitur, Status quoque ad eam concurrant, et analogum eſt communioni iuris belli, et in pace Veſtfalica diſertis verbis ſancitur *.

* INSTRVM. Pacis Oſnabrugenſe Art. 8. §. 2.

XXII. Idque ius variis modis, prouti conuenire viſum eſt temporum momentis, exercuerunt *. In Pacificatione Neomagenſi iniunctum Caeſaris Legatis, vt cum Comitiis communicarent conſilia. Ad conuentum Ryſuicenſem, ipſi delecti ex Statibus Legatos miſere. In Badenſi Pacificatione, nec non in Viennenſi, de Anno MDCCXXXVIII. Imperatori facta ab Ordinibus poteſtas, communi ſuo, et totius Imperii, nomine agendi.

* Ipſos hos diuerſos tractandi modos reſpicit CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. IV. II.

XXIII. Iuris foederum in Imperio, pro ipſa foederum diuerſitate, diuerſa eſt conſideratio. Alia totius Imperii nomine contrahuntur, et obligationem ad omnia eius membra diffundunt. Alia Imperator ſuo tantum nomine, cum exteris, Statibusue Imperii, init. Alia denique a Statibus Imperii ſanciuntur.

XXIV. Primi generis foedera, praeter Imperatoris auctoritatem, Ordinum quoque conſen-

 ſum

ſum requirunt. Vbi autem ſalus publica moram non patitur, voluntas Collegii Electoralis ſufficit: ſaltem donec reliquorum Imperii Ordinum ſententiae audiri in Comitiis poſſint *.

* Vid. CAPITVLATIO nouiſſ. Art. VI. Wir wollen und ſollen auch vor uns ſelbſt, als erwählter Römiſcher Kaiſer, in des Reichs Händeln keine Bündniſſe oder Einigung, mit andern, inn= oder außerhalb des Reichs machen, Wir haben denn vorhero der Churfürſten, Fürſten und Stände Bewilligung auf einem Reichstage hierzu erlangt. Da aber publica ſalus, et vtilitas, eine mehrere Beſchleunigung erforderte, da ſollen und wollen Wir aller Churfürſten ſämmtliche Einwilligung, zu gelegener Zeit und Mahlſtatt, und zwar auf einer Collegial=Zuſammenkunft, und nicht durch abſonderliche Erklärungen, bis man zu einer gemeinen Reichs=Berathſchlagung kommen kann, wie ſonſten in allen andern, des Reichs Sicherheit, und Statum publicum concernirenden Sachen, alſo auch vornehmlich in dieſer, zuvor erlangen.

XXV. Hinc facile patet, raro foedus iniri poſſe in Comitiis, cum Statibus, qui tam diuerſis ſtudiis, conſiliisque feruntur: dum foederum vis plerumque in celeritate et arcano conſiſtit. Habemus tamen ita initi foederis exemplum ſub D. Leopoldo. Is pactionem, quam ipſe cum Sabaudiae Duce inierat, Comitiis per ſolenne decretum obtulit, et Status comuni placito * illi acceſſerunt.

* Vid. Acta im Reichs=Archiv P. Gen. Contin. II. Hinc et Imperator poſtea Status, ex hoc foedere, ad ferenda auxilia excitauit.

XXVI. Plerumque alia ratio initur, quoties vniuerſi Imperii vires, ad belli ſocietatem, deuincien-

ciendae ſunt. Vbi enim Imperator vel ſolus, vel vna cum exteris, foederibus ſingularibus potentiorum Electorum, integrorumue Circulorum voluntatem conciliauit, facilius deinde in Comitiis conſultatio de bello, communibus auſpiciis gerendo, procedit. Cuius rei clariſſima documenta in hiſtoria bellorum, quae poſt Veſtfalicam pacem, inter Imperium et Regem Galliae geſta fuerunt, reperiuntur.

XXVII. Integrum autem eſt Caeſari 1) ius foederis ſingularis, quod, ſi cum foedere, Imperii nomine inito, compares, perſonale appellare poſſis. Id ius Imperatores Auſtriaci eo validius exercuerunt, ex quo praeter ampliſſimos Ducatus, Bohemiae regnum, et extra Germaniae fines, Vngariam quoque, tenebant. Quorum regnorum ſolis titulis interdum in foederibus vſi ſunt 2).

1) Quod vero temperamentum et hic obſeruet Imperator, ita declaratur in CAPITVLATIONE nouiſſ. Art. VI. 3. Wenn Wir auch ins künftige, unſerer eigenen Landen halber, einige Bündniß machen würden, ſo ſoll ſolches anderergeſtalt nicht geſchehen, als unbeſchädigt des Reichs, und nach Inhalt des Inſtrumenti Pacis.

2) Ita Leopoldus A. 1683. cum Rege Poloniae foedus offenſiuum aduerſus Turcas, tanquam Rex Vngariae et Bohemiae, iniit. Vid. PVFENDORFIVS de rebus Friderici Wilhelmi. L. XVIII. §. 86.

XXVIII. Ius quoque legationum, quale eſt intuitu vniuerſi Imperii, diuerſimode conſideratur, tam circa mittendos, quam circa recipi-

endos Legatos, et prouti in Imperio ipſo inter Imperatorem, et Status, aut prouti obtinet erga exteros. Olim quidem ſolebant legationes, Imperatoris et Imperii nomine, in Comitiis decerni.

XXIX. Sed iam dudum Imperatores ſuo nomine Legatos mittunt. Mandata ipſa in Cancellaria Imperii adornantur.

XXX. Cum vero de cauſa agitur, quae conſenſum quoque Statuum requirit, integrum illis eſt, ſuo quoque nomine legatos mittere, (*ius adlegandi vocant* 1), vti factum in Pacificatione Ryſuicenſi 2). Sed plerumque Legatos ſeorſim mittunt.

1) Vid. Dn. LVDWIGII Diſſ. de Iure adlegandi Statuum Imperii.
2) Conf. CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. IV. 11.

XXXI. Exteri quoque Principes Legationes ſuas ad Aulam Imperialem deſtinant. Imperator autem, prouti indoles rei poſtulat, cum Statibus, aut ſaltem Electoribus, conſilia communicat.

XXXII. Nec minus Exteri, legatos quoque ad Comitia, et alios Statuum conuentus, mittunt *.

* De auctoritate Imperatoris circa Legatos, ad Comitia miſſos, aliquoties diſputatum, et inprimis An. 1727. occaſione Legati Anglici. De quo vid. die Reichs Fama P. I. p. 48. et Dn. TREVERI Diſſ. de Iure Statuum Imperii circa Legatos exteros in Comitiis.

CAP.

## CAP. V.

# DE COMITIIS IMPERII.

*Cauſae quae ad Comitia pertinent. 1. Diuerſa hodie Comitiorum ab antiquis ratio. 2. 3. Vbi et de priſcis Italiae Comitiis. 4. Quae circa conſtitutionem Comitiorum notanda? 5. Locus. 6. Tempus. 7. Conuocatio. 8. 9. De Commiſſario Imperiali. 10. De Concommiſſario. 11. De Statuum Legatis 12. Eorumque legitimatione. 13. Hoſpitiorum et rei annonariae cura. 14. Notanda circa modum tractandi. Vbi de propoſitione. 15. et dictatura. 16. De directione Moguntini. 17. Cui abſente illo vel impedito competat? 18. Conſultatio per III. Collegia. 19. ſeq. Maiora quando concludant? 26. De Statuum vtriusque Religionis Iure eundi in partes. 27. Re- et Correlatio. 28. 29. Vtrum maiora obtineant intuitu Collegiorum? 30. De Placitis Statuum Imp. 31. 32. De formatione Receſſus Imperii. 33. ſeq. Longa hodiernorum Comitiorum duratio. 37. Conuentus repraeſentatitii. 39. Vbi de Regimento Imperii. Deputationes Imperii ordinariae. 40. ſeq. Extraordinariae. 47. ſeq. Vt legendi in iis Deputati? 50. De directorio inter Status Euangelicos. 51. De Statuum conuentibus particularibus. 52.*

Partes illae ſummi Imperii, ad quas conſenſus et conſilium Ordinum requiritur *, tractantur in Comitiis, de quibus adeo hic agendum.

* Negotia itaque comitialia ſigillatim recenſere ſuperfluum

II. Magnum primo ſtatim loco diſcrimen occurrit, inter hodiernas et veteres Comitiorum rationes.

III. Scilicet Imperatores et Reges ſolebant diebus feſtis ſollemnes habere Curias, vt ſupra notauimus, et praeterea modo conuentus particulares, cum vnius alteriusue populi proceribus, modo vniuerſales, celebrare; prouti cauſae, quae inciderant, vel ſingulorum populorum, vel vniuerſi regni rationes concernerent.

IV. Idem modus ſeruatus in Burgundicis regionibus: et in Italia, vbi campi Roncalii inprimis, prope Placentiam *, propter eiusmodi conuentus, celebre nomen habuere.

* De quibus egit Cl. SCHWARTZIVS ſingulari Programmate.

V. A longo tempore, rationes Comitiorum Germaniae accuratius conſtitutae fuerunt. In iis iam locum habent omnes Status, qui Ciuitate Germanica immediate gaudent. Quae vero notari in iis merentur, concernunt vel ipſam conſtitutionem, vel modum tractandi *.

* Conferri meretur Dn. IO. CAROLI KOENIGII Lib. von denen Teutſchen Reichs-Tägen.

VI. Habentur intra Germaniam, et plerumque in ciuitate aliqua Imperiali: de loco tamen Imperator antea cum Electoribus conſilium communicat *.

* CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. XIII. 1.

VII. Tempus habendorum ita definitum eſt, vt vbi ceſſauerint quae adhuc durant Comitia, intra

intra decennium conuocentur; niſi cauſae inciderint, ob quas conueniat citius illa celebrari *.

* CAPITVLATIO l. c.

VIII. Indicuntur ab Imperatore. Id olim quidem per edictum fieri ſolebat. Succeſſu temporis, et quidem ſub Friderici III. Imperio, Status ſinguli, per literas, vocari coeperunt 1). Tum vero in Cancellaria Caeſarea multi ex illis, qui antea ad Curiam veniebant, neſcio qua de cauſa, omiſſi. Et nonnulli quidem aequo animo praeteriri ſe paſſi ſunt, quod ſic immunes manerent a praeſtationibus, quarum cauſa indici plerumque Comitia ſolebant. Sed potentiores quoque Principes occaſionem inde habuere, tenuiores Status, et maxime Ciuitates, in ſuam redigendi poteſtatem 2).

1) Vid. LIMNAEVS T. I. add. I. P. cap. 7. n. 70.

2) *Eximere* vocant Stylo Imperii. Exemtio autem illa duplex eſt. Nam vel partem tributorum illorum nomine ferunt Status eximentes, vel non ferunt.

IX. Conuocantur autem Principes, licet nondum inueſtiti: et Eccleſiaſtici, licet nondum confirmati ſint a Papa. Sede vacante Capitula inuitantur: vbi princeps minor annis, tutores. Quodſi plures principes regionem, vel ſaltem ius Comitiorum, pro indiuiſo tenent, literae quidem ad omnes dantur, ſed vnus tantum ad-

 mitti-

mittitur. Qui plures regiones cum iure ſuffragii poſſidet, ratione ſingularum vocatur.

X. Imperatoris, vbi ipſe non adeſt, vicem ſuſtinet Commiſſarius eius principalis. Quod munus ſplendidiſſimi, vtriusque ordinis, Principes, in hiſce Comitiis ſuſtinuere *.

* GVIDOBALDVS, Cardinalis, et Archiepiſcopus Salisburgenſis: MARQVARDVS, Epiſcopus Eichſtadienſis: SEBASTIANVS, Epiſcopus Paſſauienſis: HERMANNVS, Marchio Badenſis: FERDINANDVS, Princeps Lobkowitzius: Cardinalis LAMBERGIVS, Epiſcopus Paſſauienſis: MAXIMILIANVS CAROLVS, Princeps Loewenſteinius: CHRISTIANVS AVGVSTVS, Cardinalis de Saxonia: FROBENIVS FERDINANDVS, et IOSEPHVS WILHELMVS, Principes Furſtenbergii.

XI. Alter Miniſter Caeſareus, qui illi ad latus eſt, Concommiſſarius vocatur *.

* Illorum ſeriem vide ap. Dn. KOENIGIVM P. II. cap. I. §. 94. et ſequ.

XII. Statibus quoque integrum eſt, legatos mittere *.

* Ferdinandus I. Rex Romanorum, Anno 1555. poſtulabat, vt ipſi ad Comitia, quae tum Auguſtae habenda erant, venirent, nec rem per legatos agerent: ita enim cauſae magnitudinem poſtulare.

XIII. Qui, vbi aduenerunt, mandata ſua exhibent, et tum ſalutationum officiis funguntur. Quae omnia variis altercationibus implicantur, ex quo inania honorum in formam artis, et diſciplinae redigi coeperunt.

XIV.

XIV. Hoſpitiorum et rei annonariae cura geritur a Mareſchallo hereditario.

XV. Die Comitiis inchoandis deſtinata, poſt ſolemne ſacrum 1), ad quod ſolemni ritu procedere mos eſt 2), legitur propoſitio Caeſarea, quae continet argumenta, quorum cauſa indictus conuentus 3).

1) A. 1663. Legati Saxonici, Brandenburgici, et Palatini exibant, cum celebranda eſſet miſſa.

2) Hic quoque varia litium et aemulationis enata ſemina. Ita A. 1653. et 1663. ſoli legati Electorum equis vehi volebant, ſed nec hac in parte illis concedere principales. Itaque omnes pedibus inceſſere.

3) Vtrum in conſultatione comitiali ſeruandus Ordo propoſitionis Caeſareae, diſputatum A. 1530. et 1608. Et anno quidem 1608. quod de eo non conueniret, rumpebantur Comitia. Sed deciſa res pro libertate Statuum in CAPITVLATIONE IMPERIAL. Art. XIII. 4.

XVI. Si qua in re durantibus Comitiis Imperator conſilium, aut conſenſum Ordinum requirit, fit illud per Decretum Commiſſionis, vti vocant.

XVII. Directorium inter Status competit Electori Moguntino, vt Archicancellario per Germaniam. Ab eo decreta Imperialia, et qui forte a Statibus, aut priuatis etiam, ad Comitia diriguntur libelli memoriales, aut literae, communicantur per dictationem *.

* Quid in recipiendis ad dictationem Scriptis eiusmodi obſeruandum, definitum fuit in CAPITVLATIONE Imp. Caroli VII, atque iterum in CAPITVLATIONE

 nouiſ-

nouiſſima. Art. XIII. 7. Conf. literas Collegii Electoralis ad Imp. Carolum VII. *in puncto Regulatiui*, wegen der ad Comitia gehörigen Vorſtellungen, auch Abſtellung derer Comitial-Defectuum, ap. Moſerum T. I. p. 6.

XVIII. Illo abſente, vel impedito, Directorium ſibi vindicat Elector Saxoniae, tanquam Archimareſchallus.

XIX. Conſultatio inſtituitur per III. Collegia: et Electorale quidem iam diu ſeparatas habuiſſe rationes, ſupra oſtenſum fuit.

XX. Indicuntur conſultationes per Mareſchallum hereditarium.

XXI. In Collegio Electorali Directorium itidem habet Moguntinus, et ipſe, rogatus ab Electore Saxoniae, ſententiam dicit.

XXII. In Collegio Principum duo ſubſellia: penes Eccleſiaſticos autem, ex transuerſo, poſitum eſt ſcamnum, pro Epiſcopis A. C. addictis.

XXIII. Auſtriacus et Salisburgenſis in Directorio alternant, ita, vt quamcunque cauſam alteruter primus propoſuit, illam ad exitum vsque commendatam curae ſuae habeat.

XXIV. Suffragia legit Mareſchallus Imperii hereditarius, alternis ex ſcamno Eccleſiaſtico, et Seculari vicibus. Vbi definit Principum Eccleſiaſticorum claſſis, reliquorum Secularium ſententias ordine requirit. Tum demum reliquorum Praelatorum, et Comitum, ſuffragia curiata, iterum per vices, audiuntur *.

* Sed

* Sed raro conſultationes ordine hoc peraguntur. Plerumque Legati, in corona, vti vocant, conueniunt, atque ſuffragia ad Protocollum Directorii recitant.

XXV. In Senatu ciuitatum directorium eſt penes eam ciuitatem, in qua Comitia celebrantur. Vel ſi conuentus in ciuitate aliqua mediata inſtitutus eſt, penes primam vrbem ex ſubſellio Rhenano. Singulis ciuitatibus ſingulare votum competit; leguntur que ſuffragia alternis ex ſcamno Rhenano et Sueuico.

XXVI. In quolibet Collegio maiora concludunt: quo non datur expeditior modus, conſultationes plurium ad effectum deducendi. Excipiuntur in Pace Veſtfalica 1) cauſae religionis, et aliae, in quibus Status *vt vnum corpus conſiderari* nequeunt: quo et ſpectant Iura ſingulorum 2). In his enim vnanimis conſenſus, aut amicabilis compoſitio requiritur 3).

1) INSTR. Pacis Oſnabrugenſe Art.5. §.52. *In cauſis religionis, omnibusque aliis negotiis, vbi Status tanquam vnum corpus conſiderari nequeunt, vt etiam Catholicis, et Auguſtanae Confeſſionis Statibus in duas partes euntibus, ſola amicabilis compoſitio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate.* Conf. SCHWEDERI Diſp. de Caſibus a Iure maioris partis, in Comitiis Imperii Rom. Germanici, exceptis.

2) Hoc argumentum excuſſit Dn. ab OSTERHAVSEN in Diſſ. de Iure ſingulorum, a maiori ſuffragiorum Comitialium parte excepto.

3) Idque ex ipſa indole Societatis ciuilis. Recte ZIEGLERVS ad GROTII de Iure Belli et Pacis Lib. II. cap. 5. §. 17. *Pluralitas votorum tunc demum attenditur, vbi res, de qua ſuffragia colliguntur, pertinet* ad

*ad Vniuerſitatem, vt Vniuerſitatem. In iis verò rebus, quae ad ſingulos de Vniuerſitate, vt ſingulos, non vt vniuerſos, ſpectant, non ſufficiunt maiora vota, ſed omnium ac ſingulorum approbatio eſt neceſſaria.* Exceptionem interdum facit caſus neceſſitatis ineluctabilis.

XXVII. Atque ita Catholicis aeque ac Auguſtanae Confeſſioni addictis Statibus integrum eſt; ſeorſim conſultare, quod vulgo vocant *Ius eundi in partes* *.

* Vid. Sacra Libertatis Anchora, ſiue de Iure eundi in partes Diſſertatio.

XXVIII. Vbi Collegium Electorale, et Senatus Principum decreta ſua in literas retulerunt, directores vtriusque communicant illa mutuo, in peculiari conclaui, qui actus ſtylo Comitiali *Re-* et *Correlatio* dicitur.

XXIX. Poſtquam inter duo ſuperiora Collegia conuenit, vel conſtat conuenire non poſſe, tum demum res cum ciuitatum collegio communicatur, vt omnium Ordinum Imperii nomine adornari concluſum poſſit.

XXX. Vtrum vero maiora etiam obtineant ratione Collegiorum in formando placito Imperii, controuerſia eſt lege publica nondum definita; licet adſint exempla aliqua, quod reuera obtinuerint.

XXXI. Caeterum illud ſuffragium Statuum, ſiue vnanime, ſiue diſcors, Caeſari, aut eius Commiſſario, olim per Deputatos offerebatur. Nunc offer-

offertur a Directorio Moguntino. Hactenus vocatur Placitum Imperii, Reichs-Gutachten *.

* Conf. KVLPISIVS de Placitis Ordinum Imperii, vulgo Reichs-Gutachten.

XXXII. Si Collegia diſſentiant, operam navat Imperator, conciliandis animis atque conſiliis.

XXXIII. Vbi iam in eandem ſententiam conſpirant Status, auctorque factus eſt Caeſar, Concluſum Imperii vocatur: Reichs-Schluß. Ex hiſce concluſis, vbi finis imponendus eſt Comitiis, adornatur lex Comitialis, quam Receſſum Imperii vocant. Illa in conclaui Electorum, praeſentibus Commiſſariis Caeſareis, ac reliquorum Collegiorum Deputatis, praelegitur, examinatur, et ſecundum horum monita emendatur *.

* Cum in Receſſu Imperii de A. 1654. quaedam aliter, ac conueniſſet, inſerta eſſent, conqueſti ea de re Statuum Euangelicorum Legati, in literis ad Caeſarem, quas vide Reichs-Archiv P. G. Cont. II. p. 206.

XXXIV. Tum duo exemplaria, authenticae vtrumque fidei, membranae inſcribuntur: et ſigilla ab Imperatore, et Statuum Deputatis, apponuntur: reliquorum nomina a Secretario Moguntino, absque praeiudicio ordinis, ſubſcribuntur.

XXXV. Sequitur ſolemnis publicatio, quae finem Comitiis imponit: vnde et ipſis illis decretis *Receſſus* nomen inditum.

XXXVI.

XXXVI. Alterum vero exemplar authenticum Archiuo Cancellariae Imperialis Aulicae, alterum Tabulario, quod Moguntiae eſt, infertur. Copiam tamen eius, iuſſu Caeſaris, Camerae facit Moguntinus, vt rationem nouae legis habeat in pronunciando *. Illa obſeruantiam eius iniungit adúocatis et procuratoribus.

* Vid. RODING. Pand. Cam. L. I. tit. 1. §. 8.

XXXVII. Olim breues erant Conuentus 1), quamdiu in Curia, aut Placito, de re publica tractare moris fuit. Senſim mutata Comitiorum forma, longior etiam mora 2). Hodierna adeo iam ab Anno MDCLXIII. durant 3), Ratisbonae 4). Cuius diuturnitatis grauiſſimas cauſas ex rerum, quae ab eo tempore in Imperio occurrerunt, ſerie, eruere in procliui eſt.

1) LAMBERTVS SCHAFNABVRGENSIS, ad A. 1076. tanquam rem ſingularem notat, quod Conuentus Tribufienſis durauerit 7 dies.

2) In R. I. de Anno 1495. cautum, ne vltra menſem durent Comitia.

3) Iam A. 1670. auditae ſunt querelae de diuturnitate Comitiorum. Vid. Literas Electoris Bauariae et Brandenburgici in der Staats-Cantzeley T. I. p. 17.

4) Translata etiam, ab Imp. Carolo VII. conſenſu Electorum, fuere Francofurtum ad Moenum, An. 1742.

XXXVIII. Ex ea tamen inſignis haec ad communem Rempublicam vtilitas redit, vt et Imperatori in promtu ſit Ordinum conſilium, et Ordinibus cum inter ſe, tum communi nomine apud

apud Imperatorem, agendi occaſio. Atque hac vtilitate compenſantur, quae alias deſiderari, in Comitiis ſolent 1). Vt vero, quae per tam longi temporis ſpatium ſtatuta Ratisbonae fuerunt, vna tandem lege Comitiali promulgentur, ſalutari conſilio, iam apud Imp. Carolum VII. inſtiterunt Electores 2).

1) De defectibus Comitiorum, ex AHASV. FRITSCHII Electis Iuris Publici, diſſerit Auctor Meditationum ad Inſtrumentum Pacis, in Mantiſſa ad Art. 8. p. 910. et ſeq.

2) Vid. Literas Collegii Electoralis, Die Sammlung derer, während jüngeren Reichstages abgefaßter Reichs-Schlüſſe, in einem Interims-Abſchied, auch Reſolution auf die bereits erſtattete Reichs-Gutachten, weniger nicht Beſchleunigung derer weiteren Comitial-Deliberationen betreffend: ap. Dn. MOSERVM T. I. p. 5.

XXXIX. Alii ſunt conuentus repraeſentatitii. Talis olim fuit Regimentum Imperrii, inſtitutum a Maximiliano I: inſtauratum a Carolo V. Sed An. MDXXX. iterum intercidit.

XL. Poſtea in vſu eſſe coeperunt Deputationes Imperii*, quae ſunt vel ordinariae, vel extraordinariae. Ordinaria eſt, vbi certi Status iure perpetuo deliguntur. Prima decreta fuit in Comitiis Auguſtanis, An. MDLV. tuendae facilius pacis publicae cauſa. Poſtea autem et alia negotia, quae in Comitiis vniuerſalibus finiri non poterant, ad Deputatorum Conventus reiici coeperunt.

* AHASV.

* AHASV. FRITSCHIVS de Conuentibus Deputatorum. (inter Opuſcula iunctim edita, Tom. I, num. 7.)

XLI. Deputati primum fuerunt, praeter VI. Electores, ex Principum Collegio Archidux Auſtriae, Epiſcopi Wirceburgenſis et Monaſterienſis, et Dux Bauariae: tum ex Praelatis Sueuicis Weingartenſis: ex Comitibus, Furſtenbergius: ex ciuitatibus, Colonia ad Rhenum, et Norimberga.

XLII. Idque munus initio perſonale fuit; ſed mox in Comitiis Auguſtanis An. MDLIX. perpetuum factum: adiunctique Principibus Dux Iuliacenſis, et Landgrauius Haſſiae. In Comitiis Spirenſibus An. MDLXX. additi Dux Burgundiae, Epiſcopus Conſtantienſis, Dux Brunſuicenſis, et Dux Pomeraniae.

XLIII. In Pace Veſtfalica * decretum, vt Deputati ordinarii aequali numero ex vtraque religione ſint. Atque ſic in Receſſu Imperii de An. MDCLIV. acceſſere Dux Saxo-Altenburgenſis, Marchio Culmbacenſis, Dux Megapolitanus, et Dux Wurtembergicus, vnus ex Comitibus Wetterauicis, atque inſuper quatuor ciuitates: Aquisgranum, Vberlinga, Argentoratum, et Ratisbona.

* Art. 5. §. 51.

XLIV. Ius proponendi in Deputatione ordinaria competit Caeſari. Conſultationes vero per

per duas claſſes inſtituuntur, alteram Electorum, alteram Principum, et reliquorum Ordinum. Concluſum ab Electore Moguntino in formam Receſſus redigitur, isque, ſi decidendi facultas ab Imperio Deputatis fuerit conceſſa, eundem habet valorem, ac Receſſus Comitiorum vniverſalium *.

* E. g. Receſſus Deputationis Francofurtenſis de Anno 1571.

XLV. Vltimum eiusmodi conuentus exemplum praebuit Deputatio ordinaria, quae An. MDCLV. inſtituta fuit, vt perficeret, quicquid ad formulam Pacis Weſtphalicae ordinandum ſupererat. Sed poſt diuturnas, et inanes moras, dum noua Comitia coguntur, infecta re diſceſſum eſt.

XLVI. Habet Deputatio Ordinaria difficultates ſuas 1). Cura tamen reſtaurandae eius Imperatori adhuc in Capitulatione nouiſſima commendatur 2).

1) Iam An. 1653. in Comitiis Ratisbonenſibus multa circa Concilium Delectorum in diſceptationem venerunt, et iniecta adeo abolendi illius mentio fuit. De quo vid. PFANNERVS in Hiſtoria Comitiorum L. IV. §. 39.

2) Art. XII. 6.

XLVII. Deputationes Imperii extraordinariae ſunt, quando Status quidam extra ordinem, e tribus Collegiis, ad certum negotium, deligun-

tur *. Exemplo ſunt Delecti, qui Anno MDCLXXXI. Francofurti ad Moenum, cum Regis Galliae Legatis, de Pace conſeruanda egerunt: et qui ad Ryſuicenſem de Pace Conventum, itemque An. MDCCIV. ad Viſitationem Iudicii Cameralis, miſſi fuere.

* De Deputatione extraordinaria, in Receſſu Imperii, de An. 1654. ad Viſitationem Iudicii Cameralis decreta, vid. infra cap. VII. §. 15.

XLVIII. De ordine agendi, ſedendique, in Francofurtenſi Deputatione initio controuerſia fuit *; ſed conuenit tandem, vt Delegati vni menſae omnes aſſiderent, ſpatio aliquo, honoris cauſa, inter legatos Electorales, et reliquos relicto.

* Conf. PVFENDORFIVS de Rebus Frid. Wilhelmi Lib. XVIII. §. 33.

XLIX. In his quoque Delectibus paritas religionum obſeruanda eſt per Inſtrumentum Pacis Veſtfalicae *.

* Art. V. §. 51.

L. Inter Status Catholicos et Euangelicos aliquando controuerſum fuit, vtrum Deputatorum ſelectus per maiora fieri debeat? quod Catholici contendebant; an vero cuilibet parti integrum legendi ſuos iudicium conſtet? quod ad inſtantiam Euangelicorum hactenus obtinuit.

LI.

LI. Proteſtantes in cauſis religionem ipſorum et iura concernentibus, ſeparatas conſultationes inſtituunt *. In illis directorium exercet Elector Saxoniae.

* Vid. GOTT. SAM. TREVERI Diatribe de Comitiis Corporis Euangelici. 1727. 4.

LII. Haec de Conuentibus Imperatoris et Ordinum generalibus. Integrum vero eſt Statibus etiam ſeorſim conuenire 1): danturque adeo Conuentus particulares, cum eiusdem religionis, Circuli, aut dignitatis Status, in commune conſultant 2).

1) Id adeo confirmatum in CAPITVLATIONE nouiſſ. Art. XIII. 10.

2) De Conuentibus Circulorum ſupra actum: nec non de Electorum Comitiis. De Principum quoque, Comitum, Ciuitatum Conciliis, proſtant doctorum virorum Commentarii.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

## CAPVT VI.

## DE
# IVDICIIS IMPERII: IN SPECIE DE CONSILIO IMPERIALI AVLICO.

*Connexio. 1. Iurisdictio in ſpecie ſic dicta.*
*Partes eius. 2.*
*Species iurisdictionis, pro diverſitate obiecti variae. 3.*
*Status eius in Imperio: 4. vbi et de ordinatione executionis.*
*De Iurisdictione Tribunalium Imperii: 5. vbi de priuilegiis exemtionis.*
*Rei iudiciariae in Germania ab antiqua diuerſitas. 6.*
*Communia iudiciorum, quoad cognitionem: 7. vbi de Auſtregis etc. Quoad appellationem, vbi de priuilegiis de non appellando. 8.*
*De Iudicio Aulico in ſpecie. 9. Eius antiquitas. Inſtauratum a Maximiliano I. 10.*
*De Senatu. 11. In ſpecie de Conſiliariis A.C. addictis. 12.*
*Iudicium Aulicum cum Camera vt concurrat? 13.*
*Iurisdictio eius priuatiue quando locum habeat intuitu cauſarum? 15. ſeq. vbi de cauſis feudalibus, Italicis, gratiae etc. Itemque intuitu perſonarum? 19.*
*Modus procedendi: vbi de ordinationibus Iudicii Aulici. 20. ſeq. De voto ad Caeſarem. 22. De Remedio ſupplicationis etc. 23. ſeq.*
*De Cancellaria. 25.*
*El. Moguntinus habet ius viſitandi Iudicium Aulicum. 26.*
*De Commiſſariis. 27.*

De poteſtate legislatoria ſupra actum. Hic iam alteram iurisdictionis partem repraeſentare conuenit, iudiciariam ſcilicet, quae legibus ad actiones hominum applicandis, et iuri reddendo incumbit: et ipſa quoque Iurisdictio, in ſenſu ſpeciali, vocatur.

II.

II. Conſtat tribus partibus. Principio factum cognoſcere oportet, vt ius in genere ſtatutum, recte illi attribui poſſit, quae poteſtas cognoſcendi, in Iure Romano notio dicitur 1). Tum ſtatuitur de iure facti, quae definitio, Iurisdictio, in ſenſu ſtrictiſſimo, vocatur 2). Denique quod ſtatutum fuit pro iure executioni dari debet: quae poteſtas Imperii nomine deſignatur 3).

1) l. 99. ff. de V. S. L. 5. ff. de re iudic.

2) l. 4. ff. de iurisdict.

3) l. 3. 4. ff. de iurisdict. l. 1. ff. de Offic. eius, cui mand.

III. Vti vero cauſae, in quibus reddendi iuris poteſtas vertitur, variae ſunt, Ciuiles, (quo nomine et feudales includas), vel Criminales, vel Eccleſiaſticae: inde et diuerſa iudiciorum genera.

IV. De Eccleſiaſticis quidem ſupra actum 1). In reliquis ſuprema Iurisdictio duobus Imperii Tribunalibus, Iudicio Aulico, et Camerae, demandata eſt. Illorumque ſtatui, et auctoritati leges Imperii ſerio proſpiciunt 2), vt eo efficacius iure agi, et prohiberi vis omnis priuata poſſit. Quod ad exequendi modum attinet, peculiaris ordinatio ſancita 3).

1) Vid. ſupra cap. 1. §. 19. ſeq. et cap. 2. §. 2.

2) Vid. CAPITVLATIO nouiſſ. Art. XVI. XVII. XVIII.

3) CAPITVLAT. nouiſſ. Art. XVI. 6. et XVII. 1. De caſu vtrum executio praeciſe directoribus cuiuslibet Circuli demandari debeat? aliquoties diſputatum. Maxime in

 cauſa

cauſa Succeſſionis Mecklenburgicae. Scripta, quae tum prodiere, coniunctim dedit Ill. COCCEIVS in Vol. Reſponſorum Iuris, Patris HENRICI COCCEII.

V. Hiſce iudiciis omnes Imperii Status 1), et ſubditi tenentur, niſi priuilegia exemtionis rite obtinuerint 2). Qualia, cum grauiter labefactent vigorem Iurisdictionis Imperii, ne facile concedat Imperator, in Capitulatione cauetur 3).

1) De Imperatore quaerere nefas. Is cum in terris ſuperiorem non habeat, nec iudicem proprie habet. De Iudicio, quod Comes Palatinus olim in cauſis, *pro quibus impetitus fuerit Imperator*, ſibi vindicauit, vid. ſupra Lib. IV. cap. 3. §. 30.

2) Vid. CAPITVLATIO Imp. Caroli VII. Art. XVIII.

3) IBIDEM 1. et 6.

VI. Caeterum ſi rem iudiciariam, qualis hodie eſt in Germania, cum vetere conferas 1), tum quod ad ipſum iudiciorum ordinem, tum quod ad modos probationum 2), et animaduertendi in reos criminum 3) attinet, non minorem ac ipſarum legum, diuerſitatem deprehendes. Variae autem fuere quondam iudiciorum ſpecies. Fuit Palatinum, quod iam alibi attigimus. Fuit Iudicium Parium, cuius ſpecies erat *Iudicium Principum.* Fuere iudicia prouincialia, et centenaria, (qualia paſſim ſuperſunt), et maxime omnium celebria Iudicia Fehmica, ſiue Veſtfalica, etc. Sed haec proſequi non eſt huius loci.

1) HERMANNVS CONRINGIVS de Iudiciis Reipublicae Germanicae. HERMANNVS ADOLPHVS MEIN-

MEINDERS de Iudiciis Centenariis. CHRIST. THOMASIVS de Iudiciis Veſtfalicis.

2) E. g. per duellum, per ignem, per aquam calidam, et frigidam, etc.

3) Pro exemplo eſt vſitata quondam poena portandi canem, etc.

VII. Iudicia Imperii vel locum habent in prima inſtantia: tum obſeruanda ſunt Iura Auſtregarum 1), priuilegia de non euocando, exemtionis, et electionis fori 2).

1) Auſtregae, quae a Germanico *Auſtrag* nomen habent, ſpecies arbitrii ſunt, durantque ex antiqua Germanorum conſuetudine, vt quilibet a Paribus ſuis iudicaretur. Auſtregae diuiduntur in legales, et conuentionales. De iis neruoſe LVDOLFVS in Iure Cameral. p. 33.

2) CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. XVIII. Wir wollen auch die Churfürſten, Fürſten, Prälaten, Grafen, Herren, und andere Stände des Reichs, (die unmittelbare Reichs-Ritterſchaft mit begriffen), und dero allerſeits Unterthanen im Reich, mit rechtlicher oder gütlicher Tagleiſtung von ihren ordentlichen Rechten nicht dringen, erfordern oder vorbeſcheiden; ſondern einen jeden bey ſeiner Immedietät, priuilegiis de non appellando et euocando, ſowohl in Civil- als Criminal-Sachen, electionis fori, item iure Auſtregarum tam legalium, quam conuentionalium vel familiarium, bey der erſten Inſtanz, und deren ordentlichen, unmittelbaren Richtern, mit Aufheb- und Vernichtung aller deren bis dahero etwan dargegen, unter was Schein und Vorwand es ſeyn möge, beſchehener Contraventionen, ergangenen Reſcripten, Inhibitorien, und Befehligen bleiben, und keinen mit Commiſſionen, Mandaten, und andern Verordnungen darwider beſchweren, oder eingreiffen, noch auch durch den Reichs-Hof-Rath und das Cammer-Gericht, oder ſonſten eingreiffen laſſen.

VIII. Vel locum habent ratione prouocationis: vbi priuilegia de non appellando obſeruari debent. Quae vel illimitata ſunt, vel ad certam ſummam, aut cauſarum qualitatem, reſtricta *.

* Priuilegiorum de non appellando deſignationem accuratam habemus in Iure Camerali, quod cum praefatione Illuſtr. LVDOLFFI prodiit.

IX. Iudicium Aulicum ſolius Caeſaris nomine iurisdictionem exercet, ſequiturque Aulam, ſi ad diuturnam commorationem ex vrbe regia diſceſſerit: et vacante throno, Cancellaria obſignatur.

X. Scilicet ab omni tempore ſupremam iurisdictionem exercuerunt Imperatores, et ipſi ſaepe ius dixiſſe leguntur. Saepe iudicium Palatinum, ſiue Curiae Imperialis, apud veteres Scriptores memoratur. Non eadem ſemper forma ſtetit. Illam vero, qua hodie gaudet, Ferdinandus I. praecipue dedit.

XI. Praeſes, nomine S. Caeſareae Maieſtatis collegio praeeſt 1). Proximus locus Vicecancellario Imperii. Tum Vice-Praeſes, et Conſiliarii 2).

1) Vtrum Praeſes ex Eccleſiaſtico ordine ſumi poſſit, quaeſitum? conf. Bedenken, ob der Herr Abt zu Kempten die Reichs-Hof-Raths-Präſidenten-Stelle zu bekleiden fähig ſey? de A. 1727. in LVNIGII Staats-Conſiliis T. II. p. 1702.

2) De vniuerſa Iudicii Aulici conſtitutione agitur in CAPITVLATIONE Caeſarea, Art. 24. et 25.

XII.

XII. Inter Conſiliarios iam olim a tempore Maximiliani II. admiſſi fuerant A. C. addicti 1). Sed ſub Ferdinandis excluſi. Itaque in Pace Veſtfalica iterum conuenit, recipiendos eſſe, eo numero, vt quoties lis inter Catholicos et Euangelicos vertitur, conſiliarii, pari vtrinque numero, in iudicium mitti poſſint 2). Is numerus deinde ad ſenarium definitus eſt. Inter quos vnum ex Reformatis adſciuit Imperator Leopoldus 3). Vbi autem circa interpretationem legum Imperii, aut in cauſis Statuum diverſae religionis, vtriusque partis Conſiliarii diſſentiunt, res ad Comitia referri debet 4).

1) Vid. VFFENBACH de Conſilio Aulico p. 18.

2) Vid. INSTRVMENTVM Pacis Osnabrugenſe Art. 5. §. 54.

3) Vid. Decretum D. Leopoldi de A. 1694. im Reichs-Archiv P. General. Contin. II. p. 1531.

4) INSTR. Pacis Oſnabr. l. c. §. 56.

XIII. Iudicium Aulicum cognoſcit de omnibus cauſis, de quibus Camera, et concurrentem cum ea iurisdictionem habet *.

* Vid. Cammer-Gerichts-Ordnung §. Sowohl.

XIV. Non tamen auocat cauſas ad Cameram ſemel delatas 1), nec de ſententiis in illa latis cognoſcit. Ne Reſcripta quidem pro excitanda atque maturanda iuſtitia 2), ſine magna cautione, emittit Imperator 3).

1) Vtrum, durante iuſtitio Camerali? quaeſitum eſt An. 1706. vid. Bedencken, ob Zeit währender Hemmung der

Cameral-Juſtiz dem Kaiſerl. Reichs-Hof-Rath in Proceß-Sachen, welche am Cammer-Gerichte anhängig, etwas, es ſey unter was für Prätext, zu unternehmen nachgelaſſen?

2) Praeiudicium de An. 1670. refert Dn. ab ANDLERN in Iurisprud. Publica et Priuata Lib. II. tit. 1.

3) CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. XVI. 17.

XV. Praeterea in pluribus rebus priuatiue fundata eſt Iurisdictio Iudicii Aulici, cum intuitu cauſarum, tum intuitu perſonarum 1). Ita intuitu cauſarum, reſeruatae illi ſunt cauſae feudales 2).

1) IO. DAV. GVTHERVS de Cauſis, Iudicium Imperiale Aulicum fundantibus, ſine concurrentia cum Camera Imperiali Altorffi 1711.

2) Vid. Ord. Iudicii Cameral. P. II. tit. 7. Nec tamen excludi vult penitus Iudicium Camerale, e. g. ſi cauſa ventilatur, in qua incidenter tantum de feudo agitur, aut ſi de Poſſeſſione lis ſit. Conf. Literae Collegii Electoralis ad Imp. Carolum VII. ap. Moſerum ad Capitulat. T. I. in Append. p. 7.

XVI. Controuerſiae Statuum de praecedentia: et reliqua omnia, quae ex reſeruatis Imperatoris fluunt: v. g. conceſſio veniae aetatis Statibus Imperii, et ſubditis immediatis impertienda: item controuerſiae de validitate priuilegiorum exortae: etc.

XVII. Item cauſae Italicae omnes *.

* Conf. GVTHERVS loc. cit. §. 9.

XVIII. Vtrum cauſae Statuum Imperii, et ſubditorum eius immediatorum, criminales, in hunc

hunc cenſum referendae ſint, diſputat Er. Mavritivs*.

* In Diſſert. de Iudicio Aulico §. 16. pro Affirmatiua eſt Gvthervs l. c. §. 14. excepto fractae pacis crimine, cuius cognitio cumulatiue Camerae communicata. Conf. Dn. D. Crameri Diſſ. de Natura delictorum in cauſis Statuum Imperii.

XIX. Ratione perſonarum priuatiue fundata eſt Iudicii Aulici iurisdictio in omnes perſonas, ad Iudicium Aulicum ſpectantes*. Si quis gravatum ſe exiſtimat coram officio Mareſchalli Aulici, per modum Supplicationis, in Iudicio Aulico, Reuiſionem obtinere poteſt. Eo etiam ſe vertunt, qui Iudicium Rothwilenſe, vt ſuſpectum recuſare, deue protracta vel denegata ab eo iuſtitia, vel commiſſa nullitate, conqueri cupiunt.

* Gvthervs §. 15. 17. 18.

XX. Modus procedendi definitus eſt per peculiares ordinationes. Nouiſſimam Anno MDCLIV. Ferdinandus III. ſanciuit. Eam D. Carolus VI. auditis Statuum monitis, nouo edicto A. MDCCXIV. paſſim ſuppleuit*.

* Vid. Monita Statuum in der Staats-Canzeley T. 24. Decretum Caeſareum, Ibidem p. 779. Varia ad rationem, modumque iudicii ſpectantia, per decreta ipſiusmet definita ſunt: qualia vid. im Reichs-Archiv P. Generali, Continuat. II.

XXI. In regula modus iudiciarius obſeruari debet, qualem ordinatio Cameralis praeſcribit

bit 1); niſi qua in parte breuius expediri cauſa poteſt 2).

1) Vid. INSTRVMENTVM Pacis Oſnabrugenſe Art. 5. §. 55.

2) DECKHERVS in Concordia ſummorum tribunalium Imperii, proceſſum ipſum ſiſtit. Add. MANVALE PROCESSVS IMPERIALIS, quod cura Dni. IO. FRID. CRAMERI, prodiit, PRINCIPIA PROCESSVS *Iudicii Imperialis aulici, cum Differentiis Proceſſus Cameralis.*

XXII. In cauſis grauioribus ſolet fieri relatio (*Votum* vocant) ad Caeſarem 1). Quid porro circa expeditionem eiusmodi negotiorum obſervandum, definitur in Capitulatione 2).

1) Vid. HENNINGI PAVLI GERCKEN Diſquiſitionem de Voto Conſilii Imperialis Aulici ad S. Caeſaream Maieſtatem etc.

2) Art. XVI. 15. Wo auch im Reichs-Hof-Rath, in wichtigen Juſtitz-Sachen ein Votum oder Gutachten abgefaßt, und referiret werden ſollte, wollen Wir Uns ſolches anders nicht, als in Anweſen des Reichs-Hof-Raths-Präſidenten, und Reichs Vice-Canzlers, mit Zuziehung der Re- und Correferenten, und anderer Reichs-Hof-Räthe beyder Religionen, inſonderheit wenn die Sache beyderſeits Religions-Verwandte betrifft, vortragen laſſen, mit denenſelben darüber berathſchlagen, und in keinem andern Rath reſolviren.

XXIII. Grauatis Remedium Supplicationis eſt *, vt in Camera Reuiſionis. Sed non obſtante ſupplicatione, ſententia executioni datur, ſi pars victrix cauerit de reſtituendo, in caſum, ſi ſupplicans reformatoriam obtinuerit.

* Vid. INSTRVM. Pacis Oſnabr. Art. 5. §. 54.

XXIV. Lo-

XXIV. Locum etiam habet remedium reſtitutionis in integrum.

XXV. Cancellaria Imperialis Aulica eſt ſub Vice-Cancellario Imperii, et in ea omnia Imperii negotia expediuntur 1). Eſt etiam in ea Officium Taxatoris, qui ſportulis, quales ab Electore Moguntino, tamquam Archi-Cancellario, definitae ſunt 2), intendit.

1) Conf. ſupra Lib. III. cap. 7. §. 19. 20.
2) Vid. Chur-Mäynziſche Hoff-Canzeley- und Tax-Ordnung, de A. 1658. im Reichs-Archiv P. Generali Cont. I. Fortſ. 2. p. 218.

XXVI. Electori Moguntino, vt S. R. I. Archi-Cancellario, ius eſt viſitandi Iudicium Aulicum *, quoties opus fuerit, obſeruatis iis, quae Status in Comitiis obſeruanda cenſuerint.

* INSTR. Pacis Oſnabrugenſe Art. 5. §. 55. Idque repetitum, et ad triennium definitum, in CAPITVLATIONE nouiſſima Art. XXIV. 6 et ſequ.

XXVII. Saepius etiam Commiſſarii dantur, qui in loco cauſam cognoſcant, et negotia expediant. 1) De iis iam in Pace Veſtfalica diſpoſitum, 2) vt, *ſi res inter Auguſtanae Confeſſionis Status vertatur, ſoli eidem religioni addicti deputentur, ſi inter Catholicos, ſoli Catholici, ſi inter Catholicos, et Auguſtanae Confeſſionis Status, vtriusque religionis, pari numero, Commiſſarii denominentur, et ordinentur.* Idque clarius etiam explicatum in Capitulatione Imperiali. 3)

1) De Commiſſionibus eiusmodi vid. Auctor Meditationum ad INSTRVMENTVM Pacis, p. 747. et ſequ.
2) Art. V. §. 51. 3) Art. XVIII. 5.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# CAP. VII.

## DE
# IVDICIO CAMERAE
## IMPERIALIS.

*Camerae Imperialis Origo.* 1.
*Eius Conſtitutio: vbi de Senatu, Indice, et Praeſidibus.* 2. 3.
*De Aſſeſſoribus.* 4. 5.
*De Cancellaria.* 6.
*Hiſtoria Iudicii Cameralis: vbi de Translatione eius Wetzlariam.* 7. *ſeq.*
*De Suſtentatione Iudicii Cameralis ex Collationibus Statuum.* 10.
*Iurisdictio Camerae.* 11.
*Modus procedendi.* 13.
*De Viſitationibus Camerae: et Iudicio Reuiſorio.* 14. *ſeq.*

Alterum ſupremum iudicium eſt Camerae Imperialis. Scilicet Maximilianus I. ſancita in Comitiis Vormatienſibus A. 1495. conſtitutione pacis publicae, cum Status iam diu conqueſti eſſent de inſtabili iudicii Palatini forma, hanc Cameram, vti vocabant, inſtituit, eo conſilio, vt fixam in vrbe aliqua Imperii ſedem haberet *, adeoque iure experturis paratior eſſet Iudicis copia.

* Vid. DATTIVS de Pace Publica Lib. IV. cap. 1. n. 15. et ſequ. LVDOLFVS in Hiſtoria ſuſtentationis Camerae Imperialis p. 2. ſeq.

II. Iudicium Camerale conſtituunt Iudex, Praeſides et Aſſeſſores, iique per certas claſſes, (*Senatum* vocant) diſtribuuntur. Iudex, cuius eſt dirigere et curare, vt omnia ordine fiant, conſtituitur a Caeſare ex Principum, Comi-

tumue

tumue ordine: et Secularium imprimis ratio haberi debet *.

* Vid. ORDINATIO CAMERALIS P. I. tit. 3. §. 1.

III. Praeſides quoque ab Imperatore conſtituuntur. Horum eſt praeſidere Senatui. Abſente iudice, Praeſes ſenior vicem eius ſuſtinet *.

* De officio Praeſidis vid. ORDINAT. CAMERAL. P.I. tit. 12.

IV. Aſſeſſores vel ex Equeſtri Ordine, vel ex Iureconſultis leguntur, et partim ab Imperatore, partim ab Electoribus, et Circulis Imperii deſignantur. In Pace Veſtfalica decretum, vt praeter iudicem IV. Praeſides, duo ſcilicet Catholici, duo A. C. addicti, et quinquaginta Aſſeſſores eſſent 1), eorumque deſignandorum haec ratio inita fuit, vt praeter duos Catholicos, quos Caeſar nominat, XXIV. a Catholicis, et totidem ab Euangelicis legerentur 2).

1) Reliqua requiſita recenſet Ordinatio Cameralis P. I. tit. 3. Inter illa eſt, vt quinque annos continuos in Academiis ſtudiis operam dederint. Quod non aeque rigoroſe exigitur. Vid. Rec. Imp. de An. MDCLIV. De priuilegiis Aſſeſſorum vid. BLVMIVS p. 23. §. 16.

2) Ratio praeſentandi in circulis varia obſeruatur. De quo STRVVIVS in Syntagmate Iuris Publici c. 24. §. 69.

V. Nunquam tamen Camera hunc numerum impletum vidit. Ac Anno MDCCXIX. cum maxime ferueret in Comitiis conſeruandi, inſtaurandique Iudicii Cameralis cura, ſufficere viſum,

ſum, ſi tantiſper XXV. Aſſeſſores perpetuo adeſſent *.

* Vid. Hiſtoriam conſultationis, et Concluſum III. Ordinum Imperii, factum Ao. 1719. d. 15. Decembris: nec non Decretum, quo Imperator ratum illud habuit, de Anno 1720. die 3. Nouembris, apud LVDOLFVM loc. cit. p. 142. Huic concluſo inſiſtit CAPITVLATIO IMPERIALIS Art. XVII. 13.

VI. Cancellaria habet Praefectum ſuum, Protonotarios, Notarios, et Lectores, ab Electore Moguntino, tanquam Imperii Archi-Cancellario, datos: aliosque minores miniſtros, quos praefectus, praeſcitu Electoris, inſtituit.

VII. Sedes huic Iudicio primum adſignata Francofurti ad Moenum. Sed vix per octodecim menſes in ea vrbe viguit. Poſt varias migrationes Spirae An. MDXXV. ſubſtitit, placuitque, vt ibi ſedem figeret, neque niſi communi Imperatoris, et Statuum conſenſu, alio transferri poſſet *.

* Nondum habemus Hiſtoriam Iudicii Cameralis, qualem Dignitas huius Germaniae Areopagi, et celebritas inſignium Iureconſultorum, qui aſſeſſoris munere functi ſunt, poſtulare videtur. Nonnulla attigit LVDOLFVS in Hiſtoria Suſtentationis Cameralis. Huc etiam facit Libellus, qui ſub tit. *Notata de perſonis Iudicii Cameralis*, prodiit, Ingolſtadii A. 1557. f.

VIII. Equidem in extrema Germaniae ora non ſatis commode habitare videbatur: neque ſatis tuto, ex quo Philipsburgum in poteſtatem Gallorum venerat. Itaque iam inter Tractatus de

de Pace Veſtfalica iniecta mentio transferendae in locum magis opportunum. Sed res tum ad Comitia reiecta 1). In Comitiis ſubſecutis vero ad effectum deduci non potuit 2).

1) Vid. Art. V. §. 53.
2) Vid. Rec. Imp. de A. 1654. §. 167. Actum quidem cum ciuitate Francofurtana de recipienda Camera, ſed deprecata eſt. Vid. ſcriptum eius apud LONDORPIVM T. V. p. 161.

IX. Denique cum vrbs Spira A. MDCLXXXVIII. a Gallico milite foedo incendio vaſtata eſſet, ipſa neceſſitas Cameram expulit. Iam ante vero hoſpitium rogatae ſe excuſauerant Auguſta Vindelicorum, Francofurtum ad Moenum, aliaeque aliquot vrbes. Itaque Wetzlariae, in Vetteravia, conſedit. In quo oppido, prima ſeſſio ſolemnis, *Audientiam vocant*, Anno MDCXCIII. a Iohanne Hugone, Electore Treuirenſi, Iudice tum Camerae, habita *.

* Conf. LVDOLFVS in Hiſtoria Suſtentationis Cameralis §. 12. et 13. et in Append. p. 515.

X. Suſtinetur Camera ex collationibus Statuum. Aſſignatae Statibus per matriculam portiones ſuae, quae bis quotannis numerari deberent, vnde die Cammer-Zieler vocantur. Sed incredibile dictu, quam ſegnes conferant, quam lenta nomina quaeſtor iudicii in tabulis habeat *.

* Quid ea in cauſa actum peculiari Volumine complexus eſt Dn. a LVDOLF ſub titulo Hiſtoria Suſtentationis Cameralis.

XI. Iuriſdictio Camerae, de cuius concurſu cum Iudicio Aulico ſupra actum, fundatur in prima inſtantia vel ratione perſonarum: vel ratione cauſarum.

XII. In ſecunda inſtantia fundata eſt iuriſdictio Camerae * ab omni iudice immediato, et ab omni grauamine, niſi cauſae qualitas, aut priuilegium obſtet.

* Hic quidem breuibus eſſe eo magis licet, cum in LVDOLFI Tract. de Iure Camerali Sect. I. legi poſſit, quicquid ad fundandam Camerae Imperialis Iuriſdictionem facit.

XIII. Modus procedendi praeſcribitur in Ordinatione Camerali, quae in Imperii Comitiis condita eſt 1). Vſus autem oſtendit in multis rebus parum eam congruere: adeoque iam in Comitiis Anno MDCXIII. oblata fuit Delineatio nouae ordinationis. Multa per Receſſum Imperii, de Anno MDCLIV. emendata. 2). Sed cura nouae Ordinationis remiſſa ad Deputationem, quae tum extra ordinem decreta. Ius Camerale ipſum, plurimi Iureconſulti ſcriptis ſuis illuſtrarunt 3).

1) Ordinationes Iudicii Cameralis, et quicquid in Comitiis Imperii, aut Viſitationibus Camerae, in eam rem ſtatutum fuit, vt et ipſa Iudicii Cameralis decreta, vno volumine prodierunt, titulo *Corporis Iuris Cameralis*. Frfti 1724. f.

2) Auctor Colloquiorum de Statu Iudicii Cameralis, p. 212. *In Comitiis Imperii, poſt bellum tricennale primis, vniverſorum Statuum ſollicitudo fuit emendatio rei forenſis Cameralis, multaque per Receſſum Imperii ad meliorem ordi-*

*ordinem deducta, pro maturatione iuſtitiae, ac litigiorum compendio. Quo in negotio laudatur opera ICtorum Saxonicorum, cumprimis Auguſtini Strauchii, Legati Electoralis.*

3) PETRI DENAISII Compendium Iuris Cameralis: RODINGI Ius Camerale. Conſultationes et Deciſiones Iudicii Cameralis collegerunt MEICHSNERVS, SEILERVS, BARTHIVS, et nuper LVDOLFVS, ipſi Camerae Aſſeſſores. Obſeruationes ex Iure Camerali ediderunt MYNSINGERVS, GAILIVS, etc. Breuiculum Proceſſus Camerae Imperialis IO. BAPTISTA OBRIST edidit. BLVMII quoque Scriptis, et DECKHERI Monumentis Lectionis Antiquae, laus ſua conſtat.

XIV. Qui ſe grauatos ſententia Camerali exiſtimant, gaudent beneficio Reuiſionis *. Reuiſioni autem, aeque ac Supplicationi in Iudicio Aulico, denegatus eſt effectus ſuſpenſiuus, ne lites eo praetextu in infinitum protrahantur.

* Conf. HERTII Diſſ. de Iudicio Reuiſorio in Camera Imperiali.

XV. Viſitationes inſtitui quotannis debebant, a Commiſſariis Caeſaris, nec non delectis Statibus, et in iis, Iudicia ſimul Reuiſoria peragi. Sed cum Viſitationes illae, ab An. MDLXXXII, omitterentur, miſere quoque iacuerunt Reuiſoria Iudicia. In R. I. de An. MDCLIV. decreta fuit ad hunc finem Deputatio Imperii extraordinaria*.

* Rec. Imp. de An. 1654. §. 124. et ſeq.

XVI. Sed nihilominus Viſitatio, cum ipſa Reviſione, magno rei iudiciariae malo, ceſſauit: atque eo frequentior factus eſt recurſus ad Co-

 mitia.

mitia. Prouiſum denuo in Capitulatione Imp. Caroli VII, vt tandem diſpoſitio Receſſus Imperii ad effectum deducatur, et delegati Status ad peragendum ſalutare opus, conuocentur 1): quo inſtaurari Iudicium reuiſorium, et praeparari noua Ordinatio poſſit 2). Idque repetitum in Capitulatione nouiſſima.

1) Art. XVII. 3. et ſeq. Plura, ad hoc caput ſpectantia, continent Literae Collegii Electoralis, ad Imperatorem, Carolum VII. ap. MOSERVM T. I. p. 8. et ſequ. Et Imperator ſtatim Anno 1743. ſingulari Decreto conſilium Statuum requiſiuit, qua ratione commodiſſime Delectus ille, ad Viſitationem, inſtitui poſſet.

2) IBIDEM 9. Inſonderheit ſoll der zu erſt beſagter Viſitation beſtimmte Senat, nach Vollendung derſelben, auch gemäß dem jüngeren Reichs-Abſchied, die Revidir- und Verbeſſerung des ſogenannten Conceptes der Cammer-Gerichts-Ordnung, beſten Fleißes vornehmen, und darüber an Uns, und das Reich, Bericht erſtatten.

XVII. Plane ſingularis fuit Viſitatio, Anno MDCCV. decreta, ad componendos motus, ex inteſtina Collegii diſcordia ortos *.

* Vid. Viſitations-Receß de An. 1715.

CAP.

❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀❀

## CAP. VIII.

## DE

# IVDICIO AVLICO ROTHWILENSI, ET IVDICIIS IMPERII PROVINCIALIBVS PER SVEVIAM, ET FRANCONIAM.

*De Iudicio Aulico Rothwilenſi. 1. Index, Vicarius, Aſſeſſores. 2. ſeq. Iurisdictio eius qua pateat? 4. ſeq. Prouocatio ad Suprema Imperii Tribunalia. 7. De ordinatione Eius. 8. Querelae Statuum, et remedia. 9. De Iudicio Prouinciali Sueviae. 10. 11. Eius Iurisdictio. 12. Quo titulo ad Auſtriacos pertineat? 13. De ordinatione Eius et Proceſſu. 14. Statuum querelae. 15. Iudicia Prouincialia per Franconiam. 16. et ſeq.*

Praeter haec ſuprema duo Imperii Iudicia, ſuperſunt alia, ſed inferiora auctoritate, et intra vnius tantum alteriusue regionis limites conſtricta: vltra quos famam iis, vel ipſae toties auditae Statuum querelae pararunt. Tale eſt iudicium Imperiale Aulicum, quod in ciuitate Rothwila floret *, ac origines ſuas ad Conradum III. refert, quem fama eſt, ſtabilem ei in hac vrbe ſedem attribuiſſe.

* Conf. ER. MAVRITII Diſſ. de Iudicio Aulico Rothwilenſi.

II. Iudicis munus ab Imperatoribus, Regibusue Romanorum olim conferebatur. Sed a

temporibus Ruperti, Romanorum Regis, hereditarium fuit in familia Comitum Sulzae. Vltimo eius gentis An. MDCLXXXVII. extincto 1), cum filia eius primogenita Ferdinandi Principis Schwartzenbergici vxor, in terras ſucceſſiſſet, filiis quoque ipſius eadem dignitas hereditario iure collata eſt 2).

1) Vid. Ei. Fideicommiſſ- und Primogenitur - Diſpoſition de A. 1676. im Reichs-Archiv Spicileg. Secul. P. II. p. 1350.

2) Conf. IMHOFII Notitia Procerum L. VII. c. 14. §. 5.

III. Iudex vi priuilegii, ab eodem Ruperto impetrati, Vicarium ſibi conſtituit 1). Aſſeſſores partim ex equeſtri ordine, partim ex Senatu Rothwilano leguntur 2).

1) SCHILTERVS Inſtitut. Iur. Publ. Lib. IV. T. 9. §. 2.

2) Conf. SCHWEDERVS P. Spec. Sect. I. c. 14. §. 59.

IV. Iurisdictio eius reſtricta eſt ad definitum terrarum ad Rhenum, et per Franconiam ac Sueuiam, tractum. Fundata eſt non modo in Status, et Ciues immediatos Imperii, ſed etiam in ſubditos eorum; ita vt cum magiſtratibus concurrat, adeoque praeuentioni locus ſit.

V. Plurimi autem Status ab illa priuilegio, vel praeſcriptione, vel transactione, exemti ſunt.

VI. Quae quidem exemptiones regulariter intelliguntur ſaluis caſibus reſeruatis (denen Ehehaften). Saepe tamen Imperatores priuilegia etiam contra caſus reſeruatos diſertis verbis concedunt.

VII.

VII. Prouocatio ab hoc iudicio eſt ad Cameram, Iudiciumue Imperiale Aulicum.

VIII. Ordo forenſis ipſi proprius eſt. Nouaque Ordinatio prodiit tempore Maximiliani II. A. MDLXXII *.

* Conf. Alte und Neue Ordnung und Reformation des Röm. Kaiſerl. Majeſtät, Kaiſerlichen Hof-Gerichts zu Rothweyl, cum notis et obſeruationibus PAVLI MATTHIAE WEHNERI, Frſti 1610. fol. et IOH. GEORGII von Zimmern Manuale Caeſareo-Dicaſteriale. Conſtantiae 1679. 8.

IX. Status Imperii ſaepe de abuſibus Iudicii Rothwilenſis queſti, tempore tractatuum de Pace Veſtfalica, vt penitus tolleretur, inſtiterunt. Ea res in Pace ipſa ad Comitia reiecta eſt 1). Sed in Comitiis MDCLIII. interceſſerunt Comes Sulzae, et Senatus Rothwilae 2). Hinc ab eo tempore in Capitulatione cautum legimus, vt donec de ea re certi quid in Comitiis ſtatuatur, abuſus ſaltem, praecipue qui ſub caſuum reſeruatorum titulo gliſcunt, corrigantur 3).

1) Vid. INSTRVMENT. Pacis Oſnabrugenſe Art. 5. §. 29.

2) Vid. Scripta ap. LONDORPIVM T. VIII. Lib. VI. c. 247. Argumenta illorum expendit TITIVS in Specimine Iuris Publici c. II. §. 18. ſeq.

3) Vid. CAPITVLAT. IMPER. Art. XVIII. 8. et ſeq.

X. Superſunt praeterea per Sueuiam et Franconiam Iudicia quaedam prouincialia, ex antiquo more, quo iurisdictio per prouincias, in Mallo publico, exerceri ſolebat.

XI. In Sueuia imprimis notum eſt Iudicium Prouinciale 1), quod habetur in tribus ciuitatibus Imperialibus, Rauensburgo, Wangia, et Isnia 2), nec non in vico Altorffio, qui et vulgo Weingarten, a celebri huius nominis Monaſterio, vocatur.

1) Conf. IOSEPHI ANTONII BVERCKHLE Gerichtlicher Proceß des Land-Gerichts in Schwaben. Is Auctor in Diſcurſu praeliminari ortum quoque et conſtitutionem Iudicii explicat.

2) Olim Conſeſſus ille iuridicus Leutkirchae habitus fuit. Vnde nomen das Land-Gericht auf der Leutkircher Heyd. Isnia, ab An. 1512. in Locum Leutkirchae delecta.

XII. Neque tamen iurisdictio illius per totam Sueuiam ſe extendit, ſed intra certos eius Circuli limites coërcita eſt. Intra hos quoque plurimi Imperii Status ab illa exemti ſunt.

XIII. Iudicium hoc prouinciale, iure pignoris, a Wenceslao Rege acceperunt Auſtriaci 1). Hinc diſputatum quondam, vtrum prouocatio ad ſuprema S. R. Imperii tribunalia, an vero ad Auſtriacum regimen, quod Oeniponti eſt fieri debeat? Sed conceſſa ad iudicia Imperii 2).

1) Male nonnulli referunt illud ad Aduocatiam Imperialem per Sueuiam, quam, ſimili titulo, habent Auſtriaci.

2) Hoc quoque ex Capitulatione Imp. Caroli VI. retentum in nouiſſima.

XIV. Propriam ordinationem praeſcripſit Ferdinandus I. recognitam a Maximiliano Archiduce*. Multa retenta ex vetere Iudiciorum Germanicorum, inprimis Rothwilenſis, more, atque hoc inter alia, quod conſeſſus ipſi ſub dio, iuxta viam publicam, inchoantur.

* Conf.

* Conf. des freyen Kaiſerl. Land=Gerichts in Ober= und Nieder=Schwaben, Ordnung. Oeniponti 1618. 4. Proceſſum ipſum docet IOSEPHVS ANTONIVS BVERCKHLE in opere ſupra laudato.

XV. Statuum Imperii querelis non minus, ac Rothwilenſe iudicium agitatum fuit. Petita ſimiliter in Pace Veſtfalica eius abolitio. Sed hactenus ſpes facta emendandi illa, quae anſam querendi dederint *.

* Vid. CAPITVLATIO Caeſarea l. c.

XVI. In Franconia ſupereſt Iudicium prouinciale Burggrauiatus Noribergenſis. Id nunc Onoldi quater in anno celebratur; vnde nomen der vier hohen Gerichte.

XVII. Item Herbipolenſe: das Kaiſerliche Land Gericht des Stifts Würzburg und Herzogthums Francken. Eſt vero in poteſtate Epiſcopi Herbipolenſis *.

* Publicata eſt Ordinatio eius ab Epiſcopo Ioh. Gotfrido, ſub titulo: Des Stifts Würzburg, und Herzogthums Francken, Kaiſerliche Land=Gerichts=Ordnung. Würzburg 1619.

XVIII. Fuere quondam plures eiusmodi per prouincias conuentus iuridici, et inprimis in Alſatia viguit Iudicium prouinciale Hagenouienſe 1). Sed partim interiere per temporum viciſſitudines, aut iurisdictio ipſa in Statuum poteſtatem venit 2), neque Imperiali amplius auctoritate exercetur.

1) Das Kaiſerl. Land Gericht auf der Lauben zu Hagenau.

2) Tale eſt Iudicium Caeſareo-Foreſtale Noricum, de quo extat Diſſert. IO. SIGISM. SCHREIBERI. Altorffi 1711.

## CAP. IX.

# DE IVRIBVS RESERVATIS CAESARIS.

*Reſeruata Caeſaris quae dicantur? 1 et ſeq. Intuitu vniuerſi Imperii. 4. - - inueſtiturae feudorum. 5. Item circa ſacra. 6. Et poteſtatem iudiciariam. 7. Et quidem intuitu Statuum ipſorum. 8. Tum quae in territoriis ſe exſerunt. 9. Ius conferendi dignitates. 11. Ius fiſci. 12. Poteſtas extraordinaria prouidendi, ne imperium detrimenti quid capiat. 13.*

Quamquam ex hactenus dictis ſatis appareat, qua ratione partes ſummae poteſtatis exerceantur per Imperium vniuerſum, et quibus in cauſis Imperatoris, omniumque Ordinum, aut ſaltim Electorum conſenſus auctoritasue requiratur, quibusue Imperator ſolus defungi poſſit, quidque adeo ſit Monarchici in forma Reipublicae Romano-Germanicae: dabimus tamen hoc receptae ab aliis methodo, qui de iuribus reſeruatis Imperatoris de induſtria ſolent agere *, vt breuiter hic repetamus, quae Caeſaris praecipuae partes ſint.

* Inter eos, qui de Reſeruatis Caeſaris commentati ſunt, nominari praecipue merentur LYNCKERVS in Diſſ. de Plenitudine ſummae Poteſtatis: SCHWEDERVS in Diſſ. de Reſeruatis Imperatoris. Sed multa accuratius expendit TITIVS in Specim. Iur. Publ. Lib. V. c. 3. et 4.

II.

II. Haec iura vulgo Reſeruata Caeſaris appellari ſolent, atque ita definiri: quod ſint *iura*, *quae Imperator ſolus*, *iuxta normam legum fundamentalium*, *exercet*.

III. Certus quidem illorum numerus iniri nequit. Nec ipſis Miniſtris Caeſareis, tempore Tractatuum de Pace Veſtfalica, e re viſum fuit, enumeranda illa ſuſcipere. Namque ita fere cum adminiſtratione Reipublicae mixtae comparatum eſt, vt maior ſit, aut minor, iurium Principis auctoritas, prouti ipſe conſilio, opibus, foederibusque valuerit. Itaque hic praecipua tantum recenſebimus, aut repetemus potius, ex illa communis regiminis repraeſentatione, quam modo, per ſingulas partes, adumbrauimus.

IV. Iam haec initio ſtatim inſignis eſt Imperatoris praerogatiua, quod in cauſis, totum Imperium concernentibus, etiam in quibus concurrunt Status, primas vbique partes habet. Huc inter alia ſpectat ius indicendi et dirigendi conuentus publicos, et proponendi in Comitiis: quodque Acta publica, et ipſi Imperii Receſſus, eius nomine, expediuntur.

V. Porro vniuerſi Imperii Maieſtatem in eo repraeſentat, quod ab ipſo inueſtitura feudorum petitur; quo pertinent tot aliae praerogatiuae, quae Dominium directum comitantur.

VI.

VI. Reliquias priſci iuris circa ſacra ſupra attigimus *. Illae multis exemplis declarari poſſunt: eoque facit ipſa illa prouidentia, qua cauit Imp. Carolus VI. ne controuerſiae, ob bullam *Vnigenitus* exortae, in Germaniam penetrarent, neque officium et Legenda Gregorii VII. in Germaniae Eccleſiis introduceretur.

* Lib. V. c. 1. §. 27. ſeq.

VII. Quam circa iurisdictionem habeat praecipuam auctoritatem, vel ipſa illa ſuprema poteſtas iudiciaria oſtendit: praeſertim cum tot cauſae ſoli Iudicio Aulico reſeruatae ſint.

VIII. Ex illa fluunt multa iura ſingularia, quae vulgo ſigillatim inter Reſeruata recenſere ſolent. Concernunt vero partim ipſorum Statuum Imperii conditionem: vti ius dandi priuilegium de non appellando, electionis fori etc. item cauſae gratiae, quas vocant. Ita Imperatorem adeunt Status Imperii, ſi venia aetatis opus habent, ſi legitimari liberos, confirmari pacta, et adoptiones, cupiunt: ſi moratorio indigent *, etc.

* De Moratorio, Comiti Naſſouiae dato, vid. LVNIGII Staats-Conſilia T. II. n. 161. Ferdinandus III. ad commendationem Ordinum Moratorium dedit El. Palatino, vt, per decennium, ab vſuris in totum, et per alterum decennium, ad dimidium, liber eſſet. Vid. RHODINGIVS in Pand. Cameral. L. I. tit. 12.

IX. Partim in territoriis etiam Statuum vim ſuam exſerunt, ſalua illorum ſuperioritate, et abſque

abſque alterius praeiudicio 1). Eius generis eſt conceſſio priuilegii nundinarum, ſtapulae 2), librorum imprimendorum etc.: itemque ius dandi protectoria 3), quibus impetrans in Caeſaris ac Imperii peculiarem tutelam recipitur: nec non poſtarum, vbi illae ſemel introductae ſunt, etc.

1) Vid. inf. Lib. VI. cap. 3. §. 1.

2) ENGELBRECHTI Diſſ. de Iure Stapulae.

3) BRAVN de Protectorio Imperii.

X. Huc referas porro ius creandi Notarios, legitimandi, reſtituendi famam, et concedendi veniam aetatis etc. quae Imperator exercenda plerumque etiam Comitibus Palatii Lateranenſis largiri ſolet. Sed hiſce paſſim, in potentiorum Statuum territoriis, poſiti ſunt limites *.

* Conf. IO. HENR. BERGERVS de Iure legitimandi Comitum Palatinorum: et HORNIVS, in Prudentia Iur. Publ. c. 44. §. 11.

XI. Inſigne Ius Reſeruatum Caeſaris eſt, quod ab illo dignitates omnes in Imperio proficiſcuntur, Principum 1), Comitum, Baronum. Cauerunt modo Status, ne dignitates Imperii conferantur, niſi bene meritis 2), neque per nouam dignitatem iuribus territorii, in quo domicilium et bona ſua habent, qui illa prouehuntur, quidquam derogetur 3). Hinc etiam Imperator ſolus eſt iudex litium, quae de praecedentia inter Status forte oriuntur. Vſque adeo Equeſtris

ſtris Ordinis inſignia non impetrantur, niſi ab Imperatore.

1) De Iure appellandi Reges, vid. ſupra Lib. III. c. 4. §. 22.

2) CAPITVL. IMPER. Art. XXII. 1 et ſequ.

3) IBID. 6. Wie denn, wo ein, oder andrer Stand, erweislich darthun würde, daß er gegen ſolches bis daher graviret, und an ſeinen Gerechtſamen, durch neue Standes-Erhebungen, beeinträchtiget worden, derſelbe mit ſeinen habenden Beſchwerden gnüglich gehöret, und das unbillig vorgegangene geändert, und abgeſtellet werden ſoll.

XII. Ex quo ipſa Imperii bona fere interciderunt, atque Imperatorum reſtricta admodum circa illa poteſtas, ſolent tamen Ius Fiſci inter Reſeruata Caeſaris recenſere: et nullibi ſane minor inuidiae locus.

XIII. Denique ipſa illa cura prouidendi, ne Imperium detrimenti quid capiat, inſignia quoque iura complectitur. Huc ſpectant, quae ſupra repraeſentauimus de poteſtate Caeſaris in bello, itemque circa foedera, et legationes. Ad talia aeſtimanda non ſufficit obſeruaſſe, quae palam fiunt, ſed illa etiam conſiderari debent, quae occultis viribus mouentur, et interdum plus valent ex obliquo.

LIB.

✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻

# LIBER VI.

## CAPVT I.

## DE TERRITORIIS STATVVM, ET SVPERIORITATE TERRITORIALI.

*Superioritas Territorialis quid? 1, 2.*
*Subiectum eius materiale Territorium. 3.*
*Diuiſio Territorii in feudale et allodiale 4. In clauſum et non clauſum. 5. 6. In purum et mixtum. 7.*
*Subiectum S. T. formale ſunt ipſi Imperii Status. 8.*
*Superioritas Territorialis, vt ſubordinata ſit ſummae Reipublicae? 9. vt differat a Maieſtate? 10.*
*Origo eius, et varia incrementa. 11.*
*Modi eam acquirendi originarii. 12. Et deriuatiui. 13.*
*Quot modis amittatur? 14.*
*De homagio. 15.*
*A Superioritate Territoriali differunt, quae ex Seruitute aliqua debentur. 16.*
*Non imminuitur, ſi praedia quaedam ab alio Statu in feudum accipiuntur. 17.*
*Partes Superioritatis Territorialis. 18.*

Vidimus, quomodo vniuerſa Imperii res adminiſtretur, et quibus in cauſis Ordinum Conſenſus, conſiliumue requiratur. Iam repraeſentanda poteſtas, qua Status Imperii, in Territorio quisque ſuo, vtuntur, quae ſtylo Iuris publici Superioritas Territorialis vocatur *. Id nomen ſerius innotuit: cum antea regalium, iurisdictionis, item Imperii mixti et meri appella-

pellatione, Statuum in territoriis ſuis poteſtas deſignari conſueuiſſet.

* Ex profeſſo de Superioritate Territoriali egit MINGIVS, et LYNCKERVS. HERTIVS quoque in Diſſertatione, quae reperitur Vol. I. Opuſculorum T. I. p. 183. et AVCTOR Meditationum ad Inſtrumentum Pacis Oſnabrugenſe, in Mantiſſa I. ad Specimen IV.

II. Superioritatem Territorialem definiunt Iuris publici Scriptores, quod ſit *ſuprema in territorio poteſtas, tam in Eccleſiaſticis, quam in Politicis, Statibus Imperii competens, niſi reſtrictio ex legibus Imperii, vel pactis, appareat.*

III. Subiectum eius eſt aliud materiale, aliud formale. Subiectum materiale eſt Territorium: quod vulgo definiunt *diſtrictum, cui iurisdictio inhaeret.*

IV. Idque vulgo diuiditur in feudale et allodiale.

V. Item in clauſum, et non clauſum. Quae diuiſio variis controuerſiis * originem dedit. Clauſum vocatur, quod certis limitibus ita eſt diſtinctum, vt quicquid in illo continetur, cum ratione perſonarum, tum ratione bonorum, et rerum, Superioritati vnius Domini eius ſubſit.

* Vid. HILDEBRAND de Territorio clauſo, et non clauſo. LVDERVS MENCKENIVS de Vi Superioritatis Territorialis in territoriis Imperii clauſis. IO. BALTHASAR WERNHER de Probatione Landſaſſiatus ex ſitu terrarum.

VI.

VI. Non clauſum dicitur, vbi plures Domini in certo Diſtrictu, ita Iurisdictione Territoriali gaudent, vt quilibet in ſuos homines, eorumque bona, et res, eandem priuatiue exerceat *.

* Conf. HILDEBRAND. l. c. §. 5. et 10.

VII. Diuiduntur etiam territoria in pura, et mixta: illa ſunt, quae vnum tantum habent dominum: haec, quae plures habent condominos, qui iura Superioritatis Territorialis indiuiſim exercent *.

* De Condominio Territoriorum extant Diſſertationes LAVTERBACHII, FROMMANNI, SENCKENBERGII.

VIII. Subiectum formale, et proprium Superioritatis Territorialis ſunt Status Imperii, aut qui bona iure territorii praedita poſſident*.

* AVCTOR Meditationum ad I. P. l. c. §. 16.

IX. Superioritas haec, quantumuis in Territorio vigeat, ſubordinata eſt vniuerſae Reipublicae 1); cuius indoli, et legibus, vt ipſa vigorem debet, ita faſces ſuos veluti ſubmittit 2).

1) Quid agendum ſubditis, vbi contraria Imperator, et Dominus Territorii praecipiunt? expendit AVCTOR Meditationum ad Inſtrumentum Pacis l. c. §. 25. 26. ſeq.

2) Etiam Principes, qui Regna extra Germaniam tenent, in Imperio tamen, et negotiis, quae illis, vti Statibus eiusdem, obtingunt, leges illius, et obſeruantiam ſequuntur. Ita Fridericus Wilhelmus, Elector Brandenburgicus, de Rege Sueciae, quando is in Controuerſia, cum

cum ciuitate Brema, vt Regem ſe agere profiteri vellet, apud PVFENDORFIVM Lib. IX. §. 82. *Quamquam forte Wrangelius ſit excepturus, in hac cauſa Regem conſiderari non vt Ducem Bremenſem, ſed vt Regem Sueciae; eoque auocatoria, inhibitoria, et protectoria edicta inania eſſe, quae partim contra extraneum Regem locum non habeant: partim alia forma adornata eſſe debeant; eam tamen exceptionem a Caeſare et Imperio non curari, quia eo ipſo Suecorum cauſam deteriorem reddi, quod nulli extraneo Regi liceat, peregrinum exercitum in ſolo Imperii habere, et ciuitatem, quae in notoria poſſeſſione immediati Status ſit, obſidio premere.*

X. Vnde etiam differentia patet, quae ſecundum doctrinae ciuilis principia, inter Maieſtatem, in Regno libero, et Superioritatem hanc Statuum, in territoriis ſuis, intercedit *.

* Expendi hic meretur VLR. OBRECHTI epiſtola ad Regem Ludouicum XIV: *ſur la diſtinction du Droit de Domaine ſupreme, d'avec celuy de la Superiorité Territoriale*, in Hiſtoria Alſatiae, inter Probationes p. 175.

XI. Originem Superioritatis Territorialis, et varia incrementa tradiderunt, qui de induſtria hoc argumentum explicandum ſumſerunt 1). Coepit illa, ex quo Proceres territoria, ſeu vniuerſitatem agrorum, cum imperio, poſſederunt: ſiue auito patrimonii iure poſſiderent, ſiue Imperatorum beneficio. Et ſecundum ipſas feudorum conſuetudines, magna erat Vaſallorum maiorum, in regalibus feudis poteſtas. Succeſſu temporum et iura regalia aucta ſunt: et ipſa quoque territoria. Caeterum vti non eadem vbique origo, ita nec iidem vbique tituli, et modi incre-

incrementorum indicari poſſunt 2). In genere autem ſtabilita eſt per Capitulationes Caeſarum, et maxime per Pacem Veſtſalicam.

1) Conf. HERTIVS in Diſſ. de Specialibus Romano-Germanici Imperii Rebus publicis.

2) Originem, et incrementa Statuum Imperii, et cauſas, quae illis ad potentiam, et auctoritatem profuerunt, attigi ſupra Libro IV. Cap. 1. §. 8.

XII. Modi acquirendi ſunt vel originarii; vt infeudatio, et praeſcriptio aduerſus Imperium *.

* Praeſcriptionem aſſerit HERTIVS §. 61. et AVCTOR Meditationum ad Inſtrumentum Pacis l. c. p. 19. 20. Conf. MICHAELIS GRASSI Diſſ. de Praeſcriptione Superioritatis territorialis acquiſitiua.

XIII. Vel deriuatiui, vti electio, ſucceſſio, et exemtio, ſeu praeſcriptio aduerſus alium Statum.

XIV. Amittitur omnibus illis modis, quibus ipſum territorium amittitur 1): exemtione, qua ex immediato territorio mediatum efficitur: itemque declaratione in bannum, aut priuatione regalium 2).

1) Eſt enim ius reale, quod in re ſubſiſtit, adeoque re amiſſa, quae neceſſarium et proprium fundamentum fuerat, nequit ſubſiſtere.

2) Vid. Dn. ab HENNIGES loc. cit. §. 43. ſeq. Is, vbi de caſu feloniae egit, mox §. 46. ſubiungit: *qui cauſas hic adducunt, ob quas feudo priuari poteſt vaſallus, meminiſſe debent, quantum conditio Statuum Imperii, a communibus feudorum placitis, differat.*

XV. Subditi in territoriis dominorum ad obſequium adſtringuntur per homagium, ſiue iuramentum ſubiectionis. Differt ab eo iuramentum clientelare, quo feudale tantum vinculum

inducitur. Saepe vero vtrumque concurrit *. Suntque in Germania territoria, in quibus pro regula eſt: *Vaſallos ſimul eſſe Subditos.* Differt etiam fidelitas miniſterialis, qua quis non abſolute, ſed ratione muneris concrediti ſe obligat.

* Vid. HORNII Iurisprudentia Feudalis cap. 13. §. 3.

XVI. A partibus Superioritatis Territorialis diſtingui debent iura particularia, quae Status ſaepe, in alterius Status territorio, habent, ad modum ſeruitutis, et quidem vel iure feudi, vel ex priuilegio, vel ex pacto, aut denique praeſcriptione 1). Talia ſunt Ius Aperturae 2) Ius Albergariae 3), aut Hoſpitationis, Ius conducendi, curſus publici, etc.

1) Conf. ENGELBRECHTVS de Seruitutibus Iuris Publici.
2) WILHELMVS DECKHERVS, et AHASVERVS FRITSCHIVS de Iure Aperturae.
3) Atzungs-Gerechtigkeit: vi cuius aduentanti hoſpitium, eſculenta, et potulenta, gratis debentur.

XVII. Neque Superioritati Territoriali officit, ſi partes quaedam ab aliis Imperii Statibus in feudum accipiuntur: neque ſi praedia quaedam, intra Territorium ſita, alium habent Dominum feudalem.

XVIII. Superioritas Territorialis, aeque ac Maieſtas ipſa, conſideratur ratione diuerſarum facultatum, quas ICti ſubinde Regalia appellant. Eas iam, prouti vel ad ipſum territorium referuntur, vel extra illud ad exteros quoque pertingunt, eodem ordine recenſebimus, quo ſupra iura regalia Imperii vniuerſi, immanentia, et transeuntia, propoſita fuerunt.

# CAPVT II.

## DE IVRIBVS STATVVM CIRCA SACRA.

*Ius Statuum circa Sacra ad Superioritatem Territorialem pertinet. 1.*
*An titulo Iuris epiſcopalis A.C. addictis tribui debeat? 2.*
*Eius origo et conſtitutio. 3. 4.*
*Ius Reformandi, vt limitatum? 5. in ſpecie intuitu Catholicorum et Proteſtantium? 6.*
*De tolerantia ſubditorum diſſentientium. 7.*
*De emigratione. 8.*
*De Simultaneo. 9. Hiſtoria illius controuerſiae. 10.*
*Exceptio a regula in terris hereditariis Domus Auſtriacae. 11.*
*De Statu Religionis Euangelicae in Sileſia. 12.*
*Ius reformandi, vt limitatum inter Proteſtantes ipſos? 13. 14.*
*Pactorum de iure circa Sacra auctoritas. 15.*
*Ius Sacrorum in Territorio oppignorato. 16.*
*Ius Statuum circa conſtitutionem Miniſtrorum Eccleſiae. 17.*
*De iurisdictione Statuum Eccleſiaſtica: et quatenus fundata ſit in ſubditos diuerſae Religionis? 18.*
*De bonis Eccleſiaſticis: in ſpecie de reditibus ex alieno Territorio. 19.*
*De vſu bonorum Eccleſiaſticorum apud Proteſtantes: vbi et de Seculariſatione. 20.*
*De Iure Statuum Euangelicorum circa reliquam cultus externi curam. 21.*

Partes Superioritatis Territorialis eodem fere ordine, quo ſupra Maieſtatis Iura, luſtrabimus. Primum locum obtinet Ius circa Sacra 1), quod Statibus in territorio, vi Superioritatis, competit 2).

1) Illud definiuimus ſupra Lib. V. cap. 1. §. 11.

2) INSTRVMENTVM Pacis Oſnabrugenſe Art. 5. §. 30. *Cum eiusmodi Statibus immediatis, cum Iure Territorii et*

*et Superioritatis, ex communi per totum Imperium hactenus vſitata praxi, etiam ius reformandi exercitium religionis competat.* Ad ſolam vero Superioritatem Territorialem hoc Ius refertur: et in ſpecie cauetur, ne titulo Dominii directi Feudalis, aut Iurisdictionis, aut Patronatus, Ius Reformandi aliquis inuadat. IBIDEM V. §. 42-44.

II. Adeoque non opus eſt ius aliquod Papale, aut Epiſcopale comminiſci, idque Statibus Imperii Proteſtantibus attribuere, vt inde deducatur Ius, quod circa Sacra exercent *.

* Conf. BOEHMERVS de Iure Epiſcopali Principum Euangelicorum.

III. Scilicet iam olim Statibus Imperii, pro antiqua libertate, et in terris ſuis auctoritate, portio quoque illius iuris, quod in genere ſummae poteſtati ciuili circa Sacra competit, accreuit *.

* Vid. IO. GEORGII REINHARDI Lib. de Iure Principum Germaniae, cumprimis Saxoniae, circa Sacra, ante Tempora Reformationis exercito. An. 1717. 4.

IV. Id inprimis in conuerſione Sacrorum, quae Seculo XVI. contigit, exercitum, et in Pace Religioſa, et Veſtfalica agnitum, atque multo amplius aſſertum eſt. Ita tamen, vt certae ſimul cautiones adiicerentur. De quibus cum ſupra actum ſit *, hic tantum obſeruationes aliquas addemus, de illarum ad Statum Territoriorum ſingulorum applicatione.

* Lib. V. cap. I. §. 14. et ſeqq.

V. Ad primum caput quod attinet, tuitio doctrinae publicae, et ius reformandi, ita competit

petit Statibus, ne vltra tres, in Pace Veſtfalica deſignatas, cultus et religionis ſpecies, euagetur. Hic itaque deſignandae erunt limitationes, quibus illae erga ſe inuicem conſtringuntur.

VI. Scilicet intuitu Catholicorum, et Proteſtantium conuenit *, *vt qui ſubditi a religione domini diſſentientes A. MDCXXIV. quacunque anni parte, ſiue ex pacto, aut priuilegio, ſiue longo vſu, aut ſola denique dicti anni obſeruantia, ſeu publicum, ſeu priuatum religionis exercitium habuerint, illud quoque in poſterum retineant.* In Palatinatu ſtatus, qui ante motus Bohemicos fuerat, pro norma eſſe debebat.

* Art. 5. §. 31.

VII. Si dicto anno adfuerint diſſentientes a religione dominante, qui nec publicum nec priuatum Sacrorum exercitium haberent, aut ſi aliqui poſt tempora Pacis Veſtfalicae demum ab auita religione diſceſſerint, arbitrio, et moderationi domini relictum eſt, velitne tolerare eos, an iubere, vt emigrent *. Si tolerare placuerit, de modo tolerantiae paciſci optimum eſt. Certe ipſa tolerantiae indoles exigit, ne conſcientiae vis inferatur, neque prohibeantur, quin apud vicinos religionis ſuae participes, ſacris myſteriis interſint, liberos illis initiari, et vel ibidem, vel domi, a praeceptoribus ſuae religionis erudiri curent, ac priuatim lectione librorum ſeſe ad pietatem excitent.

* Art. 5. §. 34. *Placuit porro, vt illi Catholicorum ſubditi, Auguſtanae Confeſſioni addicti, vt et Catholici Auguſtanae Confeſſionis Statuum ſubditi, qui An. 1624. publicum, vel etiam priuatum religionis ſuae exercitium, nulla anni parte, habuerunt, nec non qui poſt pacem publicatam, deinceps futuro tempore diuerſam a territorii domino religionem profitebuntur, et amplectentur, patienter tolerentur, etc.*

VIII. Quodſi emigrare iuſſerit, aut illi ſponte ſua emigrare voluerint, (nam et hoc licet, ceſſatque eo in caſu ius prohibendi, quod interdum ciuitati in ſingulos competit) illis, qui iam ante Pacem Veſtfalicam *, diuerſam religionem profeſſi fuiſſent, quinquennium ſtatuebatur, qui impoſterum amplecterentur, triennium.

* Art. 5. §. 36.

IX. Ex hac norma Anni MDCXXIV. contendunt Proteſtantes, non licere alterius religionis exercitium ſuperinducere: in eamque ſententiam et Imperii Iudicia iuerunt. *.

* Talia mandata S. C. e Camera Imperii emiſſa, recenſet DECKHERRVS in Conſultatione Forenſi cap. 58. n. 21.

X. Simultaneum vocant huiusmodi cultum. Qualem vtrum inducere liceat, ſtatim poſt Pacem Veſtfalicam diſputari coepit 1). Eaque controuerſia, poſt Pacem Ryſuicenſem, maximopere recruduit 2).

1) Ad hiſtoriam controuerſiae notari merentur ſequentia. Prodierunt primum pro adſtruendo Simultaneo duo ſcripta: Alterum in cauſa Capucinorum Hildeſienſium: ſub titulo: *Synopſis fundamentorum*, vermög welcher be-

ſtändig

ſtändig behauptet werden kan, daß das Ius reformandi, ſeu de religione diſponendi, dem *Iuri Territoriali* anklebe, und davon dependire, ꝛc. Alterum in cauſa Loeuenſteino-Verthemenſi, hoc titulo: *Deductio ſolida*: *primo*, daß kein *Dominus territorialis in puncto religionis, rerumque exinde dependentium, extra caſus in inſtrumento pacis exceptos, ad An.* 1624. *eiusque Statum* gebunden ſey. *Secundo*, daß der *Status An.* 1624. ad *res liberae facultatis, mere ſecularia, politica, et adiaphora, ſine manifeſta contrauentione pacis* nicht könne gezogen, und allegiret werden: cuius auctor habetur SCHVTZIVS, Cancellarius tum Loeuenſteinenſis, et Aſſeſſor poſtea Camerae Imperialis. Recrudeſcente controuerſia in Epiſcopatu Hildeſii, prodibant in lucem An. 1696. Vindiciae des hochverletzten Landes-Fürſtl. Reſpects und Gehorſams. ꝛc. Sed iis mox oppoſita eſt: *Facti ſpecies*, oder wahrhafter Bericht und Gegen-Demonſtration ꝛc. Hannouerae 1696.

2) Ryſuici deinde, dum de pace conſultaretur, diſtribuebatur breue ſcriptum contra Simultaneum, occaſione Status Proteſtantium in Palatinatu compoſitum, ſub titulo: Wahrhafte, und in dem *Inſtrumento Pacis* gegründete Auslegung der Fragen, ob ein Catholiſcher Fürſt, in ſeinem Fürſtenthum, darinnen das exercitium Euangelicae religionis, reſpectiue An. 1618. und 1624. bloß, und allein in Uebung geweſen, ſein religionis exercitium introduciren könne? Sed illi, quibus potiſſimum opponebatur is libellus, tum quidem alio adhuc obice cauſam ſuam firmaturi, vt in ipſa pacificatione Articulo IV. illa tot querelis poſtmodum agitata clauſula adiiceretur, impetrarunt. Poſt aliquot vero annos ſcriptum illud refutare aggreſſus eſt CHRISTIANVS RITMEIERVS in *Vindiciis iuris reformandi*. Ei reſponſum in Tr. *de Iure Reformandi*, Gieſſae 1710. Nuper itidem pro negatiua in Comitiis Ratisbonenſibus, duo edita ſunt ſcripta: quorum alterum Urſprung, alterum Ungrund des *Simultanei*, inſcribitur. Add. Geſpräch vom *Simultaneo*, etc. et SCHWEDERI Diſſ. de Coëxercitio, ſiue Simultaneo vtriusque religionis exercitio, licito, et illicito.

XI. Sed ab hac regula Anni MDCXXIV. exceptus eſt in ipſa Pace Veſtfalica ſtatus vaſallorum, et ſubditorum Proteſtantium, in terris haereditariis Domus Auſtriacae *.

* IBIDEM Art. 5. §. 41.

XII. Et in ſpecie de ſtatu religionis in Sileſia peculiaris diſpoſitio in eadem Pace facta *.

* Art. 5. §. 38. ſeq. Is ſtatus confirmatur et illuſtratur per Conuentionem Ranſtadienſem D. Ioſephi, cum Rege Sueciae, An. 1707. initam.

XIII. Proteſtantes quoque Imperii Status, A. C. addicti, et qui in ſpecie Reformati vocantur, poſt acrem contentionem, de mutuo reformandi iure, in eadem Pace tranſegerunt. Qua in re ſequentes caſus notandi ſunt. Si illorum aliquis poſt Pacem Veſtfalicam demum ad alteram Proteſtantium communionem tranſierit, aut quacunque ratione territorium, cuius incolae diuerſa Proteſtantium ſacra ſequantur, conſecutus fuerit, nullum ipſi reformandi ius competit. Licet tantum concionatores aulicos ſuae confeſſionis, citra ſubditorum onus, ſecum, atque in reſidentia habere *. Si vero aliqua communitas domini religionem amplectatur, exercitium eius concedere quidem fas eſt, ſed vt proprio ſumtu, et ſine reliquorum praeiudicio, illud in ſtruat.

* IBIDEM Art. 7.

XIV.

XIV. In regione, quam ante Pacem Veſtfalicam tenuerunt, ſi diuerſam a ſubditis religionem Dominus iam antea profeſſus fuerit, liberior eius facultas eſt. Sed pacta cum aliis forte Statibus, aut cum ſubditis ipſis, de conſeruando Statu Sacrorum inita, dataeque reuerſales, priuilegia, et diſpoſitiones quaecunque de religione, eiusque exercitio, et dependentibus inde aliis iuribus, ſalua ſunt *.

* IBIDEM circa fin. Conf. AVCTOR Meditationum ad h. l.

XV. Eiusmodi pactorum, quae Status inter ſe, vel cum ſubditis inierunt, priuilegiorumque, et reuerſalium literarum vis, in inſtrumento Pacis, eadem religione ſancitur, ac ſi diſertis verbis inſerta eſſent: tam ratione Catholicorum et Euangelicorum, modo obſeruantiae dicti Anni MDCXXIV. non aduerſentur 1): quam Proteſtantium, inter ſe 2), ſiue ante Pacem, ſiue poſt illam, inita conceſſaue fuerint 3).

1) IBIDEM V. 33. *Pacta autem, transactiones, conuentiones, aut conceſſiones, quae inter tales immediatos Imperii Status, eorumque Status prouinciales, et ſubditos ſupradictos, de publico, vel etiam priuato exercitio religionis introducendo, permittendo, et conſeruando ante hac interceſſerunt, initae et factae ſunt, eatenus ratae, et firmae manento, quatenus obſeruantiae dicti anni 1624. non aduerſantur, nec ab iisdem, niſi mutuo conſenſu recedere liceat.*

2) IBIDEM Art. 7. *Saluis ſemper Statuum inter ſe, et cum ſubditis ſuis, conuentis pactis, priuilegiis, reuerſalibus, et diſpoſitionibus aliis, quibus de religione, eius exercitio, et inde dependentibus, cuiusque loci Statibus, hucusque prouiſum eſt.*

3) Qua-

3) Quale pactum Carolus Ludouicus, Elector Palatinus cum agnato Neoburgico, Halae Sueuorum iniit: quale etiam initum in Domo Hohenloica. Ita paſſim, in tabulis pacis, negocium religionis ad eiusmodi pacta remittitur. E. g. Art. 5. §. 27. diſertis verbis diſponitur, *vt in territorio, quod Dominus reluit, de publico religionis exercitio inter ipſum et ſubditos tranſigatur.*

XVI. De Territorio, quod Status a Statu, pignoris iure, accepit, peculiaris eſt diſpoſitio. Aſſertum in eo ius reformandi, ſed ita, vt vbi prior Dominus Territorium reluat, religionis, quam ipſe profitetur, exercitium introducere fas ſit *, ſalua tamen libertate conſcientiae ſubditorum.

*Instrumentum Pacis Art. 5. §. 27.

XVII. Relatio Sacerdotii erga Ciuilem Poteſtatem apud Status Catholicos eſt, qualem ſupra delineaui. Apud Proteſtantes circa conſtitutionem miniſtrorum Eccleſiae obtinet, vt licet magiſtratus inferiores, vel communitates, et priuati etiam, habeant ius patronatus; electus, et praeuio examine ordinatus, auctoritate domini territorii confirmetur. Ab eadem ſumma poteſtate conſtituuntur quoque Superintendentes, ſiue inſpectores Eccleſiae.

XVIII. Statum quoque iurisdictionis Eccleſiaſticae per Germaniam, in genere, iam ſupra expoſui. Eam Principes potentiores, Auguſtanae Confeſſioni addicti, plerumque per Conſiſtoria exercent. A quibus tamen prouocatio

datur

datur ad Senatum Regiminis prouincialis 1). Hoc argumentum valde exagitatum eſt, orta quaeſtione de Iurisdictione Domini Territorialis, in cauſis Eccleſiaſticis ſubditorum, alteri religioni addictorum 2).

1) Hic diſtingui coepit circa actus iurisdictionis inferioris; quam Status nonnulli Prouinciales in Conſiſtorio ſubordinato exercent: et iurisdictionem Eccleſiaſticam ſuperiorem, quae ſoli Domino Territorii competit.

2) De hoc argumento conf. L. B. a LYNCKER Diſſ. *de eo quod iuſtum eſt circa perſonas diuerſae religionis.* In ſpecie ventilata eſt quaeſtio: An Principi Catholico, in Territorio competat Iurisdictio Eccleſiaſtica, in ſubditos A. C. addictos? Pro Affirmatiua militat Scriptum, ſub titulo: Die auf das allerbeſt gegründete Iurisdictio Eccleſiaſtica, Catholiſcher Landes-Herren, über ihre proteſtirende Unterthanen. Occaſionem controuerſiae, et ſeriem ſcriptorum quae vtrinque prodiere, vide in der Reichs-Fama, An. 1727. m. Ianuario, p. 95. et m. Febr. p. 204.

XIX. De bonis Eccleſiaſticis immediatis, Status Anni MDCXXIV. itidem in Pace Veſtfalica, pro norma poſitus, ita vt quaecunque, ſeu Catholici, ſeu Auguſtanae Confeſſioni addicti, Kal. Ianuarii, eius anni, poſſederint, in poteſtate ac ditione illorum maneant 1). Idem terminus, intuitu quoque bonorum Eccleſiaſticorum mediatorum ſtatutus eſt 2).

1) Art. 5. §. 25. ſeq.

2) Orta quaeſtio: Quid iuris circa reditus, quos eiusmodi bona ex alieno territorio olim habuerant? Et an hic quoque Status Anni 1624. pro norma haberi debeat? In vtramque ſententiam prodiere ſcripta, cauſa inter Comitem Hanouiae et ciuitatem Francofurtum diſceptata. Vid. illa in Meditationibus ad Inſtrumentum Pacis etc. Specimine VIII.

XX. Pro-

XX. Proteſtantes quidem bona huiusmodi Eccleſiaſtica, partim ſoluta religione ad alios vſus Reipublicae transtulerunt *: Partim Eccleſiis, ſcholis, aliisque piis cauſis deſtinarunt: relicta fere priſtina immunitate, vt adeo praeſumantur priuilegia piarum cauſarum ſupereſſe; niſi aliud doceatur.

* Inde orta vox Seculariſatio: conf. CHRISTIANI THOMASII Diſſertat. de Bonorum ſeculariſatorum natura.

XXI. Quod attinet ad eam iuris circa ſacra partem, quae cultus externi ordinem et ritus reſpicit, habent hic Status, in ſuo quisque Territorio, quod ſupra Summae Poteſtati ciuili, in genere, aſſertum fuit. Non tamen exercent illud eodem modo, ſed pro diuerſa ſacrorum, quibus ipſi, et ſubditi, addicti ſunt, indole. Apud Proteſtantes non licet aliquid circa cultum publicum immutare, citra Domini Territorialis, quam Senatus Eccleſiaſticus repraeſentat, auctoritatem. Atque huc retulerunt fere, quaecunque tempore Hierarchiae Pontificiae, ad legem Dioeceſanam ſpectabant: e. g. cognitionem de celebrandis, inſtituendisue diebus feſtis, de condendis, deque vniendis Eccleſiis etc.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# CAP. III.

## DE POLITICO TERRITORIORVM REGIMINE: VBI DE IVRISDICTIONE, DOMANIIS, AERARIO etc.

*Monita generalia circa Regimen Territorii Politicum. 1.*
*Iurisdictio. 2. vbi de poteſtate legislatoria. 3. Et iudiciaria. 4. Ius diſpenſandi : et aggratiandi. 5. Concedendi veniam aetatis 6. Legitimandi, Reſtituendi famam. 7. Dandi priuilegia etc. 8.*
*Cura Politiae. 9. Vbi de iure Commerciorum. 10. Nundinarum, et Stapulae. 11.*
*Ius Armandiae. 12.*
*Ius circa vias publicas, vbi de iure conducendi. 13. Circa flumina. 14. Vbi de Traiectu, et iure Grutiae. 15.*
*Ius portuum, et Regalia maritima. 16.*
*De mineris, ſalinis etc. 17.*
*De Dominio eminenti. 18.*
*De iure Fiſci. 19. Res fiſcales quaenam? 20. et ſequ.*
*Bonorum Fiſcalium diuerſitas: vbi de Domaniis, et patrimonio Principis. 22.*
*Domaniorum diuerſitas ratione originis. 23. Ratione modi habendi. 24. Et adminiſtrandi. 25.*
*De aerario prouinciae. 26. Statuum Imperii circa illud iura. 27.*
*Res Fiſci an alienari poſſint, cum diſtinctione expenditur. 28. ſeq.*

Regimen Politicum curas omnes, quibus Territorii ſecuritas, et felicitas ciuium innititur, comprehendit. Hic in genere notandum, ſtare hoc Regimen poſſe cum maieſtate Rei Publicae vniuerſae, iuribusque Caeſari reſeruatis 1). Quamuis autem Status in territorio Superioritate ſua gaudeant, atque adeo ſingulae illae per

Germa-

Germaniam Reſpublicae in multis rebus conueniant, exercitium tamen Superioritatis Territorialis, et communis Rei adminiſtratio, non eodem vbique modo ſe exſerit 2). Neque adeo ex generali aliqua formula illam metiri licet, ſed praeter ea, quae in legibus et obſeruantia Imperii fundata ſunt, ad ſpecialia cuiusuis Territorii inſtituta, reſpici debet. Neque eadem Regalia omnibus Statibus conueniunt, ſed ipſa illorum potentia diſcrimini locum facit.

1) Conf. CHRISTIANI THOMASII Diſſ. de Iniuſta Oppoſitione Iurium Maieſtaticorum, Superioritatis Territorialis, et Reſeruatorum Imperialium.

2) Vt adeo locum habere poſſit illud Poëtae:

*- - - Facies non omnibus vna*
*Nec diuerſa tamen, qualem decet eſſe ſororum.*

II. Inter haec Superioritatis Territorialis Iura maximi eſt vſus Iurisdictio, in ſenſu lato ſumta, qualem ſupra deſcripſimus, quamque hodie nemo facile, cum iurisdictione Magiſtratuum apud Romanos, confundet*.

* Vid. HERTII Diſſ. de Conſultationibus, Legibus, et Iudiciis, in Specialibus Romano-Germanici Imperii Rebuspublicis. Vol. I. T. II. p. 406.

III. Ac poteſtatem quidem ferendi leges, (cuius autonomiae in nonnullis Territoriis antiquiſſima eſt origo *), ipſae leges Imperii diſertis verbis agnoſcunt. Iudicia quoque Imperii ſecundum eas, pro indole cauſarum, ius reddunt.

* Scilicet iam olim populi Germanici, Saxones, Alemanni, Boioarii, proprias leges, et auitas conſuetudines retinuere.

IV. Po-

IV. Poteſtatem iudiciariam Status Imperii per diuerſa collegia, quibus eccleſiaſticam, ciuilem, feudalem, militarem, criminalem, iurisdictionem demandarunt, exercent *. A iudiciis etiam municipiorum et vaſallorum, qui iurisdictionem ex Principis beneficio tenent, ad Regimen Prouinciae recurritur.

* Multum illa conualuit afferto iure primae inſtantiae, et non euocandorum Ciuium, de quo conf. KEMMERICHI Diſſ. de Priuilegio de non euocando.

V. Itaque et diſpenſare poſſunt, mitigare poenam, aut condonare (quod *ius aggratiandi* vocant) in caſibus, in quibus id diuino, et Imperii publico iure, permiſſum eſt.

VI. Pari auctoritate veniam aetatis concedunt, eo effectu, vt qui hoc beneficium obtinuerit, vbique locorum legitimae aetatis eſſe cenſeatur *: quoniam, cum de actus validitate quaeritur, ad locum, vbi ſuſceptus eſt, reſpici ſolet.

* L. B. a LYNCKER in Analectis ad SCHWEDER. p. 48.

VII. Nec minus licet natalium defectus ſupplere, et famam reſtituere *.

* Dn. GRIBNERVS de Iure legitimandi Principum Imperii. Item de Iure Principum Imperii reſtituendi famam.

VIII. Itemque priuilegia dare, moratorias indulgere, etc.

IX. Cura Politiae in vnoquoque territorio

domino eius maxime incumbit, vnde et peculiari in plerisque territoriis lege ſancita eſt.

X. Huc et iudicium de inſtituendis iuuandisque commerciis pertinet; modo communi libertati, et aequabilitati Iuris, quae per leges publicas omnibus Imperii membris competit, non derogetur.

XI. Mercatum etiam, et priuatas nundinas, Dominus Territorii concedit. Ad ſolemnes autem nundinas priuilegio Imperatoris opus eſt, itemque ad ius Stapulae 1), cuius ea vis eſt, vt neceſſe ſit illo in loco merces appellere 2). Huiusmodi enim priuilegia effectu, etiam extra territorium, gaudent.

1) Vid. ENGELBRECHTI Diſſ. de Iure Stapulae.

2) Idque competit vel in genere, ne praeteruehere merces fas ſit, quaſi iure gaudent vrbes nonnullae ad Rhenum, ad Albim, et Danubium. Vel competit intra certum diſtrictum. Ita Lipſia habet Ius Stapulae intra 15. circumcirca milliaria.

XII. Iuris armorum, ſeu armandiae, vti vocant, variae ſunt partes, vt ius circa fortalitia*, ius ſequelae, luſtrationis.

* An liceat vrbes, earumque moenia exſtruere, reficere, extendere, munire, ſine conſenſu Principis? disquirit BYNCKERSHOECKIVS Iuris Publici Quaeſtion. Lib. II. cap. 14.

XIII. Ad Superioritatem Territorialem ſpectant quoque viae publicae. Vnde ius deducendi, ſiue conductus, natum, iis temporibus, quibus ob

ob licentiam belli priuati, infeſta admodum per Germaniam itinera erant.

XIV. Nec non flumina, qua per territorium fluunt 1): niſi illud ius lege publica 2), aut priuilegio alteri Statui in fauorem nauigationis conceſſo, temperatum ſit. Praecipua vero fluminum vtilitas ex inſulis, in flumine natis, nauigatione, piſcatione.

1) In recente memoria eſt controuerſia de Dominio Rheni, ventilata occaſione pontis mobilis, (einer fliegenden Brücke) quem Comes Wiedanus iniecerat. Vid. SELECTA IVRIS PVBLICI nouiſſima P. IX. cap. 14. et ſequ.

2) CAPITVLATIO Imp. Caroli VII. Art. VIII. 7. Derentwegen Wir dann auch nicht zugeben wollen, daß, wo ein in den Rhein, oder andern Schiffbaren Strom, gehender Fluß weiters ſchiffreich gemacht werden könnte, oder wollte, ſolches durch eines oder anderen angelegenen Standes darauf eigennützig vorgenommenen verhinderlichen Bau verwehret werde; ſondern es ſollen ſolche Gebäu zu Beförderung des gemeinen Weſens, wenigſtens alſo eingerichtet werden, daß die Schiffe ungehindert auf- und abkommen, und alſo der von Gott verliehenen ſtattlichen Gelegenheit und Beneficirung der Natur ſelbſten, ein Stand weniger nicht als der andere, nach Recht und Billigkeit, ſich gebrauchen möge.

XV. Eoque ſpectat Traiectus: et ius Grutiae, ſiue ratium agendarum, deriuandarum, (Flöß-Recht).

XVI. Similiter extenditur Superioritas haec ad portus, littora, et Regalia maritima *).

* Varia exempla Statuum et Vaſallorum Imperii, in Italia aeque ac Germania, quorum territoria ad mare pertingunt, qui Regalia maritima in feudum acceperunt ab

Imperatoribus, notauit Illuſtriſſ. *Comes* BVNAVIVS, in Diſſ. *de Iure Imperii in maria.*

XVII. Porro ad Regalia referuntur Metallifodinae 1), et certo reſpectu Salinae, itemque Thermae 2).

1) Conf. IO. EISENHARD de Regali metallifodinarum Iure. Item L. B. a LYNCKER de Iure minerarum.
2) Conf. LVDOLFVS in Symphorem. P. I. n. 22. de Regali thermarum Epiſcopi Leodienſis.

XVIII. Item dominium eminens in bona, et operas ſubditorum, in vrgente neceſſitate publica.

XIX. Sunt et publica bona, quae Domanii ſeu Fiſci* nomine, (latius ſumto vocabulo) continentur, et partim dominium ipſum, vna cum fructibus, inuoluunt: partim in certis iuribus, et reditibus, qui ex ſubditorum fortunis colliguntur, conſiſtunt.

* Ius Fiſci olim Status aliquot ſpecialibus priuilegiis impetraſſe legimus. Hodie tamen ad Superioritatem Territorialem refertur. Conf. CAPITVLATIO Caeſarea Art. XV. 2.

XX. Prioris generis ſunt praedia, ſyluae, etc.

XXI. Ad alteram claſſem pertinent vectigalia, et quae tributa, pro diuerſa forma Reipublicae, vel a Principe indicta, vel a ciuibus oblata ſunt: et qui fructus Iurisdictionis cenſentur; vti mulctae, etc.

XXII. Caeterum poſſeſſiones, et reditus Principis non ſunt vnius generis. Pars enim ad ſuſtentationem Status publici, vel expreſſe, vel tacite, deſtinata ſunt, quae Domania in ſpecie vocantur.

cantur. Partem Princeps, vt priuatus, iure patrimonii poſſidet.

XXIII. Ipſae illae res domaniales non eiusdem ſunt formulae. Aliae ad vſus publicos deſtinatae ſunt originarie, et a prima territorii conſtitutione: aliae ex poſt facto, ſiue ab ipſo Principe, ſiue a populo.

XXIV. Diuerſae quoque ſunt intuitu modi, quo habentur. Aliae ad feudum pertinent, quo ab Imperio inueſtiti ſunt Principes. Aliae iure allodii poſſidentur.

XXV. Denique et intuitu modi adminiſtrandi diuerſitas eſt, in Territoriis Statuum Eccleſiaſticorum, et Secularium. Quae omnia vſui ſunt, quoties de poteſtate Principis in Domania, et bona Fiſci, et validitate alienationum, quaeritur.

XXVI. Praeter fiſcalia bona in plerisque territoriis eſt Aerarium ipſius prouinciae, quod ex collationibus ſubditorum conſtat, ex quo ſcilicet Principes, olim fiſcalibus bonis fere contenti, voluntaria ciuium tributa in ſubſidium aduocarunt. Vnde durat in nonnullis territoriis, vt caueant Principes, ſe inconſultis Ordinibus tributa non impoſituros *.

* Exemplo in hoc paſſu ſunt priuilegia regni Bohemiae, quae An. 1627. renouauit Ferdinandus II.

XXVII. Quae Ordinum prouincialium circa aerarium ſint partes, ex inſtitutis cuiuslibet regionis, pactisque et priuilegiis diiudicari debet. Domino autem Territorii directorium ipſae leges Imperii tribuunt *.

* Vid. CAPITVLATIO Caeſarea Art. XV. 3.

XXVIII. Vtrum Princeps rem fiſci vendere, permutare, donare, pignori opponere, in feudum concedere, aut alio quouis modo alienare, vel onerare poſſit, valde diſputatur? In qua quaeſtione primum bona patrimonialia diſtingui debent, ab ipſis bonis, vſui principatus publico, deſtinatis.

XXIX. Tum de his quoque non vna eſt reſponſio. In caſu quidem neceſſitatis alienari poſſe, conſenſu illorum, quorum intereſt*, non eſt dubium.

* E. g. Si Eccleſiaſtica ſint, Capituli; ſi feudalia etiam Imperatoris: in nonnullis caſibus, prouti inſtituta regionis requirunt, Statuum quoque Prouincialium.

XXX. In reliquis caſibus, pro diuerſa Reipublicae forma, et poteſtate imperantium, diverſum quoque erit iudicium, prout ſe habent priuilegia prouinciae, pacta cum Ordinibus inita, declarationes illorum, qui bona publicis vſibus addixere, etc.

XXXI. De praeſcriptione quoque aduerſus Fiſcum diuerſae ſunt Iuriſconſultorum opiniones: et inprimis an bona, publicis vſibus deſtinata, vſucapi, ſaltem tempore immemoriali, poſſint*?

* Pro Affirmatiua BRVCKNERVS in Tr. de Domanio cap. 10. §. 31. modo bona fides adſit, quam (vti et Iure Canonico neceſſaria eſt,) mores Germaniae, ad validitatem praeſcriptionis requirunt. AVCTOR MEDITATIONVM ad Inſtrumentum Pacis, Mantiſſa I. ad Specimen IV. §. 20. pro regula ponit: *quae ſunt conceſſibilia, ea etiam eſſe praeſcriptibilia.* Pro Negatiua CHR. THOMASIVS in Diſſ. de Praeſcriptione Regalium ad Iura Subditorum non pertinente.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# CAPVT IV.

## DE
## STATVVM IMPERII IVRE BELLI, PACIS, FOEDERVM ET LEGATIONVM.

*Ius belli Status olim habuerunt etiam erga ſe inuicem.* 1. *Quod ſublatum per Conſtitutionem Pacis Publicae.* 2. *De Repreſſaliis.* 3. 4. *Ius belli, intuitu exterorum quale competat?* 5. 6. *Ius Pacis: itemque Foederum.* 7. *Dubia quondam mota circa Ius Foederum.* 8. *In Pace Veſtfalica confirmatum, ſub limitatione.* 9. *Itemque in Capitulatione.* 10. *Vt vſu obtineat?* 11. *Ad Mediationem, et Guarantiam vt concurrant?* 12. *Ius legationis Statuum Imperii. Definitio Legati.* 13. *Ius legationum quot modis exerceant?* 14. *Legatorum varia diſtinctio: ratione poteſtatis tractandi.* 15. *Ratione Caracteris:* 16. *Caracter Repraeſentatitius quid?* 17. *Honores Legatorum primi Ordinis.* 18. *De Legatis ſecundi Ordinis.* 19. 20. *Diſtinctio Legatorum in ordinarios et extraordinarios.* 21. *Item in primarios et ſecundarios.* 22. *Iura omnibus Legatis communia.* 23. *Electores mittunt Legatos primi Ordinis.* 24. *Vtrum et alii Imperii Principes?* 25. 26. *Variae de Statu, et Iuribus Legatorum comitialium quaeſtiones.* 27. 28.

Vti domi pietate, iuſtitia, ſapientia, populorum felicitas procuratur, ita apud vicinos et exteros bello, foederibus, et legationibus, libertatis ſuae et potentiae documenta Principes edunt. Quod ad belli Ius attinet, Status Imperii illud quondam habuerunt etiam domi, et

erga ſe inuicem, cum et priuatis liceret controverſias ferro dirimere. Carolus IV. leges adeo diffidationibus ſcripſit *, et veluti Ius aliquod Feciale belli priuati condidit.

* Vid. AVREA BVLLA Tit. 17. et 18.

II. Sed ex quo Maximilianus I. omnem vim priuatam, Pace publica in perpetuum ſancita, prohibuit, Cameramque Imperialem inſtituit, ceſſare quidem bellum inter ciues eiusdem Reipublicae debet. Attamen vel ſic interdum itur ad arma, ſiue ceſſent iudicia, ſiue defenſionis ſpeciem, impatiens iam ciuilis modi cupiditas praetexat.

III. Species quaedam belli, certe aliquando principium, ſunt Repreſſaliae 1), cum ciuitas, ob offenſam alterius, manum iniicit in ſubditos eius, etiam innocentes, et bona eorum. Hae naturali quidem iure permiſſae cenſentur, cum atrox iniuria, et inulta, aliter vindicari non poteſt 2). Sed Status Ciuilis, in quo iudicis copia, eas non admittit.

1) A Repreſſaliis differt Ius Retorſionis, in Germania valde frequens, quo iura in cauſis ciuilibus diuerſa retorquet regio, contra alterius regionis, aut vrbis incolas, diuerſo iure vtentes.

2) Vid. GROTIVS de Iure Belli et Pacis Lib. III. cap. 2.

IV. In Imperio Romano Germanico diſertis etiam verbis prohibitae ſunt, 1) aeque vti arreſta, et pignorationes 2).

1) Vid. Conſtitutio Maximiliani II. in Comitiis Spirenſibus An. 1570. lata.

2) Conf. tamen Dn. GE. LVDOVICI BOEHMERI Diſſ. *De Principe Romani Imperii, ius ſuum armis proſequente.*

V. Aduerſus exteros priſca libertas armorum Principibus, Statibusque durat. Neque delectus modo concedunt exteris. Sed quod honeſtius, et in publicum vtilius, initis de auxilii modo foederibus, militem ipſi ad bellum adducunt, mittuntue *.

* Wilhelmus Dux Saxoniae Henrico II. Galliarum Regi 4000. milites, et Carolo IX. 5000. adduxit. De quo vid. *les Memoires de* CASTELNAV p. 390.

VI. Quin et propriis auſpiciis ſolemne cum exteris bellum gerunt 1), neque illi vniuerſo Imperio, imputare vnius alteriusue Status arma poſſunt 2). Officii tamen eſt prouidere, ne vicini, et mox Imperium vniuerſum, belli periculis inuoluantur. Et ſolent hi ipſi mox occurrere ad ſopiendum incendium.

1) Exemplum dederunt ſeculo praeterito arma Electoris Colonienſis, et Epiſcopi Monaſterienſis in Batauos: Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, aduerſus Gallos.

2) De ea re in Comitiis An. 1562. diſputatum, expoſtulantibus Regis Galliae Legatis, quod Germani copias in Galliam adducerent, in auxilium Reformatorum. Vid. *Additions aux Memoires de* CASTELNAV: et Hiſtoriam POPELINIERII Lib. 8.

VII. Ius Pacis faciendae Iure belli continetur. Foederis quoque pangendi facultas coaeua liber-

 tati

tati Statuum. Ex quo enim territoria propriis auſpiciis regunt, Superioritas Territorialis complexa eſt tam ius in res, de quibus foedera contrahi ſolent, quam facultatem valide ſeſe obligandi *.

* Vid. Recenſionem foederum, a Statibus Imperii ab Ottonis M. tempore, vsque ad Pacem Veſtfalicam initorum, quam exhibet PFEFFINGERVS ad VITRIARIVM T. III. p. 400-430. Inſtrumenta foederum ipſa pleraque extant in Collectionibus Actorum Publicorum.

VIII. Equidem interdum inuiſa haec foedera fuerunt. Et tempore belli tricennalis, maxime occaſione foederis, quod Elector Treuirenſis cum Rege Galliae inierat, de illorum iuſtitia diſceptatum *.

* Prodiit tum Scriptum Gallicum, *Iuſtification de l'Electeur de Treues, et quelle eſt la liberté des Electeurs de l'Empire, et autres Princes d'Allemagne, de faire des traitez, et alliances, avec tous les princes de la Chretienneté.* Diſcuſſa quoque haec foederum iura fuerunt, occaſione Foederis Hannouerani: Prodiit tum *Analyſe du Traité de Hannovre:* et mox ei oppoſita, *Reponſe à l'Analyſe du Traité de Hannovre.*

IX. Sed in Pace Veſtfalica diſertis verbis ius foederum Statibus confirmatum fuit*, ſub limitatione tamen, quam ipſa Statuum Imperii conditio iam ſic continebat, nimirum ne ſint contra Imperatorem et Imperium, Pacemque eius Publicam; neue auxilia, quae forte vi foederis praeſtantur, aut ab exteris Principibus petuntur, in detrimentum Imperii vergant.

* Vid.

* Vid. INSTRVMENTVM Pacis Osnabrugenſe Art. 8. §. 2. *Cumprimis vero ius faciendi inter ſe, et cum exteris foedera,, pro ſua cuiuscunque conſeruatione ac ſecuritate, ſingulis Statibus, perpetuo liberum eſto, ita tamen, ne eiusmodi foedera ſint contra Imperatorem et Imperium, pacemque eius publicam, vel hanc imprimis transactionem, fiantque ſaluo per omnia iuramento, quo quisque Imperatori, et Imperio obſtrictus eſt.*

X. Id repetitum in Capitulatione Caeſarea *.

* Art. VI. 4. 5. So viel aber die Stände des Reichs insgemein belanget, ſoll denenſelben allen und jeden, das Recht, Bündniß unter ſich, und mit Auswärtigen zu ihrer Sicherheit und Wohlfahrt zu machen dergeſtalt frey bleiben, daß ſolche Bündniſſe nicht wider den regierenden Römiſchen Kaiſer und das Reich, noch wider den allgemeinen Land-Frieden, und Münſter- und Oßnabrückiſchen Friedens-Schluß ſeyn, und daß dieſes alles nach laut deſſelben, und unverletzt des Eides geſchehe, womit ein jeder Stand dem regierenden Römiſchen Kaiſer, und dem Heil. Römiſchen Reiche verwandt iſt: Daß auch die von fremden Potentaten begehrende Hülfe, alſo und nicht anders begehret werde, noch gethan ſey, denn, daß dadurch dem Reiche keine Gefahr, noch Schaden zuwachſen möge.

XI. Intra hos fines libere foedera ineunt Status cum Imperatore ipſo, interque ſe mutuo, et cum exteris. Equidem conſenſum Imperatoris requiri debere, vt ita cognoſcatur, vtrum foedus Imperio contrarium ſit, poſtulatum eſt in Conſultationibus de Pace Veſtfalica. Sed iam tum reſponſum: Rem cuiusuis fidei et periculo relinquendam, neque praeſumendum aliquem officii obliuiſci, aut diſcriminis, quod hoſtilia aduerſus Imperium parantibus immineat.

XII.

XII. Suſcipiunt etiam Meditationem et Guarantiam *, quae belli et foederum iuribus cohaerent, inter alios populos, principesque, tam intra Imperium, quam extra limites eius.

* Exempla Meditationis praebet conuentus Hagae Comitum An. 1608. pro Pace vel Induciis inter Hiſpanos et Belgas procurandis, in quo praeter Regum Galliae, Angliae, et Daniae miniſtros, Legati etiam Electorum aliquot, et Principum Imperii officio Mediatorum functi ſunt. Guarantiae inſigne exemplum habemus in hiſtoria Friderici Wilhelmi, Electoris Brandenburgici, qui pro ſeruandis inter Imperium et Galliam XX. annorum induciis, fidem obſtrinxit Regi Galliae. Vid. Reichs Archiv, Fortſetzung der II. Continuation p. 177. Cautionem Electorum Saxoniae, et Brandenburgici, in Tractatu Altenauienſi interpoſitam vid. IBIDEM II. Continuation, zweyte Fortſetzung p. 225.

XIII. Ius Legatos mittendi Status exercent, non tantum communi nomine vniuerſi, ſed etiam ſinguli *. Legati autem nomine, cum ampliſſima ſit vocis ſignificatio, hic intelligitur *miniſter publicus, ab eo, qui ſummam poteſtatem, vel ei analogam habet, miſſus ad alium principem, aut ciuitatem liberam, vt ibi vi mandati, res domini agat.*

* Praeter Scriptores, qui de Legatis in genere commentati ſunt, huc pertinet KVLPISII Diſſ. de Legationibus Statuum Imperii: et qui maximi merito habendus eſt, DNI. ab HENNIGES libellus, quem ſub nomine IVSTINI PRESBEVTAE, de Iure Legationis Statuum Imperii, edidit.

XIV. Mittunt itaque Status Imperii Legatos, tam ad ſe inuicem, quam ad Imperatorem 1), et Reges, Statusque exteros 2).

1) Conf.

1) Conf. CAPITVLATIO IMPERIAL. Art. XXIII. 2. Allen des Heil. Reichs Churfürſten, Fürſten und Ständen, ſo wohl als Ihren Bothſchaftern, und Geſandten (die von der gefreyten Reichs-Ritterſchaft abgeordnete mit begriffen) jederzeit ſchleunige Audienz, und Expedition, ertheilen ꝛc.

2) Hagae Comitum An. 1710. dubitabatur de caractere Legati Comitum Imperii in Wetterauia. Sed, re penitius inſpecta, mox agnoſcebatur. Vid. Spicilegium Obſeruationum ad CAPITVLATIONEM Caroli VI. p. 284.

XV. Sed quia diſpar eſt conditio Statuum Imperii, nec circa iura, et honores Legationis, omnia omnibus conueniunt, praenotanda quaedam ſunt, de diuerſis Legatorum Ordinibus, deque iuribus, quae communia omnibus Legatis, aut certo ordini propria cenſentur. Scilicet inter Legatos variae diſtinctiones ſunt. Prima ratione poteſtatis, quae ex mandatis illorum oritur, modumque cum iis tractandi praecipue reſpicit.

XVI. Tum vero maxime ratione honoris adiectitii, ſiue caracteris. Quod diſcrimen antiquis non aeque cognitum, ante duo circiter ſecula introductum videtur. Atque inde duo Legatorum ordines, iudicio moribusque Gentium, introducti.

XVII. Scilicet alii mittuntur cum caractere repraeſentatitio, qui ſaepe caracter ſimpliciter dicitur. Ita vocant *qualitatem Legato a mittente impoſitam, quae efficit, vt ipſam perſonam Domi-*

*ni*

*ni aliqua ratione repraeſentet, ideoque et titulis, et honoribus propriis gaudeat.*

XVIII. Hos Legatos primi ordinis vocare moris eſt *, iisque honoris cauſa multa praeſtantur, quibus ſe vltra aliorum Legatorum conditionem efferunt: vti Introitus, et audientia ſolemnis, hoſpitium et lautia ex publico, ius tegendi caput coram Principe, titulus Excellentiae, prima viſitatio aduenienti debita a Legatis, qui iam ante aderant, honoratior locus, cum ipſis ſalutationis officia reddit etc.

* Ambaſſadeurs, Bothſchafter.

XIX. Legatorum ſecundi ordinis varia ſunt nomina. Duo tamen communiora, ſcilicet Ablegatorum, et Reſidentium *.

* Reſidentem Ablegato non toto ordine inferiorem eſſe oſtendit IVSTINVS PRESBEVTA p. 98. ſeq. Quanquam nomen illud Agentibus, ſiue priuatae rei Procuratoribus ſaepe communicetur, atque inde fere infra dignitatem legationis eſſe nonnullis videatur.

XX. Nec tamen ſemper et vbique haec diverſitas ita ſcrupuloſe tenetur. Prodeunt ſaepe in ſcenam Legati, quos ad primam, ſecundamue claſſem referas, dubites. Illi plerumque Plenipotentiarii nomine vtuntur *. Variant Cerimoniae pro munere et dignitate ipſius Legati, aut pro affectu erga mittentem. Plerumque ſervatur mos, quo in ſimili quondam acceptum

Lega-

Legatum, honoratumque fuiſſe, memoriae proditum reperitur.

* IVSTINVS PRESBEVTA p. 109.

XXI. Solent etiam Legati tam primi quam ſecundi ordinis, modo Ordinarii, modo Extraordinarii vocari. Sed illa diſtinctio ab accidentali ſaltem muneris nota eſt.

XXII. [a] Vbi plures ab eodem Principe Legati, eodem caractere, miſſi ſunt, vna tamen eſt Legatio, et pari Legati honore fruuntur. Equidem aliquando in Aula Imperiali, et Comitiis, intuitu Legatorum Electoralium, diſcrimen aliquod ſeruatum, inter primum Legatum, eiusque Collegas 1). Sed hoc iam in Capitulatione Imp. Caroli VI. antiquatum eſt 2).

1) Vid. PRESBEVTA §. 142. p. 297. et ſequ. Quanto ſtudio Legati Electoris Brandenburgici, in Conuentu Neomagenſi, pro hac paritate honoris, contenderint, late proſequitur PVFENDORFIVS Lib. XV. 31. et 32.

2) Vide locum, ſupra Lib. IV. cap. 2. ad §. 25.

XXII. [b] In Comitiis Imperii proprium eſt diſcrimen inter Legatos primarios, et ſecundarios *.

* Quod ita explicat PRESBEVTA p. 294. Eſt alia apud nos, in Comitiis, diuiſio Legatorum, in primarios et ſecundarios: quae toto coelo diſtat ab illa, per quam alius primus Legatus dicitur, alius ſecundus. Inter hos enim nulla eſt differentia, niſi ordinis numeri, inter illos vero et caracteris. Hinc Legatus primarius ſolus Dominum repraeſentat, quando ambo ſunt praeſentes, ſolusque ſuffragium fert in Senatu, ex Legato-

rum

rum ſubſelliis. Secundarius vero ſaltem pro adiuncto habetur prioris, vt eum conſiliis et opera adiuuet, tum, vi ſubſtitutionis, locum abſentis impleat. Primus vero et ſecundus, vterque pari gradu, pari qualitate ſunt; et iura Legationis pro indiuiſo habent. Quare ambo repraeſentant dominum, ambo aequalibus honoribus fruuntur, et denique cum occaſio eſt dicendae ſententiae, ſecundus verba facit, tacente primo, et inſpectante.

XXIII. Caeterum omnibus legatis communia ſunt, ſecuritas: libertas pro mandatorum executione, quo pertinet ſecuritas literarum, et mittendorum ac recipiendorum curſorum: immunitas a foro loci, Iurisdictio in Comites ſuos: libertas exercendae religionis ſuae: exemtio * a vectigalibus, etc.

* Circa hanc tamen immunitatis ſpeciem variant mores.

XXIV. Electoribus ius Legatos primi ordinis mittendi competere, iisque locum in Aula Imperatoris ante Legatos Rerumpublicarum conceſſum, et eosdem honores haberi, qui Legatis Regiis debentur, iam ſupra notatum eſt 1). Hac etiam praerogatiua in publicis, Legatorum diuerſarum gentium, congreſſibus, Monaſterii, Oliuae, Neomagi, Francofurti, et Hagae Comitum fruiti ſunt 2). Nec diſtinctioni amplius locus, vbi plures Legati, eodem caractere miſſi ſunt. Sed aequali omnes honore habentur 3).

1) Vid. ſupra Lib. IV. cap. 2. §. 35. ſeq.

2) PRESBEVTA §. 137. p. 288.

3) Vid. ſupra §. 22. a).

XXV.

XXV. Nec ius Legationum aliorum Imperii Principum in dubium vocatur. De eo ſaltem diſputatum, imprimis Neomagi, inter Tractatus de Pace, habeantne et ipſi 1), aut certe potentiores, et antiquarum gentium Principes 2), facultatem mittendi legatos primi Ordinis, quibus iidem honores ac Regiis tribuantur?

1) De Comitibus enim eo minus eſt dubii, cum nec ipſi eos honores poſſint praetendere, qui Legatis primi Ordinis exhibentur.

2) Edidit tum LEIBNITIVS, adſcito CAESARINI FVRSTENERII nomine, librum, pro aſſerenda potentioribus Principibus hac praerogatiua, ſub tit. *De Iure Suprematus, ac Legationis Principum Germaniae.*

XXVI. Multa tum differebantur pro Iure Principum 1), proferebanturque exempla Legatorum Principum Imperii, quibus idem honos, ac Regum Legatis, habitus eſſet 2). Sed nondum potuit ea res ad liquidum deduci.

1) Conf. Momenta vtriusque ſententiae. apud PVFENDORFIVM Lib. XVI. 53. et 54.

2) E. g. Bauarorum in Concilio Tridentino, Holſati in Suecia, Neoburgici in Polonia etc.

XXVII. Non eſt huius inſtituti diſceptare varias, quae in Comitiali conuentu de ipſo caractere Legatorum *, deque praecedentia, titulis et cerimoniis gliſcunt diſſenſiones.



* KVL.

* KVLPISIVS l. c. Cap. 2. §. 6. ſcribit: Nullum diſcrimen ordinis inter Legatos in Comitiis eſſe, ſed eodem caractere repraeſentatitio omnes cenſeri. Verum PRESBEVTA p. 201. illum refellit, et conſtat omnino Electorales eiusmodi diſcrimen intendere.

XXVIII. Nec alias, quae ſubinde inciderunt, quaeſtiones: vti de iurisdictione in Comites, et famulitium Legatorum: et quo ordine ferant ſuffragia, qui diuerſorum Principum mandata habent 1)? Diſputatum etiam de facultate ſubſtituendi, et delegandi, inprimis occaſione delegati, quem Miniſtri Comitiales Statuum Auguſtanae Confeſſioni addictorum, ad Palatinam Aulam deſtinauerant 2).

1) PRESBEVTA l. c. p. 303. et 304.

2) Vid. Staats-Canzeley P. XXXVIII. p. 237.

CAP.

## CAP. V.

### DE

# SVCCESSIONE IN TERRITORIO: VBI DE IVRE PRIMOGENITVRAE, APANAGIO etc.

*Succeſſio quot modis deferatur? 1. Hereditaria vel inter deſcendentes, vel inter collaterales. 2. Succeſſio in Territoriis quondam diuidua. 3. Etiam in feudis, ex quo hereditaria facta. 4. Varii modi in ſucceſſione inter deſcendentes: Diuiſio. 5. Communio Regiminis. 6. Alternatio. 7. Ius primogeniturae praeualuit. 8. Introductum vel Lege Imperii publica, vel pactis, vel Teſtamento. 9. ſeq. Apanagii definitio. 11. Diuiſio in proprium, et improprium; Quaeſtio de Paragio. 12. ſeq. Primogenitus et Apanagiatus vt ſuccedant? 15. Dignitas, Titulus, Forum Apanagiati. 16. De ſucceſſione inter Collaterales, vbi de Maioratu, etc. 17. An et quomodo ſuccedant foeminae? 18. ſeq. An ſuccedant legitimati? et ex coniugio ad Morganaticam geniti? 20. De filiis ex matrimonio inaequali. 21. ſeq. De ſucceſſione Clericorum. 24. ſeq. De ſucceſſione quae defertur per pacta. Vbi de pactis confraternitatis. 26. ſeq. De ſucceſſione quae defertur per vltimam voluntatem. 29.*

Supra inter modos deriuatiuos acquirendi Superioritatem Territorialem, commemorata eſt Succeſſio. Illud iam caput paulo diligentius excoli debet. Succeſſio inter Status Imperii Se-

 culares

culares defertur vel ſecundum vinculum ſanguinis, et ordinem inueſtiturae, vel ſecundum pacta familiarum. In nonnullis territoriis etiam Teſtamento locus eſt.

II. Hereditaria ſucceſſio conſideratur prouti vel inter deſcendentes obtinet, vel ad collaterales deuoluitur.

III. Succeſſio apud Germanos in dynaſtiis et praediis olim fuit diuidua, quemadmodum et in ipſo Francorum Regno, non modo ſub Merouingicis, ſed etiam certo modo ſub Carolingis Regibus, diuidere Regnum inter filios moris fuit.

IV. Ducatus quoque et Comitatus, ex quo hereditarii facti ſunt, diuidi potuerunt.

V. Qua tamen in re non idem ſemper modus ſeruatus 1). Interdum aequis portionibus facta diuiſio, atque tot exinde principatus orti, quot ſedes Principum delectae eſſent, vt docent exempla Ducum Saxoniae, Bauariae, Brunsvici, Pomeraniae, Mecklenburgi etc. Interdum diuiſio inaequalis 2) facta.

1) Pro exemplo ſunt, quae de variis ſuccedendi modis, in Domo Guelphica, commentatus eſt Dn. RECHENBERGIVS in Diſſert. de Variis ſuccedendi modis in Domo Guelphica.

2) Exemplo eſt diuiſio inter filios Philippi, Haſſiae Landgrauii.

VI. Interdum omnes coniunctim territorium rexere, ita vt penes natu maximum directorium eſſet.

VII.

VII. Nonnunquam adeo alternatio placuit *, quantumuis incongruus ille ad Principatum regendum modus.

* Oerterung, Mutſchirung. Exempla quaedam in Domo Ducum Saxoniae Miſnica notauit STRVVIVS in Syntagmate Iuris Publici cap. 27. §. 15.

VIII. Succeſſu temporis magis expedire viſum vnius Regimen *, vt vires regionum vnitae ſeruarentur, et euitarentur diſcordiae, quae periculoſiores inter fratres. Vtque ſuccedendi ordo eo certior eſſet, primogenito deſtinata ſucceſſio integra.

* Vid. Dni. Baronis VOIT a SALTZBVRG Diſſert. de Emolumentis Territoriorum Germaniae ex Iure Primogeniturae.

IX. Itaque Ius primogeniturae primum Lege publica Aureae Bullae in Electoratibus ſecularibus ſtabilita eſt. Senſim imitatae ſunt aliae familiae, introductaque Primogenitura ſiue pacto, omnibus ſcilicet, qui ex gente ſuperſtites eſſent, conſentientibus, et Caeſare confirmante, ſiue teſtamento. Qui modus id commune habet cum altero illo, quod aeque conſenſum quorum intereſt, et confirmationem Imperatoris, requirit *.

* Conf. GEORGII MELCHIORIS de LVDOLF Tr. de Introductione Iuris Primogeniturae, vbi in Appendice, varia eius introducendi exempla, vna cum ipſis Actis publicis, ſiſtuntur.

X. Vbi introductum eſt Ius Primogeniturae, Primogenitus ſolus ſuccedit in territorium, et

 omnia

omnia eius iura atque acceſſiones: quo referuntur regulariter arces, palatia, machinae, inſtrumenta bellica, ornamenta principalia, theſaurus, cimeliarchia, bibliothecae publicae *.

* Conf. COCCEIVS in Iure Publico cap. 27. §. 20. 21.

XI. Secundogenitis datur Apanagium *. Ita dicitur *penſio, quam primogenitus, vel qui de eius familia eſt, Superioritate Territoriali gaudens, in pecunia, vel reditibus ex certa regionis portione percipiendis, vltragenito, eiusque heredibus praeſtat.*

* Auctores, quotquot de Apanagio commentati ſunt, coniunctim edidit IOACH. MEIERVS ſub titulo, Corporis Iuris Apanagii, et Paragii.

XII. Apanagium eſt vel proprium, vel improprium, quod alii Paragium appellare malunt *.

* Doctrinam de Paragio inculcauit poſt NIC. BETSIVM, IO. SCHILTERVS in Diſſ. de Paragio et Apanagio. Contradicit HERTIVS in Diſſ. de Commentitia Apanagii et Paragii diſtinctione. Ei reſpondit EPHRAIM GERARDVS, qui ſub Praeſidio CHRISTIANI THOMASII propoſuit Vindicias diſtinctionis inter Paragia, et Apanagia. Totam contentionis ſeriem reperies in Corpore Iuris Apanagii. Si dicas Paragium vocari poſſe, quod alii Apanagium improprium appellant, de ſola voce lis fuerit.

XIII. Proprium eſt, cum primogenito Superioritas Territorialis omnibus ſuis partibus, ſalua, pura, integra et illibata manet, reliquis filiis alimenta ſaltem praebentur.

XIV.

XIV. Improprium eſt, vbi apanagiatus certam regionis partem regendam accipit, et quidem interdum cum regalibus quibusdam, interdum ita, vt in nonnullis iuribus, cum primogenito concurrat, atque ita Superioritatis Territorialis exercitium quodammodo temperetur.

XV. Primogenitus ſuccedit vt heres: Apanagiatus vt legatarius particularis, et proinde nullum onus, aut aes alienum exſoluit *.

* Vid. COCCEIVS l. c.

XVI. Dignitas et titulus manet etiam Apanagiatis *.

* De foro confer. HERTIVS l. c. §. 12.

XVII. [a] Vbi ad collaterales deuoluitur ſucceſſio, arduae lites ortae ſunt, vti in genere Succeſſio feudalis inter collaterales controuerſa eſt *.

* Succeſſionem inter Collaterales, ſecundum ius feudale commune, B. G. STRVVIVS explicat, in *Iurisprudent. Feudali*, cap. 13. §. 4. et 5: ſcilicet, *habendam eſſe primum rationem lineae, ſiue ſtirpis, ex qua defunctus fuit: ſi tota defecerit, alias lineas omnes quidem vocari, ſed ſuccedi ſecundum gradus.* Controuerſias autem circa hanc ſucceſſionem, in feudis Imperii, agitatas, explicat ITTERVS cap. 15.

XVII. [b] Tres autem praecipue modi, partim lege, partim obſeruantia, et pactis familiarum ſtabiliti ſunt. Nam vel ſecundum lineas 1) ſucceditur, qui ſuccedendi modus obtinet in territoriis, in quibus Primogeniturae locus eſt. Vel ſuccedit, qui gradu eſt proximior, quod genus ſuc-

ceſſionis MAIORATVS in ſpecie vocatur. Vel ad ſolam aetatem agnatorum reſpicitur, in quacunque ſint linea, aut gradu, quod SENIORATVM appellant. Quae omnia ſpecialius definiri ſolent iisdem legibus, aut pactis, quibus conſtituuntur.

1) IOH. SCHILTERVS in Diſſ. de Succeſſionis linealis vſu, et origine, in Germania: (in Commentario eius ad Ius Feudale Alemannicum.)

2) Id argumentum in hac Academia Illuſtriſſimus Comes FRIDERICVS LVDOVICVS SOLMENSIS excuſſit, Diſſertatione de Maioratu.

XVIII. Succeſſio in Feudis Imperii regulariter ad maſculos tantum reſtricta eſt, excluſis foeminis 1). Idque inprimis ſeruatum in Germania 2). Familiis tamen quibusdam hoc priuilegii diſertis verbis tributum eſt, vt deficiente maſcula prole, filiae ſuccedant, e. g. Auſtriacae, et Brunſuicenſi. Simile priuilegium Brabantiae Duces quondam impetrauere, Henricus I. a Philippo, Rege Romanorum, Iohanne III. a Carolo IV. Imperatore 3).

1) Conf. GRIBNERI Diſſ. de Feudis Imperii maſculinis, non foemininis.

2) In feudis Burgundicis promiſcua ſucceſſio obtinuit, de qua OTTO FRISINGENSIS de Geſtis Friderici I. Imperatoris Lib. II. cap. 29. *Mos in Burgundia, qui pene in omnibus Galliae prouinciis ſeruatur, remanſit, quod ſemper ſeniori fratri, eiusque liberis, ſeu maribus, ſeu foeminis, paternae hereditatis cedat auctoritas, caeteris ad illum, tanquam ad Dominum, reſpicientibus.*

3) De Succeſſione foeminarum, in aliis partibus Lotharingiae inferioris, conf. GVNDLINGIANA P. XL. n. 4. In Ducatu quoque Lotharingiae ſuperioris aliquoties incidit

cidit quaeſtio, ſitne maſculina tantum, an et foeminina ſucceſſio? Vid. Diſſ. de Nexu Regni Lotharingiae §. 10.

XIX. Vbi alius in feudo ſuccedit, alius in allodio, plerumque difficile eſt iudicium herciſcundae hereditatis.

XX. Non defertur autem ſucceſſio in Territorio, niſi ad natos ex legitimo matrimonio. Hinc excluduntur Legitimati, et ex coniugio ad Morganaticam geniti.

XXI. Quaeſitum, an Principum liberi, ex inaequali matrimonio, ad ſucceſſionem admittantur? Vbi minus dubii, ſi vxori dignitas Principis, vel Comitis, fuerit collata, et agnati conſenſerint.

XXII. Alias repugnant mores Germaniae, contrarii hac quoque in parte Romanis 1). Plures adeo familiae, pactis inſuper gentilitiis, inaequales nuptias prohibuerunt 2). Vnde plerumque Principes, qui tale matrimonium inierunt, ſua ſponte cum agnatis, de conditione vxoris et liberorum, pacti ſunt.

1) Vid. Ius Feudale Saxonicum cap. 20. Alemannicum c. 40. Contra eiusmodi matrimonium extat Reſponſum CHRISTIANI THOMASII in Juriſtiſchen Händeln, et Dn. a LVDEWIG in Commentario ad Auream Bullam T. II. p. 1359.

2) E. g. Domus Brandenburgica, et Hohenzollerana, et Comitum Iſenburgenſium.

XXIII. Extat quidem vnum, alterumue exemplum, conceſſae ſucceſſionis. Sed publica de-

mum lege, per Capitulationem Imp. Caroli VII. liberi, ex eiusmodi matrimonio geniti, excluſi ſunt *.

* Art. XXII. 4. Idque repetitum in Capitulatione noviſſima.

XXIV. Quoad ſucceſſionem Clericorum in feudum, diſtingui primum debent feuda priuata, a feudis regalibus ſecularibus: tum et Clerus ipſe ſecularis, a regulari, ſiue monachis. Ius Feudale Langobardicum Clericos omnino arcet a feudo 1). Sed Iure Saxonico 2) Clerici ſuccedunt, in feudo priuato, non monachi: aeque ac Iure Feudali Alemannico 3).

1) II. Feud. XXVI. §. 4. *Qui Clericus efficitur, aut votum religionis aſſumit, hoc ipſo Feudum amittit. add.* II. F. 30. conf. ROSENTHAL. in Tract. Feud. cap. 7. concl. 29. 30.

2) Vid. Sächſiſches Land-Recht, Lib. I. Art. 25. et Lehn-Recht, cap. 2.

3) Vid. Ius Feudale Alemannicum, cap. 3.

XXV. In Feudis autem regalibus non ſuccedunt Clerici, niſi ad ſeculum reuertantur *.

* Ita ad Seculum rediit Albertus II. Canonicus Paſſauienſis, et in Auſtria ſucceſſit Anno 1358. vid. GERGARD a ROO Annal. Auſtr. Lib. III. p. 101.

XXVI. Praeter legitimam ſucceſſionem, conventionali etiam locus fit, per pacta, praeſertim Confraternitatis, et Ganerbinatus. Pactum Confraternitatis 1) vocatur, quando familiae illuſtres, praeter mutuam amicitiam, et opem, mutuam quo-

quoque Succeſſionem ſtipulantur. Eſtque vel vniuerſale, quo vniuerſa hereditas paciſcentibus mutuo addicitur: vti pactum confraternitatis, quod primum inter Landgrauios Thuringiae, et Marchiones Miſniae ab vna, Landgrauiosque Haſſiae ab altera parte initum, deinde vero ampliatum, et ad Domum quoque Brandenburgicam extenſum fuit 2).

1) De Ganerbinatu agitur infra, Lib. VII. cap. 1. §. 41.

2) De eo egit BENEDICTVS CARPZOVIVS; item HENRICVS BODINVS in Diſſ. de Pacto Confraternitatis Saxonico, Brandenburgico, Haſſiaco.

XXVII. Vel eſt particulare, cum ſaltem certae partes mutuo ſucceſſionis iure obligantur. Ita Duces Saxoniae, cum Principibus Hennebergicis paciſcentes, ditiones tantum ſuas in Franconia, illi legi ſubiiciebant.

XXVIII. Vtrumque eſt vel bilaterale, cum aequum vtrinque ius ſuccedendi paratur: vel vnilaterale, cum alterutri ſaltem parti de ſucceſſione proſpicitur *.

* Tale fuit Pactum de Succeſſione, inter Fridericum II. Electorem Brandenburgicum, et Duces Megapolitanos An. 1442. initum.

XXIX. Vtrum ſucceſſio ex teſtamento etiam locum habeat * in territorio, non aeque expeditum eſt. Nam allodiale Territorium teſtamento relinqui poſſe, nemo dubitat, et exempla plurima teſtantur.

* Conf.

* Conf. ITTERVS de Feudis Imperii cap. 26.

XXX. Aliter ſe res habet in territorio, quod feudali vinculo Imperio illigatum eſt. Namque eiusmodi feuda vacantia reſeruantur Imperio 1). Permittit tamen beneficiaria diſciplina teſtamentum, in feudo nouo: et in antiquo etiam, ſi diſponit inter eos, qui ab inteſtato alias ſucceſſuri forent: aut ſi teſtandi libertas in ipſa inueſtitura, vel per priuilegium, indulta fuerit 2).

1) Vid. ſupra Lib. V. c. 3.

2) Quale eſt inter Priuilegia, quae Fridericus I. Imperator Ducibus Auſtriae, in ipſa inſtitutione Ducatus, dedit.

XXXI. Sane tot diſpoſitiones teſtamentariae, quarum exempla in illuſtribus familiis extant, documento ſunt, Principes, libertatem, qua viui fruuntur, etiam ad vltimas voluntates producere, obſeruatis congruis, pro caſuum qualitate, cautionibus.

CAP.

## CAP. VI.

DE

# CONDITIONE PRIVATA
## STATVVM IMPERII, SEV NEGOTIIS, IN QVIBVS IVRE PRIVATORVM VTVNTVR.

*Fundamenta huius doctrinae. 1.*
*De Iuribus foeminarum Illuſtrium. 2.*
*De Patria Poteſtate Principum, et Comitum, Imperii. 3.*
*De Adoptione. 4. ſeq.*
*De Emancipatione. 7.*
*De maiori aetate. 8. 9.*
*De Tutela Illuſtrium: legitima, et teſtamentaria. 10.*
*De datiua. 11. De Tutela Matris aut Auiae. 12. De Tutela pactitia. 13. De confirmatione Tutorum. 14.*
*De adminiſtratione: 15.*
*De Teſtamentis Statuum: obſeruanda circa facultatem teſtandi. 16. Item circa formam et ſolemnia. 17.*
*De contractibus, et Iure Actionum. 18.*

Hactenus de Statibus Imperii, quales vel in adminiſtranda communi Republica locum habent, vel domi territoria ſua regunt. Alio praeterea reſpectu occurrunt in negotiis et cauſis, quas cum priuatae ſortis hominibus communes habent *. In his adeo regulariter iure quoque communi vtuntur, vti priuati; niſi vbi rationes publicae, et inſignis illorum libertas, ac dignitas, exceptioni locum facit. Quae etſi cum Iuris Priuati tractatione coniungi commode poſſunt, aliqua tamen hic pro ſpecimine, delibabimus.

* Conf.

*Conf. Dn. Io. IACOBI HELFFERICHII *Specim. Iuriſprudentiae, Principum Ordinumque Imperii, priuatae.*

II. Quae in diſquiſitione de iure foeminarum illuſtrium *, ratione dotis, et dotalitii, et in nonnullis quoque regionibus, ratione Geradae, ſiue mundi muliebris, quaeri poſſent, pactis familiae plerumque definita ſunt.

* Conf. G. M. LVDOLFI Tract. de Iure Foeminarum Illuſtrium. Jenae 1734. f.

III. Patria poteſtas, qualis Ciuili Iure inter priuatos obtinet, Principibus quoque Imperii tribuitur*.

* Ita Carolus V. Iohanni Friderico, Electori Saxoniae, cum e cuſtodia dimitteret, inter alia patriam poteſtatem diſerte reſtituit. Vid. KVLPISIVS in Diſſert. *de Adoptionibus et Emancipationibus Principum*, §. 50. Huc et ſpectant, quae infra de Emancipatione notabimus.

IV. Adoptio 1), vti apud alias gentes eius vſus eſt 2), ita et in Imperio, in Imperatorum 3), Principum, Comitum 4) familiis obtinet.

1) Conf. KVLPISII Diſſert. de Adoptionibus et Emancipationibus Principum.

2) E vetere hiſtoria producere hic exempla adoptionum opus non eſt. In Regnis Europae inter exempla eſt Ericus, e Pomeraniae Ducibus, a Margaretha, Regina Septentrionis, adoptatus: nec non Ludouicus Andegauenſis, a Iohanna Regina Siciliae allectus, quo titulo Comitatus Prouinciae ad familiam Andegauenſem, iuniorem, peruenit.

3) Ita Ludouicus Bauarus, Imperator, adoptauit Rudolphum Palatinum; ap. TOLNERVM in Codice Palatino Diplomatico n. 128. Ita Anno 1465. Neoſtadii, in Pace

Pace inter Fridericum III. Imperatorem, et Matthiam Regem Hungariae, inter alia conuenit, vt Fridericus Matthiam filii loco haberet. Tum Seculo praeterito Matthias Imperator Ferdinandum Archi-Ducem, deſtinatum ſucceſſioni, in filium aſſumſit. Vid. Declarationem Imperatoris in Comitis KHEVENHVLLERI Annalibus Ferdinandeis, T. VIII. p. 111. vbi verba: zum Sohne beliebet.

4) Fridericus Victorioſus, Comes Palatinus ad Rhenum, arrogauit Philippum, fratris Ludouici filium, petiitque confirmationem a Friderico III. Fridericus Caſimirus, Comes Hanouiae, An. 1685. arrogauit Philippum Rheinhardum, fratris filium.

V. Forma tamen adoptionis, Iure Romano praeſcripta, non tam ſollicite obſeruatur, ſed ad ſimplicitatem Iuris Gentium ſaepe reditur *.

* Vti Ius Ciuile multa quoad formam adoptionum introduxit, viciſſim Ius Gentium multa admittit Ciuili incognita. Ita Senatus Venetus Catharinam Corneliam, cum Iacobo, Cypri Regi, nuberet, adoptauit in filiam Reipublicae. Exemplum plane ſingulare fuit, cum An. 1645. Rex Galliae, adhuc infans, Ludouicam Mariam Gonzagam, Vladislao, Regi Poloniae, tanquam filiam ſuam locauit. Vid. Tabulas Dotales in Collectione Tractatuum T. III. p. 474.

VI. Effectus quoque magis ex conſilio adoptantis, et reliquis cauſae circumſtantiis iudicari debet, quam ex Iure Ciuili. Maxime quod ad dignitatem, et ſucceſſionem attinet.

VII. Sic et emancipationis actum nonnunquam ſuſcipiunt *. Neque hodie prolixe diſputandum eſt, vtrum emancipatio Anaſtaſiana, quae fit per Reſcriptum Principis, aut Iuſtinianea requiratur. Nam patris auctoritas ſufficit, ſiue

coram

coram proprio regimine prouinciae, ſiue alio ſolemni modo fuerit declarata.

* Ita Imperator Maximilianus I. Carolum nepotem emancipaſſe legitur. Ludouicus Senior, Comes de Loeuenſtein, An. 1587. filios, in iudicio Camerali, praeſens, praeſentes et volentes, emancipauit. Vid. Acta apud KVLPISIVM in App. p. 197. ſeq.

VIII. Quod ad maiorem aetatem * Principum, Comitumque Imperii attinet, vti expedit Reipublicae definiri, quando Princeps cenſeri debeat ipſe regere poſſe, ita in Imperio Romano Germanico, legitima aetas in Electoribus definita eſt XVIII. annis. In aliis Principatibus ius commune regulariter obſeruandum, et annus aetatis XXV. in Saxonia XXI. requiritur, vt Princeps aut Comes maturus annis habeatur.

* KEMMERICH de Maiori Principum Aetate.

IX. Vnde tot exempla Principum et Comitum, qui aut pro ſe veniam aetatis, aut pro familiis ſuis priuilegium breuioris termini impetrauerunt.

X. De Tutela Electorali ſupra actum. Inter Principes quoque et Comites, vti tutela legitima agnatis competit 1), ita patri teſtamento Tutorem dare liberis integrum eſt 2).

1) Vtrum, qui in pari gradu agnationis ſunt conſtituti, etiam vna Tutelam legitimam gerant, an vero Senior?

2) Etiam priuatum. Ita An. 1589. Marchio Badenſis Cancellarium ſuum liberis Tutorem inſtituit, eumque Camera confirmauit. GYLMANNVS in Symphor. Cameral. T. III. verb. *Tutor*.

XI.

XI. Si vtraque Tutela deficiat, in Iudicio Aulico aut Camera Tutor datur.

XII. Matrem quoque, aut auiam, non modo Teſtamento Tutrices inſtituere fas eſt, ſed et dare ſolent Iudicia Imperii 1). Suntque exempla fortiter et feliciter a matribus geſtae Tutelae 2).

1) Tum vero matrem, non ſecundis modo nuptiis, verum et S. C. Velleiano renunciare debere, ſcribit GYLMANNVS T. III. Symphorematum, verb. *Tutor.* Et praeiudicium eſt in domo Principum Friſiae Orientalis, in Tutorio, quod D. Leopoldus An. 1666. Principi viduae Friſiae Orientalis conceſſit. Ex illo huc faciunt ſequentia: Deſſen Vormundſchaft dero Liebden, als die Mutter und Fürſtin zu Oſt-Frießland, auf vorhergegangene Renunciationem ſecundarum nuptiarum, et Senatus Conſulti Velleiani, zu unternehmen ſich entſchloſſen. LVNIGIVS P. II. Cont. III. Fortſetzung p. 786.

2) Illuſtre inprimis in Domo Haſſiaca Caſſellenſi exemplum eſt Amaliae Eliſabethae, quae poſt obitum mariti, Vilhelmi V. tutelam filii fortiter geſſit.

XIII. Nec minus Tutelae pactitiae locus erit.

XIV. Confirmatur Tutor a Iudicio Aulico, aut Camera Imperiali. Ibi et excuſationes a Tutela audiuntur 1). An et ſatisdare, et iurare teneatur, de eo varie diſputant 2). Sed Domus Saxonica quoad Tutelam eo fruitur iure, vt confirmatione opus non ſit 3).

1) Ita Comes Io. Fridericus a Caſtel, quem Comes Limburgi Tutorem filiabus in Teſtamento nominauerat, in Iudicio Aulico a tutela liberatus eſt. Vid. Reichs-Staat p. 304. not. 27.

2) Pro negatiua MEVIVS Conſil. 88. qui plures ICtos allegauit. Contrarium tuetur L. B. a LYNCKER, in Diſp. de his, quae Principum Libertati falſo accenſentur, Sect. I. §. 15.

3) Vid. STRVVIVS in Syntagm. Iuris Publici, cap. 27. in not. ad §. 27.

XV. [a] Olim quoties Vaſallus filium impuberem reliquiſſet, cuſtodia 1) tam pupilli, quam feudi ipſius, ad Dominum recidebat. Is aut ipſe percipiebat fructus feudi, aut prouaſallum dabat, qui educationem vaſalli, et ſeruitium, procuraret 2). Sed illa dudum ab vſu Curiae receſſit.

1) Haec cuſtodia Guardia, ſeu Warda nobilis, (*Garde noble*) vocata eſt, German. Augeſelle.

2) Inde tutelam aliquam *fructuariam* efformauit LVDWIGIVS in Praef. ad T. II. Comment. in Auream Bullam p. 33. et in ipſo Commentar. p. 1316.

XV. [b] Tutor autem Regimen, ſecundum inſtituta Regionis, adminiſtrat, in commodum Principis minoris. Atque hic, vbi ad legitimam aetatem peruenit, ſolet acta Tutoris rata habere *.

* Notabilis controuerſia orta, de Tutela Vinarienſi, poſt obitum Ducis Erneſti Auguſti; ſed, Auſpiciis Caeſareis, amica transactione compoſita, inter Duces Saxo-Gothanum, et Coburgenſem.

XVI. Etiam circa vltimam Principum voluntatem varia notanda. Primo quidem, quoad ipſam facultatem teſtandi, requiritur aeque ac in priuato, vt ſuae poteſtatis, et eius ſit aeta-

aetatis, qua legibus permiſſum eſt teſtari: tum ne de Feudo, aut Territorio fideicommiſſo onerato, aut de domaniis, aut contra pacta familiae, diſponat *.

* Huc et pertinet Quaeſtio? An Princeps Imperii liberis praeciſe relinquere teneatur legitimam? Pro negatiua reſponderunt ICti Vittebergenſes. Quod Reſponſum vide in Append. ad HORNII Iurisprudentiam Feudalem, n. 12.

XVII. Quoad formam quaeritur, vtrum in Teſtamento obſeruanda ſint ſolemnia Iuris Civilis 1)? Certe illud vt tutiſſimum placuit, vt vel in proprio Iudicio ad Acta illud deponant, vel Teſtium ſolemnia adhibeant. Vnde et in praxi ita teneri docent exempla Principum, qui euitaturi, ne coram iudiciis Imperii impugnetur teſtamenti auctoritas, ſolemnia rite obſeruarunt 2).

1) Affirmatiuam, cum pluribus aliis defendunt ICti Vittebergenſes in Reſponſo, quod ſubnexum eſt HORNII Iurisprudentiae Feudali n. VIII. Contra iam olim ICti Tubingenſes, pro Teſtamento Caroli Auſtriaci, Marchionis Burgauienſis, absque ſolemnibus facto, pronunciauere. Vid. BESOLDI Conſil. Tubing. 150.

2) De induſtria hoc argumentum tractauere GEORG. ADAMVS STRVVIVS de Teſtamentis Principum Imperii. HVLDERICVS ab EYBEN de Teſtamentis Statuum Imperii. PAVLVS GODOFREDVS GAMBS de Teſtamentis Principum adornandis.

XVIII. Status Imperii contractum, etiam cum ſubditis initum, fortiſſimo Iure ſeruare teneri, vti priuatum quemlibet, confecti Iuris eſt 1). Et tam in cauſis, ex eiusmodi contractu ortis, quam in reliquis, cum ad Iudicia Imperii deferuntur, communi Iure vtuntur, niſi vbi exceptio docetur 2).

1) Ita vt nec titulo plenitudinis poteſtatis inde liceat recedere. Conf. MYNSINGERVS Reſp. 24. n. 19. GAILIVS Lib. II. Obſ. 55. n. 5. 6.

2) Haec omnia copioſius deduxit AVCTOR *Inſtitutionum Iuris Priuati Principum:* et BVRC. GOTH. STRVVIVS in *Iurisprudentia Heroica.*

LIBER

# LIBER VII.

## CAPVT I.

## DE ORDINE EQVESTRI IMMEDIATO.

*Connexio. 1. Nobilitas alia in ſenſu morali, alia in ſenſu ciuili. 2. Variae nobilitatis ciuilis ſpecies. 3. 4. Nobilitatis apud Romanos, et Germanos diuerſitas. 5. De ortu Nobilitatis Germanicae. 6. Exiſtimatio eius a virtute militari. Origo feudorum. 7. Equeſtris militia honoratior habita. 8. Varii Eius gradus: miles, armiger, tiro. 9. Inde ortae dignitates militares. 10. Illae olim non fuerunt hereditariae. 11. Varii ritus creandi militem. 12. et ſq. Vbi et de Inſignibus, clypeo, galea etc. Equeſtres, quando Nobiles dici coeperint? 14. De Torneamentis. 15. Diſtinctio Equeſtrium, ſecundum gradus libertatis. 16. Vbi de miniſterialibus. 17. Status Nobilitatis manſit, etiam mutata ratione bellorum. 18. Ordinis Equeſtris diuiſio in mediatum et immediatum. 19. Vbi obiter de ſtatu et priuilegiis mediatorum. 20. De ortu et ſtatu Nobilitatis immediatae. 21. ſeq. De claſſibus eius per Sueuiam. 24. Franconiam. 25. Et Tractum Rhenanum. 26. Illarum Politia 27. An Superioritas Territorialis illis competat? 28. Priuilegia et Iura quae vniuerſis competunt. 29. Ius Foederum et Legationis. 30. Conuentus agendi. 31. Collectarum. 32. ſeq. Ius Retractus. 35. De foro Nobilitatis immediatae. 36. ſeqq. Priuilegia ſpecialia. 39. ſeq. De Ganerbinatu. 40. De ſubſidio charitatiuo. 41.*

Cum in legibus Imperii paſſim Nobilitatis immediatae mentio fiat, eiusque peculiaris in

 Ger-

Germania ſtatus ſit, operae pretium fuerit, de illa pauca adiicere.

II. Nobilitas alia dicitur in ſenſu morali, quo Nobilem vocamus, qui re aliqua praecellit: et praecipue, qui virtute quadam inſignis eſt. Alia eſt Ciuilis, quae peculiarem in Republica Statum conſtituit. Variis ea gaudet effectibus ciuilibus, quibus ſemper maius ornamentum ineſt, ſi et interna illa Nobilitas adſit, ex qua ciuilis haec primam originem traxit.

III. Nobilitas ciuilis, pro diuerſis populorum inſtitutis, multiſariam variat. Apud nonnullos etiam pro diuerſis Nobilium ſtudiis, in varias ſpecies diuiditur. Ita e. g. Nobilitas togae, et ſagi, propria quaelibet laude, celebratur *.

* Apud TVRTVRETVM in Opere de Nobilitate Gentilitia Lib. II. cap. 3. occurrit, *Contentio inter Sagum et Togam, vtra ſplendidior Nobilitatis Origo.* IDEM Lib. III. cap. 5. disquirit, *Mercatura deceat an dedeceat virum nobilem?*

IV. Porro vel hereditaria eſt, vel de nouo acquiritur, ſiue intuitu officii, ſiue ob inſignia merita *. Et tum quidem non eſt, quod nouitatis illum pudeat, qui ipſe auctor dignitatis ſuae exiſtit. Hoc quoque diſcrimen paſſim deprehendas, vt collata, intuitu muneris, nobilitas, interdum perſonae tantum inhaereat; vel ipſa etiam ad poſteros tranſeat.

* Maximus ergo abuſus eſt, vbi ſola pecunia emitur.

V. Iam

V. Iam de Nobilitate Germanica acturo ad patrios mores reſpiciendum eſt, non ad Romanos*. Nec enim Equeſter Ordo, aut qualis inter Patritios, et Plebem, Romae fuit diſtinctio, locum hic inuenit.

* Apud Romanos Nobilis dicebatur, qui inter Maiores plures numeraret Magiſtratus curules, adeoque plebeiae fuerant familiae, ex quo Magiſtratus cum plebe communicati, aeque conſpicuae imaginibus, et aeque Nobiles ac Patriciae. Nobilitas in omni Ordine eſſe poterat, quamuis Ordines ipſi dignitate differrent. CICERO in Oratione pro Cn. Plancio cap. 15. *Hic familia conſulari eſt, ille Praetoria, reliquos video eſſe ex Equeſtri loco. Sunt omnes ſine macula, ſunt aeque boni viri, atque integri. Sed ſeruare neceſſe eſt gradum. Cedat Conſulari generi Praetorium, nec contendat cum Praetorio Equeſter locus.* Equeſtris Nobilitas occurrit apud TACITVM in Vit. Agricolae, cap. 4. *Vtrumque auum procuratorem Caeſarum habuit, quae* EQVESTRIS NOBILITAS *eſt.*

VI. Antiquiſſima Germaniae inſtituta, circa ſtatum hominum, ſi ſpectes, nobiles, ingenuos, libertinos, et ſeruos deprehendas 1). Nobilitatis nomen, Principum Comitumque initio proprium habitum 2). Senſim Ordini Equeſtri etiam tribui coepit, atque inde diſtinctio inter Nobilitatem ſuperiorem, et inferiorem exorta eſt.

1) Conf. Geſchichte der Teutſchen XVI. 37.

2) Vid. ſupra Lib. IV. cap. 5. §. 52. et 60.

VII. Ordo Equeſter ipſe, ex ingenuis primum ortus 1), dignitatis et praerogatiuae origines militiae debet. Quanquam nec ad iudicialia

munera admiſſi, niſi liberi homines 2). Intuitu horum ſeruitiorum, certa pro ſtipendio beneficia, et praedia, conſequebantur: quae demum ad poſteros etiam eadem lege transmitti coeperunt, immunia ab aliis praeſtationibus 3).

1) Scriptores plurimos de Ortu et Priuilegiis Nobilitatis Germanicae, coniunctim edidit STEPHANVS BVRGERMEISTER in Bibliotheca Equeſtri. Ipſe cum argumentum hoc tractandum ſumſiſſet, titulumque libri faceret, der neu eröffnete Grafen- und Ritter-Saal, Comitibus id minime ferendum viſum eſt. Itaque oppoſitus liber, ſub tit. das geöffnete Ritterfeld: nec non alius, ſub titulo Bericht vom Adel in Teutſchland.

2) Ita in Diplomate Adalberti, Archiepiſcopi Moguntini, de An. 1122. memoratur *Henricus de Bunrode*, *de parentibus natus liberis*, IVDICIARIAE POTESTATIS: ap. SCHANNATVM, in Vindemiis Literariis, T. I. p. 115.

3) Conf. Dn. IO. GEORGII CRAMERI Lib. de *Nobilitate Auita*, cap. 2.

VIII. In militari vero ratione praeſtantius viſum, equo mereri 1), et honorifica inprimis habita, equeſtris militia 2).

1) TACITI tempore apud Germanos in pedite praecipuum robur. Neque aliter de Francis adhuc AGATHIAS ſcribit, cuius locum vide, in Geſchichten der Teutſchen XVI. 38. Sed ſucceſſu temporis magis inualuit Equeſtris militia.

2) Conf. METTINGH de Statu Militiae Germanorum Sect. I. §. 7. et alibi paſſim.

IX. Ipſa vero haec militia, pro inſtitutis diſciplinae, priſci aeui, bellicae, variis gradibus diſcreta. Milites, honoratiori ſenſu, vocabantur 1), qui ante alios virtute clari, praemia eius, milita-

ria

ria ornamenta, reportaſſent 2). Reliqui tirones, armigeri, ſcutarii 3), qui Militibus ipſis praeſto eſſent, arma, et ſcutum ferentes.

1) FVLCHERIVS CARNOTENSIS in Hiſtoria Hieroſolymitana Lib. II. cap. 32. *Milites noſtri erant quingenti, exceptis illis, qui militari nomine non cenſebantur, tamen equitantes.* conf. omnino ANTONII MATTHAEI de Nobilitate Lib. IV. cap. 10. pag. 966. ſeq.

2) Miles, aut Eques, vocabatur, quem Germani Ritter, Galli *Chevalier*, appellant: Angli *Knight*. De quo vid. HENRICI SPELMANNI Diſſ. de Milite, inter opera eius poſthuma, p. 172.

3) Knappen, Edle Knechte. (*Ecuyers, Esquires.*)

X. Honos militiae ſolemni ritu conferebatur. Quod ex antiquo Germanorum more videtur profectum, quo arma non ante quisquam ſumebat, quam ciuitas ſuffecturum probaſſet 1). Inde durant haec inſtituta in omnibus Regnis a Germanicis populis conditis 2).

1) TACITVS de M. G. cap. 13. *Arma ſumere non cuipiam ante moris, quam ciuitas ſuffecturum probauerit. Tum in ipſo Concilio vel Principum aliquis, vel pater, vel propinquus, ſcuto frameaque iuuenem ornant. Haec apud illos toga, hic primus iuuentae honos: ante hoc domus pars videntur, mox Reipublicae.* Seruati moris plura veſtigia. De Langobardis PAVLVS DIACONVS Lib. I. cap. 15. *Scitis, eum apud nos conſuetudinem, vt Regis filius cum patre non prandeat, niſi prius a Rege gentis exterae arma ſuſceperit.*

2) Conf. Geſchichte der Teutſchen Lib. X. §. 42. Idque pluribus demonſtrarunt CAROLVS du FRESNE in Diſſert. 22. ad IOINVILLAE Hiſtoriam. PITHOEVS Aduerſarior. Lib. I. cap. I. P. GABRIEL DANIEL in Hiſtoria Militiae Francicae Lib. III. cap. 4.

XI. Imperatorum adeo, et Regum, Principumque filii expectare hunc honorem militarem debebant: neque naſcebantur milites, ſed fiebant. Inter functiones ſolemnis Curiae fuit, filium militari cingulo exornare *. Quin et Wilhelmus, Hollandiae Comes, iam Rex Romanorum electus, cum militiae honorem nondum conſecutus eſſet, a Legato Pontificis, inſignia eius accepit.

* Conf. COMMENTARII de Rebus Imperii ſub Henrico V. Lib. III. §. 53.

XII. Conferri ſolebat militiae honos aut a Principe, aut ab alio aliquo milite celebriori 1). In Imperio honorificum inprimis fuit, ab Imperatore eum obtinuiſſe, in coronatione Germanica, aut Romana, inter cuius ſolemnia erat, vt Imperator, dum Tiberinum tranſit pontem, equites crearet. Honorabile quoque habebatur, in acie, aut vallo, promeruiſſe militaria inſignia 2).

1) Immo etiam Epiſcopi, et reliqui Praelati tandem ſibi vindicauerunt auctoritatem creandi Equites.

2) Ad argumentum de dignitate, et titulis militaribus, illuſtrandum faciunt: MENETRIER *de la Chevalerie Ancienne et Moderne.* HONORE' de SAINTE MARIE *Diſſertations Hiſtoriques, et Critiques, ſur la Chevalerie Ancienne, et Moderne etc.*

XIII. * Attamen et peregrinatione in terram ſanctam 1) potuerunt acquiri. Et poſteriori tandem aeuo inclaruere quoque Ritter der Rechten 2).

1) Illi

1) Illi vocantur Halb-Ritter.

2) Gallis *Chevaliers es loix*, vt obſeruat P. MENETRIER, (*Traité de la Chevalerie*) cap. 7. De diuerſis hiſce militum ſpeciebus legi meretur obſeruatio VIGVLEII HVNDII im Auszug Hiſtoriſcher Obſervationen in fine des Bayriſchen Stamm-Buchs pag. 704. *voce* Ritter.

XIII.[b] Ritus ipſi non iidem vbique ſeruati ſunt *. Inſignia plerumque baltheus, gladius, calcaria aurea. In vniuerſum arma etiam, clypeum maxime, et galeam, inter ornamenta reponebant.

* Inter ritus paſſim fuit, vt balneo vterentur candidati, antequam militaria inſignia acciperent. Inde celebris Equitum *de Balneo* Ordo appellationem traxit, qui nuper in Regno Magnae Britanniae inſtauratus eſt. Vid. Cl. DITHMARVS, in Tr. de Ordine militari de Balneo. (Francofurti ad Viadrum 1729. f.)

XIV. Ipſe Ordo Equeſter, inter alia ſenſim honorum incrementa, Nobilitatis nomine venire coepit *. Vt vero multae ex antiquis ingenuorum familiis ſucceſſu temporis paſſim in vrbes conceſſerunt, ita vieiſſim Ordo Equeſtris ipſe nouis ſaepe ſupplementis auctus fuit.

* Germanicum vocabulum, Der Adel, proſapiae proprie eſt, et generoſum notat: alterum, die Ritterſchaft, a militia, et honore militari, oritur.

XV. Ad diſciplinam Equeſtrem multum faciebant Torneamenta 1): in quibus per aliquot ſecula emicuit Equitum fortitudo, et ſplendor: Sed illorum vſus, mutato Genio Seculi, iam dudum ceſſat, niſi quod Principes interdum, inter

laeta

laeta aulae ſolemnia, decurſiones, et militares ludos, inſtruunt 2).

1) COMMENT. de Rebus Imperii l. c. Add. GEORGIVS SCHVBARTHVS de Torneamentis.

2) Vid. *Traité des Tournois, et Ioutes* par le P. MENETRIER. Eſt et RVXNERI liber de Torneamentis, ſed ſubleſtae fidei.

XVI. Caeterum inſignis inter Equeſtris Ordinis homines antiquitus diuerſitas fuit. Nam quidam libertatem ſeruauerunt *. Quidam aliis Principibus, Comitibusque, maxime Eccleſiis, et Monaſteriis, miniſteriali nexu ad ſeruitia Curiae, aut belli, addicti fuerunt. Atque inde liberi homines, et miniſteriales, ſibimet, in antiquis documentis, inuicem opponuntur.

* Occurrunt in veteribus tabulis Mittelfreye: item Dienſtleute der hohen Manne, qui Potentioribus in clientelam ſe dederant, ſalua caeteroquin libertate. Hi videntur iidem fuiſſe, qui alibi dicuntur Freye Dienſtleute.

XVII. Ipſum vero Miniſterialis vocabulum 1), non vno ſignificatu occurrit. Interdum notat Officialem 2), atque hoc ſenſu ipſos Palatini Imperii Officiales, aliquando Miniſteriales vocantur. Interdum notat milites et vaſallos 3). Sed praecipue deſignat ſpeciem aliquam hominum propriorum, mediae inter ingenuos, et ſeruos, conditionis. Hos vendi, ac permutari, vel ſingulos, vel vna cum praediis, itemque manumitti, paſſim legimus. Ne pleno quidem matrimoniorum iure fruebantur, et quae plura notantur imminutae libertatis indicia 4).

1) Ar-

1) Argumentum de Miniſterialibus magno apparatu eruditionis ventilarunt Viri celeberrimi, IOACHIMVS GEORGIVS de PLOENNIGES, ADAMVS FRIDERICVS GLAFEY, IO. GEORGIVS ESTOR.

2) Alioquin inter officium et miniſterium diſcrimen eſt. Illud cum auctoritate aliqua, et dignitate, coniunctum eſt. Hoc proprie in opere et ſeruitiis conſiſtit.

3) Hoc ſenſu vox Miniſterialis nullam ingenuitatis, atque exiſtimationis imminutionem infert; ne libertatis quidem, niſi in quantum illa per indolem obligationis feudalis reſtringitur.

4) Miniſteriales hos, (Adeliche Leibeigene) agnoſcit ipſe BVRGERMEISTERVS, im Graven- und Ritter-Saal, P. II. Sect. XXVI. p. 193. et ſequ.

XVIII. Caeterum licet iam dudum mutata ſit rei bellicae facies, ex quo milite conductitio bella geruntur, manent tamen in Imperio vniuerſo, et territoriis ſingulis, Ordini Equeſtri priuilegia ſua, tituli, inſignia, et immunitates, militiae intuitu quondam conceſſae.

XIX. Ratione habitus ad Imperium, (nam ratione originis, et dignitatis, non differunt) Ordo Equeſtris in Germania diuiditur in mediatum, et immediatum.

XX. Alii enim ſunt in ditione ac poteſtate, Principum, Comitumque, et Statuum Imperii, in quorum territoriis degunt, et praedia ſua poſſident: et Landſaſſii, vocabulo ex Germaniae inſtitutis orto, appellantur. Status eorum, cuiusuis

iusuis territorii legibus, vſibusque et priuilegiis, continetur *.

* Priuilegiorum eiusmodi Collectionem dedit LVNIGIVS, ſub titulo : Collectio Noua von der mittelbaren Reichs-Ritterſchaft.

XXI. Alii, ſcilicet in Sueuia, Franconia, et ad Rhenum, immediate ſubiecti ſunt 1) Imperio. Quanquam et in iſtis regionibus intermixti agant Landſaſſii 2).

1) Hic quoque diſputatum eſt, vtrum ea immedietas originaria ſit, an aduentitia? Siue, vtrum ab antiquo Imperatores, vti Ordo Equeſter contendit, ſibi et Imperio ſoli obligatum eum ſeruauerint, an vero ille extinctis demum Ducibus Sueuiae, et Franconiae, immediate parere Imperio coeperit? Conf. GOEBELIVS in Diſſert. de Statu Nobilitatis Germanicae §. 3. not. 5. AVCTOR des geöffneten Ritterfelds §. 6. not. a et c. Sane MILITES REIPVBLICAE, iam ſub Henrici IV. Imperio, notaui in COMMENTAR. l. c.

2) De Statu Nobilium immediatorum varias diſtinctiones profert HERTIVS, in Diſſ. *de Specialibus in Imperio Romano-Germanico Rebuspublicis*, Sect. I. §. 8. Scilicet, non omnes Nobiles, qui in illis tractibus habitant, eſſe liberos, ſed aliquos vicinis ſubeſſe Principibus: deinde illos, qui citra dubium libertate fruuntur, vel immediatas arces, oppida, villas, optimo iure poſſidere, vel praeter familiam, immediate Imperio ſuppoſitam, omnia ſua bona Statuum Imperii ditioni ſubiecta fateri.

XXII. Vtrum Nobiles Imperii immediati, qui feuda a Principibus Imperii, in deſignatis hiſce regionibus habent, illorum etiam ſubditi ſint, aliquoties diſputatum fuit *. Sed aſſerta illorum immedietas.

* Vin-

* Vinculum feudale in hiſce prouinciis non inferre ſubiectionem, deductum eſt in cauſa Nobilitatis Rhenanae in Ditione Treuirenſi, contra Electorem Treuirenſem, ap. BVRGERMEISTERVM in Theſauro Iuris Equeſtris P. I. p. 677. Item in cauſa Nobilitatis Sueuicae contra Ducem Würtenbergicum. IBIDEM P. II. n. 22. 23. 28. et ſeqq.

XXIII. Nobiles ipſi variis foederibus inter ſe colligati ſunt *. Ex quibus inſigne maxime foedus, quod ſub titulo S. Georgii innotuit. Hodie tres Nobilitatis immediatae Claſſes: Rhenana: Sueuica: Franconica. Singulae iterum per Pagos, ſiue Diſtrictus, diſtributae. Atque pro conſeruatione veterum familiarum hoc quoque pactis, et ſtatutis introductum eſt, vt in plerisque Capitulis immediatis per illas prouincias, non niſi ex eiusmodi gentibus exorti admittantur.

* Has colligationes DATTIVS, de Pace Publica Lib. I. c. 7. n. 4. ſeqq. p. 41. verſus finem Seculi XIV. coepiſſe ſcribit. Quod male habet BVRGERMEISTERVM im Graven- und Ritterſaal, P. II. Sect. 17. 18. p. 144. ſeqq. Sed defendit DATTII aſſertum AVCTOR des geöffneten Ritterfelds, pag. 40. n. 1.

XXIV. Sueuica Nobilitas diuiditur in quinque Diſtrictus: 1. an der Donau, 2. in Hegau, Allgau, Bodenſee, 3. Neckar, Schwarzwald und Ortenau, 4. am Cocher, 5. am Kreichgau.

XXV. Franconica in ſex diuiditur: 1. Ottenwald, 2. Gebürg, 3. Rhöna und Werra. 4. Baunach, 5. Steygerwald, 6. Altmühl.

XXVI.

XXVI. Rhenana in tres: 1. Gau und Waßgau, 2. Wetterau, Weſterwald, Heimrich, Rheingau, 3. Nieder-Rheinſtrom, Hundsrück, Eberswald *.

* Conf. Rhein- und Wetterauiſche Ritter-Raths-Ordnung, quam confirmauit D. LEOPOLDVS An. 1662.

XXVII. Cuilibet Claſſi director ſuus eſt; cuilibet Diſtrictui Capitaneus, aliique officiales, et velut aliqua communis Reipublicae imago. Vniverſale vero Ordinis directorium alternis vicibus per Claſſes mutatur.

XXVIII. Ita conſtitutas in commune rationes habent Equites immediati. Tam inſignibus porro in praediis ſuis gaudent iuribus, et priuilegiis, vt Superioritatem Territorialem illis paſſim tribui videas. Sed deficit caracter Status Imperii, quem ſupra, in ſuffragio Comitiali poſitum eſſe, oſtendimus. Ad hunc quoque obtinendum adſpirantes, Anno MDCLXXXVI. quo fauere tantae ſpei tempora videbantur, tria ſuffragia curiata in Collegio Principum, poſt Comites ferenda, petiere.

XXIX. Iura vero haec et priuilegia, vel vniverſo competunt Ordini, atque ad conſeruationem eius praecipue comparata ſunt, vel ſingulis 1). Soletque in Capitulatione, aliisque legibus, et Pacificationibus Imperii, vbi Imperii Statibus proſpicitur, etiam Nobilitas immediata comprehendi? 2).

1) Col-

1) Collegit illa IO. STEPH. BVRGERMEISTER in Theſauro Iuris Equeſtris Publici et Priuati. Vlmae 1718.

2) Conf. die Reichs-Fama P. IV. cap. 39. Vom Kaiſerlichen Aſſecuratorio für die Reichs-Ritterſchaft wegen deren Einſchließung in den Wieneriſchen Frieden.

XXX. Ad priorem claſſem referas exempla exerciti iuris, circa Legationes 1), et foedera 2).

1) Vid. KVLPISIVS in Diſſ. *de Legationibus Statuum Imperii* cap. 9. §. 2. p. 638. Qui vero ab Ordine Equeſtri ad Imperialem Aulam delegantur, in Capitulatione Caeſarea, Art. 18. vocantur der Reichs-Ritterſchaft Abgeordnete, atque hoc nomine a Legatis Statuum diſtinguuntur.

2) Exempla habes in foedere Sueuico: nec non in foedere, quod Nobiles immediati cum Corona Sueciae, quodque in cauſa Wildfangiatus, cum vicinis Imperii Statibus, iniere.

XXXI. Eo etiam ſpectat facultas celebrandi conuentus vel vniuerſales, vel particulares *.

* De Comitiis Nobilitatis PHIL. FRID. de BERGHEIM: de Conuentibus Deputatorum Nobilitatis, commentatus eſt PHIL. RHEINH. GEYLING. Argent. 1714.

XXXII. Collectae quoque pro ſumptibus, ad communes vſus faciendis, per Directores et Capitaneos indicuntur.

XXXIII. Ne vero praedia collectis obnoxia imminuantur, neue Equites, cum forte ad dignitatem Baronum, aut Comitum euehuntur, hiſce collationibus ſeſe ſubducant, priuilegio Ferdinandi I. Anno MDLX. cautum eſt, ne bo-

na extra Ordinem alienentur, vel ſaltem ius collectandi, antiquitus quaeſitum, reſeruetur. Idque ſequentes Imperatores, et D. quidem Leopoldus, Anno MDCLXXXVIII. confirmauerunt.

XXXIV. Inde ſaepe litium materia, praecipue cum praedia, quae Nobiles a Statibus Imperii in feudum tenuerant, extinctis familiis, ad Dominos directos recidunt, iique iam conferre ad aerarium Nobilitatis detrectant *.

* Controuerſia ex hoc Capite interceſſit Duci Würtenbergiae cum Nobilitate Suecica, in pago Kocherano: item Comitibus Caſtellae, cum Nobilitate Franconica ex Pago Rhoen et Werra. Vid. BVRGERMEISTER l. c. n. 35. 36. et 37. Eidem Pago ea de re interceſſit controverſia cum ciuitate Suinfurtenſi.

XXXV. Porro habet ius Retractus contra quoscunque extraneos, ita, vt primum agnatis et cognatis alienantis, ſecundum gradus praerogatiuam, deinde cuiuis ex eodem Diſtrictu, vel Claſſe, et demum vniuerſo corpori competat *.

* Ex priuilegio Ferdinandi II. de Anno 1624. Conf. tamen Decreta Collegii Electoralis et Principum Anno 1704. in Comitiis facta. Vid. BVRGERMEISTER P. II. n. 38. ſeqq.

XXXVI. Quoad Iurisdictionem ſubiecti ſunt Conſilio Imperiali Aulico, et Iudicio Camerali: Itemque Rothwilenſi, et iudiciis prouincialibus in Franconia et Sueuia, niſi familiae ſigillatim fuerint exemtae.

XXXVII.

XXXVII. Directorium cuiusuis Claſſis, per priuilegium, de A. MDCLXXXVIII. ad modum perpetuae commiſſionis Caeſareae, in confirmatione tutorum et curatorum, in cauſis exigendi iuramenti, tutelae, conficiendi inuentarii, cautionis, et redditionis rationum, concurrit cum ſupremis Imperii Iudiciis.

XXXVIII. In cauſis feudalibus, fundata eſt iurisdictio Domini directi 1): vigetque paſſim vſus Curiae Parium 2).

1) Conf. Scriptum apud BVRGERMEISTERVM in Theſ. Iur. Equ. P. I. p. 729. et quae ad illuſtrandum Imperiale Mandatum de Anno 1717. *de non recurrendo in cauſis mere ciuilibus, ad Curias feudales*, prolata ſunt, in der Reichs-Fama P. III. cap. 33.

2) Vid. Diſſ. de Paribus Curiae §. 28.

XXXIX. Praeter Iura, vniuerſo Ordini communia, ſinguli gaudent iure ſacrorum, in praediis ſuis, ad illum modum, quo Statibus, per leges Imperii publicas, competit*.

* INSTRVMENTVM Pacis Oſnabrugenſe Art. V. 28. *Libera, et immediata Imperii Nobilitas, omniaque, et ſingula eius membra, vna cum ſubditis, et bonis ſuis feudalibus, et allodialibus, niſi forte in quibusdam locis, ratione bonorum, et reſpectu territorii, vel domicilii, aliis Statibus reperiantur ſubiecti, vigore pacis religioſae, et praeſentis conuentionis, in iuribus religionem concernentibus, et beneficiis inde promanantibus, idem ius habeant, quod ſupra dictis Electoribus, Principibus, et Statibus competit, nec in iis, ſub quorumque praetextu, impediantur, aut turbentur, turbati vero omnes omnino in integrum reſtituantur.*

XL. Habent merum et mixtum Imperium: Ius collectandi ſubditos: Ius recipiendi Iudaeos, quae, vti et alia forte, ſpecialibus priuilegiis obtinuerunt.

XLI. Inter iura cauſſasque Ordinis Equeſtris ſaepe mentio fit, Ganerbinatuum 1), quo nomine intelliguntur pacta de mutua defenſione, et ſucceſſione, qualia illo aeuo, quo priuati belli licentia erat, plures familiae inire ſolebant 2). Plerumque certas arces atque caſtra reſpiciunt, ob ſecuritatem, cuius cura illo aeuo, propter turbulentum ſtatum, magis neceſſaria 3).

1) Gan=Erben dicuntur quaſi Chun=Erben, contracte ex Gegen=Erben. De illis conferendi IAC. WERNHERVS KILLINGER de Ganerbiis caſtrorum: IOH. GEORG. LEIB de Ganerbinatibus: WALDSCHMID de Pactis Ganerbinatuum.

2) Huc ſpectant pacta, quae in ſpecie pro pace mutuo ſeruanda iniri ſolebant, vulgo Burgfrieden.

3) Exemplum olim praebuit arx Rothenbergenſis, haud procul Noriberga. Caſtrum Fridbergae in Wetterauia adhuc hodie inſigne eſt: item Saltzburgum ad Salam, in Franconia.

XLII. Seruitia quondam Imperatoribus reipſa praeſtare in expeditionibus ſolebant, ſub vexillo S. Georgii 1). Sed iam a Caroli V. temporibus obtinuit, vt loco ſeruitiorum pecuniam offerant, *ſubſidii charitatiui* 2) nomine.

1) Vid. P. ZIEGELBAVR von der St. Georgenfahne.

2) Vid. ſupra Lib. V. cap. 3. §. 24.

CAP.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * * * * *

# CAPVT II.

## DE ORDINIBVS MILITARIBVS IN GERMANIA: IN SPECIE ORDINE TEVTONICO.

*Connexio. 1.*
*Ordinum militarium origo. 2. et diuerſitas. 3.*
*Ius Imperatoris in Ordinem Conſtantinianum. 4.*
*De Magiſterio Ordinis Aurei Velleris. 5.*
*De ordinibus Aquilae Albae, et Nigrae. 6. Item S. Huberti, et S. Georgii. 7.*
*Ordinis Teutonici origines, regula, Statuta. 8.*
*Fata Ordinis. 9. 10.*
*Domus generalis Mergentheimi. 11.*
*Balliuiae. 12.*
*Conditio Bonorum Ordinis in Territoriis Statuum. 13.*
*Conſilium de transferendo Ordine. 14.*
*De Regimine Ordinis. 15.*
*De equitibus eius, Aug. Confeſſioni addictis. 16.*

Supra notauimus honores militares ab antiquiſſimis Germanorum inſtitutis manaſſe. Itaque argumento de Nobilitate Imperii addenda quaedam de Ordinibus Equitum militaribus, et honorariis; qui in Imperio Romano-Germanico florent: imprimis de Ordine Teutonico, et magno Prioratu Ordinis Equitum S. Iohannis in Hieruſalem. Vtriusque enim Iuribus Leges Imperii paſſim proſpiciunt.

II. Scilicet a tempore expeditionum cruciatarum obtinuit, vt commilitia ſponte coirent *, aut inſtituerentur a Regibus et Principibus, pro defenſione rei Chriſtianae: aut ad fortitudinis

 mili-

militaris, aliarumque virtutum ſtudia excitanda. Atque ita ſucceſſu temporis ingens Ordinum eiusmodi, ſiue ſodalitatum militarium, numerus extitit.

* Ab hoc demum tempore origines Ordinum militarium certae. Quam in rem memorabilis eſt locus PAPEBROCHII, in *Analectis* ad *Acta St. Georgii*, cap. XI. menſe Aprili Tom. III. f. 155. a: *Fallunt*, inquit, *aut volentes falluntur, adulatorio placendi ſtudio abrepti, quicunque militarium religionum principia ante XII. Seculum requirunt.* Et poſt pauca: *Si vera magis libet, quam placentia ſcribere, dicendum omnino eſt, ſaluberrimae iſtius inſtitutionis laudem iis deberi, qui cum Gotefrido Bullionio reſtituerunt Hieroſolymitanum regnum, initaque ad colligendos tutandosue peregrinos ſocietate, votis quibusdam adſtricti, originem dedere Ordinibus Hoſpitalariorum, Templariorumque, toto poſtea orbe celeberrimorum. Ad horum enim imitationem, ſub aliis, aliisque titulis, Patronis, atque conſtitutionibus, erecti ſunt poſtmodum, per omnes Chriſtianorum ditiones, varii Equeſtres Ordines.*

III. Hi vero Ordines * militares, vel ſunt religioſi, in quibus Equites certa regula, et votis obſtringuntur, vel ſeculares, atque alii reuera ad militiam inſtituti, alii mere honorarii.

* De Ordinibus Equeſtribus plures ſcripſere. Inter illos commendari merentur AVBERTI MIRAEI Origines Ordinum Equeſtrium, ſiue militarium. ANDREAE MENDO Disquiſitiones Canonicae de Ordinibus Militaribus. CHRISTIANI GRYPHII Entwurf der geiſt- und weltlichen Ritter-Orden.

IV. Cum vero hic de illis praecipue agendum ſit, qui in Imperio florent, vulgo quidem primo loco ponunt Ordinem S. Georgii 1), quem a Con-

a Conſtantino M. inſtitutum iactant, inſtauratum ab Iſaacio Angelo Comneno. Eius Patronus, ipſo Imperii Iure, cenſetur Imperator, eoque vſus D. Leopoldus, Ducem Parmae et Placentiae Magnum Ordinis Magiſtrum appellauit 2).

1) Hiſtoria Ordinis huius, et Priuilegia, edita ſunt Venetiis 1680. 4. Sed ſeueram in illam cenſuram exercuit AVCTOR Diſſertationis de Ordine Conſtantiniano. Et iam ante, praeter PAPEBROCHIVM, cuius verba ad praecedentem §. 2. protulimus, vulgatam Ordinis Hiſtoriam perſtrinxerat CAROLVS du FRESNE, in Hiſtoria Byzantina f. 211. et ſeqq.

2) Conf. Leben Leopoldi P. II. p. 822. ſeq. Acta quaedam huc pertinentia extant in LVNIGII Scriptis illuſtribus.

V. Ordinem Aurei Velleris, Philippus Bonus, Burgundiae Dux, Anno MCCCCXXX. inter ſolemnia nuptiarum, cum Iſabella, Iohannis I. Portugalliae Regis filia, Brugis, inſtituit 1). Magiſterium, a poſteris Auſtriacis, Belgii ſimul Principibus, exercitum, extincta Hiſpanica ſtirpe, ad Imperatorem Carolum VI. deuolutum 2): nunc quoque ſuſtinetur ab Imp. Aug. Franciſco 3).

1) Hiſtoriam Ordinis dedit IVL. CHIFLETIVS in Breuiario Hiſtorico Incliti Ordinis Velleris Aurei. Antwerpiae An. 1652. 4.

2) Vid. GRVBERI Vindiciae Auſtriacae pro Aurei Velleris Ordine: et IO. ZACHARIAE HARTMANNI Oratio eiusdem argumenti.

3) Vt Magnus Dux Etruriae, caput eſt Equeſtris Militiae S. Stephani, quam Coſmus Dux, An. 1555. inſtituit, in memoriam expugnatae Vrbis Senenſis.

VI. Principes quoque et Proceres Germani Regum exterorum Ordinibus inſeri

 amant.

amant. Illuſtris eſt in Germania etiam Ordo Aquilae Albae 1), a Sereniſſimo Poloniae Rege, Saxoniae Electore, An. MDCCV. inſtitutus 2). Acceſſit nuper Ordo militaris S. Henrici. Aquilae Nigrae, quae Regni Pruſſiae inſigne eſt, Ordo, vna cum ipſo Regni titulo conditus.

1) Conf. IO. FRIDERICI Comitis SAPIEHA *Annotationes Hiſtoricae de Ordine Equitum Aquilae albae.*

2) Sunt qui iam An. 1325. a Rege Vladislao Loctico Ordinem militarem ſub eo ſymbolo inſtitutum ſcribunt. Sed eos refellit GRYPHIVS l. c. p. 193.

VII. Alii inſuper Ordines a Principibus Germaniae inſtituti ſunt. Ita Ordo S. Huberti, a Gerhardo, Duce Iuliae et Montium, A. MCCCC LXXIII. fundatus eſt; inſtauratus, a Io. Wilhelmo, Electore Palatino, A. MDCCVIII. *. Et in Aula Bauarica nouus Ordo militaris S. Georgii nuper inclaruit.

* Vid. Hiſtoriam Ordinis Equeſtris S. Huberti, in Exercitationibus Francofurtenſibus, T. III. Sect. I. n. 6.

VIII. Praecipue autem hoc loco commemorari debet Ordo militaris, totus Germanicae Nobilitati proprius: ſcilicet *Fratrum Hoſpitalis Teutonicorum S. Mariae in Hieruſalem* *.

* Hiſtoriam, praeter Rerum Pruſſicarum Scriptores, dedit VENATOR vom Teutſchen Orden. Cl. RAYMVNDI DVELLII Hiſtoria Ordinis Equitum Teutonicorum, prodiit Viennae. 1727. f.

IX. Nomen traxit a domo Hoſpitali S. Mariae, quae Hieroſolymis fuit. Ordinem ipſum inſtituit Fridericus, Sueuiae Dux, in caſtris ad Acco-

Acconem, ad exemplum militum Hoſpitaliorum S. Iohannis, et Templariorum: confirmauit Henricus VI. Imperator, et Coeleſtinus III. Papa, qui Regulam S. Auguſtini obſeruandam commendauit *.

* Statuta, Anno 1606. reuiſa, vid. ap. LVNIGIVM Spicileg. Eccleſiaſtico, I. Theils Fortſetzung p. 49.

X. Equites hi Teutonici Pruſſia deinde potiti ſunt 1), et illorum Sodalitio inſertus eſt Ordo Enſiferorum, qui per Liuoniam florebat 2), atque ab eo tempore, circa A. MCCCIX. Domum generalem, vti vocant, quae primum in vrbe Accone, deinde Venetiis fuerat, in Pruſſiam tranſtulere.

1) Vid. ſupra Lib. II. cap. 2. §. 48. et 56.
2) Conf. HENR. LEONH. SCHVRTZFLEISCHII Hiſtoria Enſiferorum. Viteb. 1701. 8.

XI. Sed Pruſſiam, et Liuoniam, vt Ordo Teutonicus amiſerit, ſupra attigimus. Bona quoque per Italiam intercidere. Et ea praeſertim, quae in Regno Neapolitano habuerat, Pontifices Nepotibus ſuis dediſſe queſti ſunt Status Germaniae, in grauaminibus ſuis A. MDXX. et MDXXIII *.

* Conf. Grauamina de An. 1523. N. 38.

XII. A tempore amiſſae Pruſſiae Domum Principalem fixit Mergenthemi in Franconia.

XIII. Bona quae ſuperſunt per Balliuias, et Commendas, diuiduntur. Sunt vero Balliuiae,

 Al-

Alſatiae, et Burgundiae 1): Auſtriae: ad Confluentes: ad Atheſin (an der Etſch und im Gebürg): Franconiae: Iuncetaria, ſiue *Alt-Bieſen* 2): Weſtfalica 3): Lotharingica: Haſſiaca: Saxonica 4), et Thuringica.

1) Huius praedia a Gallis occupata, et in Ordinem Equeſtrem S. Lazari translata fuerunt. Vid. Acta publica apud LONDORPIVM T. XII. et Staats-Canzley, T. II. cap. 5. Reſtituta quidem in Pace Ryſuicenſi Art. 11. mox iterum erepta, et denique reſtituta per Pacem Badenſem, Art. 12.

2) Vt de Commenda *Gemmerts* inter Ordinem Teutonicum, et Ordines Generales Foederati Belgii tranſactum, vid. in LVNIGII Spicilegio Eccleſiaſtico I. Theils Fortſetzung, p. 75.

3) Huic Balliuiae Commendator, alternis vicibus e Catholicis, Auguſtanae Confeſſioni addictis, et Reformatis datur. Vid. DVELLIVS l. c. p. 53.

4) Equidem et Balliuia Vltraiectina, cum commendis ſuis ſupereſt, habetque Domum ſuam Vltraiecti, et Commendatorem Prouincialem; ſed plane ſeiuncta a reliquo Ordine.

XIV. Immediata * eſt Balliuia Confluentina, et olim Alſatiae. Vnde Commendatores inter Praelatos immediatos Receſſibus Imperii ſubſcripſerunt.

* De iure Dominorum Territorii in reliquarum Balliuiarum praedia diſputat FRID. LVD. a BERGER, in Disquiſ. de Iure Territorii Archiduci Auſtriae, et aliis S. R. I. Principibus, in Bona ab Ordinibus Equeſtribus poſſeſſa, competente. Reperitur in App. ad eius Animaduerſiones in COCCEII Ius Publicum p. 781. et ſeq.

XV.

XV. Agitatum fuit ſub Maximiliano II. et Rudolpho II. qua ratione vtilitas aliqua ab hoc Ordine parari Imperio, in bellis aduerſus Turcas, poſſet; propoſitumque conſilium de transferendo illo ad Hungariae confinia.*. Sed euentu res caruit.

* Vid. Lünigs Staats-Conſilia T. II. n. 334. Fit adeo eius rei mentio, in Rec. Imp. de An. 1576. §. 29. et ſequ.

XVI. Generalis Ordinis Magiſter *, a Capitulo legitur, et a Caeſare inueſtitur. Illi ex priſtina fortuna ſupereſt in Comitiis Imperii locus, ſtatim poſt Archiepiſcopos. Poſt Magiſtrum praecipua auctoritas eſt penes Capitulum.

* In electione Caroli Auſtriaci, Imp. Ferdinandi II. fratris, quod Epiſcopus eſſet Vratislauienſis et Brixinenſis, dubium motum, conueniatne Clerico Cingulum militare? Sed ſuſtinuit ſe, repetitis exemplis, obſeruantia.

XVII. Auguſtanae Confeſſioni addicti Equites admittuntur in Balliuiis Haſſiaca, Saxonica, et Thuringica. Caeterum coelibatum ſeruant, ſtatasque precibus horas, et Magiſtro Ordinis Generali, haud ſecus ac Catholici, parent *.

* Duellius l. c. p. 53.

CAP.

✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻ ✻

## CAP. III.

# DE PRIORATV GERMANICO ORDINIS EQVITVM S. IOHANNIS HIEROSOLYMITANI.

*Fata Ordinis.* 1. *Incrementa e bonis Templariorum.* 2. *Diuiditur in octo magnos Prioratus.* 3. *De Statu Prioratus Germanici.* 4. *eiusque relatione ad Imperium.* 5. 6. *Imminutio honorum eius.* 7. *De Prioratu Bohemiae etc.* 8. *Balliuiae Brandenburgicae formula.* 9. *Commendae ad illam ſpectantes.* 10. *De Magiſtro, et reliquo Statu eius.* 11. *In ſpecie de Statutis.* 12.

Praeterea floret per Germaniam Magnus Prioratus Equitum *Hoſpitalis S. Iohannis in Hieruſalem.* Is Ordo primum Hieroſolymae fundatus 1), deinde ab Inſula Rhodo, in quam ſedem fortunarum, amiſſa Hieroſolyma transtulerat, cognomen traxit. Nunc a Melita Inſula habet, quam Equites, expugnata per Solymannum Rhodo, ab Imperatore Carolo V. impetrauere 2), validisque firmatam munimentis, Sedem Ordinis ſtatuerunt.

1) Conf. COMMENTARII de Rebus Imperii ſub Henrico IV. Lib. II. §. 32.

2) Ex Hiſtoriis huius Ordinis diſertiſſima eſt, quae Pariſiis prodiit: *Hiſtoire des Chevaliers Hoſpitaliers de S. Iean de Ieruſalem, par l'Abbé* VERTOT. Idem auctor addidit Diſſertationem de Regimine Ordinis.

II. Fortunae huius Ordinis inſigniter auctae fuerunt ex bonis Templariorum 1), et in ſpecie

per

per Germaniam, cum commilitium illud Clemens V Papa, inſtigatu Philippi Pulchri, Regis Galliae, aboleuiſſet 2).

1) Hiſtoriam Ordinis Templariorum dedit GVRTLERVS. Perſecutionis Gallicanae acta edidit PVTEANVS, velut defenſionem eius ſcripturus. Sed iniquitatem crudeliſſimae ſtragis latius deducit CHRISTIANVS THOMASIVS, in Diſſ. de Templariorum Equitum Ordine ſublato.

2) Vid. Reichs-Archiv l. c. p. 81. 84.

III. Ordo vniuerſus in octo Magnos Prioratus, ſ. linguas, vti vocant, diſpeſcitur*. Ex his Magnus Prior Alemaniae Balliui munus gerit, quod eſt ex octo officiis illis, quorum praecipua poſt Magiſtrum auctoritas.

* Scilicet Prouinciae, Aruerni, Franciae, Italiae, Arragoniae, Angliae, Alemanniae, et Caſtellae. Angliae Prioratus intercidit quidem, ſed munera publica, in adminiſtratione rei communis, huic linguae quondam deſtinata, Ordo per Vicarios ſupplet.

IV. Itaque in Magno hoc Prioratu Germanico eadem Statuta obſeruantur, quae ſunt Ordinis vniverſi 1): nec vllibi ſeuerius in nobilitatem Candidatorum inquiritur 2).

1) Statuta Ordinis An. 1118. condita ſunt, et An. 1584. a Sixto V. confirmata. Vid. LVNIGII Spicilegium Eccleſiaſticum, Continuat. I. p. 397.

2) Contra in familiis Luca, Genua, Florentiis oriundis, mercatura non derogare cenſetur Nobilitati. VERTOT in Diſſ. de Regim. Ordinis p. 13.

V. Variis ab Imperatoribus priuilegiis ornatus eſt. Prior ipſe 1) cui ſedes Heidersheimi,

in

inBriſgouia,PrincipisImperii dignitate gaudet. Inveſtitur de Regalibus a Caeſare 2), et locum etiam in Comitiis habet.

1) Vocatur Obriſter=Meiſter des Ritterlichen S. Johannis=Ordens in Teutſchen Landen.

2) Vid. Inueſtituram a Ferdinando II. datam An. 1620. im Reichs=Archiv, P. Spec. Continuat. I. unterm Johanniter=Orden p. 99.

VI. Praeterea decretum in Comitiis Imperii An. MDCCVI. non niſi Germanos in claſſem huius Prioratus recipi 1), et beneficiorum in Germania participes fieri poſſe 2).

1) Ritum quo recipi Equites ſolent vid. im Reichs=Archiv unterm Johanniter=Orden p. 109.

2) De conſilio hunc Ordinem coniungendi cum Teutonico, ad militiam aduerſus Turcas, vid. VERTOTIUS T.IV. p. 112.

VII. Partem vero bonorum haud modicam paſſim amiſit, et in ſpecie per prouincias Belgii. Quorum recuperandorum in ipſa Capitulatione Imperiali adhuc fit mentio *.

* Art. X. 8. De bonis Commendae Harlemenſis, Cardinalis de Haſſia, Magnus Prior per Germaniam, cum Ordinibus Hollandiae tranſegit, Anno 1668. Vid. VERTOT T.IV. p. 193. Supereſt Balliuia Vltraiectina, cum nouem Commendis. Sed plane ſeiuncta eſt ab Ordine.

VIII. De Prioratu Bohemiae contentio fuit, cum Imperator, tanquam Bohemiae Rex, conferre commendas vellet. Sed Rudolphus II. Anno MDLXXXXVIII. rem compoſuit 1). Prioratus

tus autem Daciae, quo nomine ſecundum morem medii aeui Dania ſignificatur, et Prioratus Hungariae, interciderunt 2).

1) BECMANNVS cap. 3. §. 5. vbi et ſeries Priorum Bohemiae ſiſtitur. VERTOT T. IV. p. 114. 117. et 126.

2) Conf. BECMANNVS l. c. §. 4. et 5.

IX. Balliuia Brandenburgica* ſub Protectione Electoris Brandenburgici eſt, ex pacto Equitum, cum Waldemaro, Marchione, An. MCCCXVIII. inito 1). Ipſi etiam de ſtatu ſuo, et habitu erga Ordinem vniuerſum, cum Magno Priore Nationis Teutonicae transegerunt 2).

* Vocatur das Herrn-Meiſterthum des Ritterlichen Johanniter-Ordens in der Marck, Sachſen, Pommern, und Wendland.

1) Conf. IO. CHRISTOPH. BECMANNI Beſchreibung des Ritterlichen Johanniter-Ordens, und deſſen abſonderlicher Beſchaffenheit, im Herrn-Meiſterthum in der Marck etc. cum acceſſionibus IVSTI CHRISTOPHORI DITHMARI. Francofurti ad Viadrum, An. 1726.

2) Vid. Pactum de An. 1382. im Reichs-Archiv l. c. p. 87. et apud BECMANNVM p. 182.

X. Balliuia haec varias habet Commendas. In noua Marchia ſunt *Lagow* et *Schiwelbein:* in media *Lietzen*: in vetere *Werben:* in Principatu Mindenſi *Wittersheim*: in Ducatu Brunſuicenſi *Supplinburg* 1): in Luſatia inferiori *Friedland* et *Shenckendorff*. Commendae *Mirow* et *Nemerow* Ducibus Mecklenburgi, in Pace Veſtfalica 2), attributae ſunt.

1) Pe.

1) Pactum de ea inter Ordinem, et Duces Brunſuici, An. 1591. initum, vid. im Reichs-Archiv Spicileg. Eccleſiaſt. Cont. I. p. 470.

2) INSTRVMENTVM Pacis Oſnabrugenſe, Art. 12. §. 3.

XI. Magiſter, cui ſedes Sonneburgi in noua Marchia, eligitur a Capitulo 1): confirmatur a Magno Priore in *Heidersheim*, agnoſciturque a Magno Ordinis Magiſtro. Portio quoque redituum, quae ex Commendis ad Theſaurum Ordinis mitti debet, (*Reſponſales* vocant) Ordini reſeruata eſt 2).

1) Equidem nomen *Baiuli*, *Bailliuii*, Germ. Ballier, quondam in vſu fuit. Sed Magiſtri appellatio praeualuit, Germ. Herrn-Meiſter: de qua vid. BECMANNVS cap. 5. §. 1. Ipſe in publicis actis vtitur titulo: Meiſter des Ritterlichen Johanniter-Ordens in der Marck, Sachſen, , Pommern, und Wendland.

2) BECMANNVS l. c. Cap. 4. Conferendus et SCHWEDERVS in Theatr. Praetenſion. T. I. p. 755.

XII. Statuta in hoc Balliuatu ita attemperata ſunt, vt cum Auguſtana Confeſſione, quam Equites ſequuntur, conſiſtere queant. Adeoque caſtitas, quam Regula Ordinis requirit, de Coniugali fide intelligitur*.

* Conf. BECMANNVS l. c. Cap. 6. §. 2. IBIDEM expendit: Vtrum iure exprobrari illis poſſit, quod expeditiones aduerſus infideles (*Carauanes* vocant) non inſtituunt? Defenditque eos ex duplici ratione, 1) quia illae ſunt recentioris inſtituti, et 2) ad rei Chriſtianae incrementum reuera parum faciunt.

INDEX

# INDEX RERVM,

Prior numerus paginam, poſterior paragraphum denotat, n. notas.


## A.

Academiae priuilegia accipiunt ab Imperatore 306. 31

Actorum publicorum in iure publico vſus 23. 11 ſq.

Adcapitulandi ius Electorum 16. 10

Adlegandi ius Statuum Imperii 340. 30

Adoptio Principum Imperii 430. 4. varia adoptionum illuſtrium exempla ibid. n. 2. 3 4

Aduocatia Eccleſiae Catholicae Imperatori, quo ſenſu tribuatur? 306. 32. ſq.

Aduocati olim inter officiales Imperii 272. 49

- - ciuitatum imperialium 285. 6

- - prouinciales ibid. 7 ſq.

Aerarium prouinciae in territoriis Statuum 405. 26

Aggratiandi ius quale Statibus Imperii competat? 401. 5

Albergariae ius 388. 16

Albis limes quondam Imperii Carolini 42. 18

Alemanni cum Sueuis coaluere 39. 8. vid. Sueui.

Allobrogum colonia, ciuitas regni Burgundici 73. 31

Alſatia ab Imperio auulſa 57. 13

Antuerpienſis Marchia 58. 18.

Apanagium 422. 11. 423. 16. controuerſiae de illo 422. 12. n.

de non Appellando priuilegia 360. 8. n.

- - priuilegium aſſeruit illimitatum Elector Treuir. 230. 5

Aperturae ius 388. 16

Aquila biceps in inſignibus Imperii 157. 29 ſq.
Aquilae albae ordo item
Aquilae nigrae 456. 6
Arauſionenſis principatus, pars regni Burgundici 71. 22
Archiducalis dignitas domus Auſtriacae 263. 20
Archiofficiorum Palatinorum origo et ratio 172. 7 ſq.
functiones in coronatione 136. 16
it. in curia 184. 25
de nouo Archiofficio Electori Brunſuicenſi aſſignando conſilia 190. 35
Archiuum Imperii ſub cura Moguntini 183. 21
Armandiae ius in territoriis 402. 12
Auenionenſis et Venecenſis Comitatus, partes quondam regni Burgundici 72. 26
Auguſtae Ducatus 74. 35
Auguſtae Status apud Romanos 163. 1 ſq.
- - an exacquaretur Principi? 164. 2. n. 3
- - apud Germanos 164. 3
Auguſtalis dignitatis ornamenta, et priuilegia 154. 22 ſq. 164. 2. 165. 4 ſq.
Auguſti titulus 149. 12. item Semper Auguſti, ibid. 13
Aula Imperialis 171. 6
Eius miniſtri e nobilitate Germanica legendi 194. 43
Aulicum Imperiale conſilium 360. 9 ſq.
ex eo quando res ad comitia referri debet? 361. 12
Aurea Bulla 8. 1 ſq.
Aurei Velleris ordo 455. 5
Auſtregae 359. 7. n.
earum obſeruatio iniungitur ibid.
Auſtriae Ducatus 262. 14
Auſtriacorum pro retinendo Imperio conſilia 129. 28
Autonomia Imperii Germanici 310. 2

B.

de Balneo ordo equeſtris 443. 13. b n.
Baltheus inter inſignia dignitatis quondam equeſtris ibid. 13. b 277. 61. n. 1
Barri Ducatus, an feudum quondam Imperii? 56. 10
Baſileenſis pagus, pars olim regni Burgundici 72. 27
Bauariae ducatus antiquus 261. 8
- - nouus ibid. 12
- - Elector, eiusque iura ſingularia 234. 14
eius cum Palatino de Vicariatu compoſitio controverſa 201. 6 b
Belli ius, ac gerendi ratio,
- - intuitu totius Imperii 330. 2 ſq.
- - intuitu Statuum 409. 5 ſq.
Belli offenſiui character 330. 3. n. 2
Bellicum Conſilium Imperiale 332. 10


Bohemi,

Bohemi, populus Slauicae originis 40. 13
Bohemiae Ducatus 262. 13
- - Duces 44. 29
- - cum Germania nexus 231. 7
- - Rex et Elector 231. 8
- - et Morauiae Epiſcopi 256. 43
Bona eccleſiaſtica, quo iure nonnulla ſeculo addicta 13. 5. 303. 25
- - mediata ſub poteſtate Statuum 997. 19 ſq.
Brabantia, pars regni Lotharingici 58. 17 ſq.
Brandenburgenſis Marchia 44. 29. Elector, eiusque iura ſingularia 238. 26 ſq.
Bremenſis Archiepiſcopatus 253. 33
- - ſeculo addictus 254. 37
Breſſiae ager, pars quondam regni Burgundici 71. 21
Brunſuicenſis et Luneburgenſis Ducatus origo 262. 15
- - Elector 240. 31
Burggrauii formula 271. 44 ſq.
Burgundi, populus Germanicus 38. 5
Burgundiae Comitatus 72. 23
Burgundiae Regnum, Priſtinus eius cum Germania nexus 65. 1 ſq.
Burgundica feuda imperialia, quibus inueſtitus Dux Sabaudiae 74. 35. n.
Burgundici circuli origo 62. 29. 30
- - praeſens ſtatus 63. 34 ſq.

C.

Caballienſis Ducatus, pars regni Burgundici 74. 35
Caeſaris titulus 145. 3 ſq.
Camera Imperii 366. 1 ſq.
Eius Sedes 368. 7 ſq.
- - ordinatio, huiusque emendatio 370. 13. n. l. 2. it.
- - noua, quae paratur 372. 16
Cameralis iuris ſcriptores praecipui 371. 13. n. 3
Camerarius Imperii 189. 33 ſq.
Cancellaria Imperialis 182. 20
Cancellarii officium 175. 11 ſq.
Canonici iuris quae in Publico auctoritas? 30. 6 ſq.
Capella Imperatorum, et Regum Germaniae 173. 8 ſq.
Capellae Principum Germ. inſigni opere exſtructae ib. n. 4
Archi-Capellani officium ibid.
Capitulatio Caeſarea 13. 1 ſq.
de Capitulatione perpetua 15. 6 ſq.
Capitulatio Epiſcoporum in Epiſcopatibus Germ. 246. 10. n.
Carentani, populus Slauicus 42. 18
Carinthiae Ducatus 262. 13
Carniolae Ducatus 262. 14
Caracter reſpraeſentatitius legatorum 412. 13 ſq.
Circuli Imperii 100. 4 ſq.
Circulorum libertas aſſerta 106. 33. n.
Clauſula articuli IV. Pacis Ryſuicenſis 22. 7

Clerici in feuda an ſuccedant? 426. 24
Collectae Imperii 324. 10 ſq.
- - an in illis decernendis maiora obtineant? ibid.
Colonienſis Archiepiſcopatus 248. 18
- - Elector, eiusque iura ſingularia 231. 6 ſq.
Comacli Comitatus feudum Imperii 81. 15
Comitis officium, dignitas, et iura 264. 21 ſq.
Comites Imperii 278. 64. Ius legationum habent 413. 14. n. 2. Eorum cum ordine equeſtri controuerſiae 276. 59. n. 4
Comitia Imperii 341. 1 ſq.
- - Italiae 97. 76
Comitialia iura quaenam vocentur? 210. 6
Commerciorum cura, intuitu totius Imperii 312. 6. c.
Commiſſarii Imperatoris in comitiis 344. 10. 11
eorum ſeries in hiſce Comitiis ibid. n.
Commiſſarii qui in loco cauſam cognoſcant 365. 17
Concilia, quaenam illorum in Iure Publico auctoritas 17. 2. n.
- - in ſpecie Conſtantienſis et Baſileenſis ibid.
- - Nationalia Germaniae 18. 3
- - Imperatorum iura circa Concilia 307. 36
Concluſa Imperii quid? 349. 33
- - horum Comitiorum promulgari debent 351. 38
Concordata nationis Germanicae 18. 5 ſq.
Condominium territoriale 385. 7
Conductus ius, vide ortum 402. 13
Confraternitatis pactum quid? 426. 25
Conſtantinianus ordo 435. 4
Conſultationis comitialis ordo 346. 19. ſq.
raro obſeruatur 347. 24. n.
Conuentus monetales reſtituendi 317. 26
Corona
- - Comitum 276. 59. n. 3
- - Ducum 274. 53. n. 2
- - regni Italiae 139. 21
cur ferrea vocata ſit? ib. 22
Coronatio Regum. Eius origo 131. 2 ſq.
- - Burgundica 142. 29
- - Germanica 131. 5 ſq.
- - Imperialis 139. 23
- - Italica 137. 17
Criminales cauſae immediatorum 362. 363. 18
Curiae ſolemnes in Germania 169. 70. 3 ſq.
Curlandiae et Semgalliae Ducatus origo 51. 60
Curſus publici per Imperium ratio 319. 28 ſq.

D.

Dalmatia mediterranea, pars quondam Imperii Carolingici 42. 18. n.

Dania

Dania an vnqnam Imperio ſubiecta? 46. 38 ſq.
Dapiferi Imperii officium 187. 29
Delphinatus, pars quondam regni Burgundici 69. 16
Deputationes Imperii ordinariae 351. 40
- - extraordinariae 353. 47
Dictationis vſus in Comitiis 343. 17
eius intuitu quid obſeruandum? ibid. n.
Dignitates in Imperio conferendi ius reſeruatum Caeſaris 381. 11
Dignitatum ac officiorum Imperii notitia 258. 1 ſq.
Diplomatum fides atque auctoritas 24. 14 ſq
Domania quaenam dicantur? 320. 1 ſq.
- - Imperii, quae olim fuerint 321. n.
- - Statuum in territoriis 404 19. 405. 23 ſq.
Dominium eminens Statuum in territoriis 404. 18
Donationes Imperatorum Pontificibus factae 79. 10 ſq.
Ducatuum in Germania recenſio 261. 11 ſq.
Ducum officium et dignitas 259. 4 ſq. titulus 261. 9. 10

E.

Eccleſiae Germanicae libertates 308. 37 ſq.
- - repraeſentatio ſecundum metropoles 242. 1 ſq.
Eccleſiaſtica iurisdictio. Eius hodiernus ſtatus intuitu totius Imperii 301. 19. a ciuili rite diſcernenda ib. 20
Statuum in territorio 396 18. vtrum in diuerſae religionis ſubditos competat? ibid. n. 2.
Eidora, limes Imperii Germanici aduerſus Danos 42. 18 43. 20. 46. 37
Electio Regis et Imperatoris Germanici 811. 1 ſq.
- - an Papae ſignificanda 122 10. a.
Electionis fori priuilegium 359. 7
Electoralis ſucceſſio 219 16 ſq.
- - tutela 221. 18 ſq.
Electoratus manere debent indiuidui 219. 15
Electorum origo 120. 5 ſq. 214. 1 ſq. iurium, quae omnibus communia, diuerſi fontes 216. 6. Dignitas etc. 224 25 ſq.
- - ſingulorum, iurium recenſio 216. 7 ſq.
Emancipatio inter Status Imperii vſitata 431. 7
Emigratio ſubditorum diuerſae religionis 391. 7
Enſiferorum ordo 457. 10
de Epiſcoporum Germaniae electione et poſtulatione etc. 243. 2 ſq.
- - circa illam Ius Caeſaris 144. 4
Epulum regale tempore coronationis 135. 15

Equeſtris militia. Eius ratio apud veteres Germanos 439 440. 7 ſq.
- - dignitas 277. 61. n. 2 440. 9. modi illam acquirendi, 441. 10 ſq. conf. Ordo Equeſtris.
ius Eundi in partes in comitiis 348. 27
de non Euocando priuilegium 359 7 ſq.
Executionis ordinatio 357. 4
Exemtionis priuilegia non facile concedenda 358. 5
Exercitus Imperii 331. 6
Eum qui ipſi duxere, Imperatorum exempla 331. 7
Expectatiua in feuda Imperii quomodo detur 323. 8
Expeditio Romana, (Römer-Zug) 141. 27

F.

Faſtorum cura cur ad ius ſacrorum referatur? 303 26
Feuda Imperii in ditionibus Pontificis 80. 14
Feudale ius Longobardicum, eiusque in Imperio auctoritas 31. 12 ſq.
Feudales cauſae quomodo antiquis temporibus deciſae 131. 10 Poſtea Conſilio Imperiali Aulico reſeruatae 362. 15 n. 2
Feudales leges ac conſuetudines antiquae Germ. 31. 11. Earum vſus 32. 15
Finarienſis Marchionatus feudum Imperii 94. 62
Fines Germaniae 37. 1 ſq.
de Finibus ciuitatis doctrina 33. 1 ſq.
Fiſci res vtrum alienari poſſint? 406. 28 ſq.
Fiſci Imperialis tenues reliquiae 323. 5 ſq. 382. 12
Fiſci bona, Statuum Imperii 404. 19 ſq.
Flandria Imperialis 60. 24.
Florentiae erga Imperium habitus 82. 22 ſq.
Flumina ſunt ſub ſuperioritate territoriali 403. 14. eorum vtilitas ibid.
Foedera, intuitu totius Imperii 337. 23
- - Statuum 409. 7 ſq.
Foeminarum illuſtrium in Germania iura 430. 2. earum Succeſſio in territoriis Imperii 424. 18 ſq.
Foreſtale Iudicium 377. 18. n. 2
Forma Imperii Germanici 114 6 ſq.
- - Regni Germanici ſub Conrado I. non mutata 43. 24
Franci, e praecipuis Germaniae populis 39. 7
Francorum vetus Regnum 41 16. Eius propago eſt Regnum German. 42. 20
Friſii, ex praecipuis Germaniae populis 39. 10 ſq.

G.

Galerus inter inſignia principalis dignitatis 274 53. n. 3

Gallia

Gallia ad ius Imperii Germanici falſo relata 76. 2. n. 3.
Ganerbinatus 452. 41
Geldriae priſtinus ad Imperium habitus 60. 26. 61. 29
- - Pars Regi Pruſſiae ceditur 63 33
Genua ſub iure regni Italiae 93. 58 ſq.
S. Georgii ordo 454. 4. 456. 7
Germania an vna reſpublica? 113. 2 ſq.
Germaniae regnum 37. 1 ſq. Illi vnitum eſt Imperium Romanum 45. 31
- - Titulum introduxit Maximilianus I. ibid. 33
- - diuiſiones variae 99. 2
Gothi, populus Germanicus 38. 5
Grauamina Germanorum contra curiam Romanam 308 38. 39
- - religionis in Germania 304 27
Grutiae ius 403. 15
Guarantia Statuum Imperii 412. 12

H.

Hamburgenſis metropolis. vid. Bremenſis.
Hannoniae Comitatus, pars quondam regni Lotharingici 59. 21. 61. 29
Hanſeaticum foedus 290. 20
Heluetorum exemtio ab Imperio 73. 33
S. Henrici ordo militaris 456. 6
Hierarchiae origines 247. 14
- - Germanicae ratio 246. 13
Hollandiae Comitatus, olim ſub iure Imperii 61. 27
Holſatiae Ducatus 262. 15
Homagium a ſubditis Statuum exigitur 387. 15
Hoſpitationes militares 336. 19
Hoſpitiorum cura in comitiis 345. 14
S. Huberti ordo 456. 7
Hungaria, Imperio Germanico aliquando obnoxia 46. 40 ſq.

I.

Idioma Imperii 182. 20
Imperatoris tituli, praecedentia etc. 145. 3 ſq.
Imperii, ſ. poteſtatis ciuilis, erga ſacerdotium relatio 300. 18
Imperii Romani renouati formula 77. 3 ſq.
Imperium Romanum cur Sacrum vocetur? 144. 2
Imperii Ruſſici titulus 149. 11. n. 2
Inaugurandi principem antiqui ritus 130. 1 ſq.
Inſignia Imperii 133. 11. ſq. 154 24 ſq.
Inueſtitura per baculum et anulum 18. 4
S. Ioannis Equitum ordo 460 1 ſq.
Italiae regnum 81. 16 ſq. Modus Vnionis Italiae cum Germania 96. 73
Italicae cauſae Conſilio Imperiali Aulico reſeruatae 362. 17
Iudicia Imperii 357. 4

- Pro-

- - Prouincialia per Sueuiam 375. 10 ſq.
Iudiciaria poteſtas Caeſaris 380. 7
- Statuum Imperii in territoriis ſuis 401. 4
Iurisdictio, in Imperio quo ſenſu dicatur? 309. 1 ſq. 356. 1 ſq.
- - Statuum in Territoriis ſuis 400 2 ſq.

L.

Labarum quondam inter inſignia Imperii 155. 25
Landgrauiatus formula 270. 40
Lancea ſacra inter inſignia Imperii 134. 11. n. 3
Landſaſſii quinam dicuntur? 445. 20
Langarum feuda regi Sardiniae conceſſa 95. 63
Laureacenſis eccleſia, metropolis 251. 25
Legati primi et ſecundi ordinis 413. 17 ſq.
- - plures eodem charactere miſſi a Statibus Imperii, pari honore fruantur 415. 22 *a*
Legationum ius, intuitu Imperii vniuerſi 339. 28
- - Statuum 412. 13 ſq. horum Legati primarii et ſecundarii in Comitiis 415. 22 *b*.
Legatio obedientiae 122. 10 *b*.
Legum Imperii publicarum definitio 6. 3
Leges Imperii fundamentales 6. 4
Leges Veteres Germanorum 400. 3. n.
Legislatoria poteſtas, intuitu Imperii vniuerſi 319. 3
- - Statuum in territoriis ſuis 400. 2 ſq.
Legitimandi ius, reſeruatum Caeſaris 380. 8. 381. 10
- Statuum Imperii 401. 7
Legitimati an ſuccedant in feudis Imperii? 425. 20
Librorum imprimendorum priuilegia, 381. 9.
Liburnia, pars quondam imperii Carolingici 42. 18. n.
Limburgi Ducatus origo 263. 18
Littora ſub Superioritate territ. 403. 16
Liuoniae priſtinus cum Germania nexus 50. 56 ſq.
Longobardi, populus Germanicus 38. 5
Longobardorum regnum 81. 16
Lotharingiae regnum vnitur Germaniae 54. 1 ſq.
- - Ducatus 261. 13 ſq.
Luca in iure Imperii 84. 30
Luſatiae formula 266. 27. n. ea ceditur Electori Saxoniae 233. 12
Luxemburgi Ducatus 60. 25

M.

Magdeburgenſis Archiepiſcopatus 255. 39 ſq.
Maieſtatis iura 295. 4
- - titulus 153. 21
Maioratus 424. 17. *b*.
Maior aetas principum Imperii 432 8

Mantuae

Mantuae Ducatus, feudum Imperii 91. 49
Marchionum officium et dignitas 266. 25 ſq.
Mareſchalli hereditarii, tempore electionis, cura 125. 17 itemque in comitiis 345. 14
Mareſchalli Imperii officium et iura 187. 30 ſq.
Matricula Imperii 326. 15 ſq. eius moderandae et peraequandae cura 327. 18
Matrimoniales cauſae Statuum Proteſtantium 302. 24
Matrimonium inaequale Principum 425. 21. an ex illo geniti ſuccedant in feudo? ib. 22. 23
Mecklenburgi Ducatus 262. 16
Mediationis ius Statuum Imperii 412. 12
Mediolanenſis Ducatus 87. 32 ſq.
Metallifodinae 404. 17
Miles, titulus dignitatis 441. 9 eum conferendi ritus 443 13 b
Miles, an creari poſſit, qui ſacris eccleſiae ordinibus initiatus eſt? 459. 16 n.
Militares leges in comitiis conditae 335. 16
Militaris diſciplina ibid.
Militarium ordinum origo 453 2. diuiſio 454. 3. et Scriptores ib. n.
Miniſteriales 444. 17
- opponuntur liberis hominibus quo ſenſu? ib. 16.
Miniſterium et officium vti differant? 445. 17. n. 2
Miſſi Dominici 273. 50
Moguntia olim metropolis ciuilis Germaniae primae 247 15
Moguntinus Archiepiſcopus 247. 15 ſq. Elector, eiusque iura ſingularia 229. 2 ſq.
Monetae in Imperio ius 312 8 ſq.
Montisferrati Ducatus feudum Imperii 92. 52 ſq.
Moratoriae litterae 401. 8
Morauiae veteres Reges 233. 11
Mutinae et Regii Ducatus, feudum Imperii 90. 47

N.

Naturalis iuris in publico vſus 28. 1
Nobilitas quotuplex? 438. 2
Nobilitas Germanica, eiusque origo 439. 6
- - vt differat a Romana? ib. 5. n.
Nobilitatis S. R. I. immediatae ſeruitia olim Imperatoribus praeſtita 452. 42
Nobilium immediatorum variae diſtinctiones 446. 21. n. 2. ii comprehendi ſolent in Legib. Imperii ib. 29
Nouum Caſtrum, pars olim regni Burgundici 73. 32
Nundinae ſolemnes, vel minus ſolemnes 402. 11

O.

Obotriti, populus Slauicus, in Germania 40. 13. 42. 18

Obotritarum Regnum 46. 38
Obſeruantia Imperii 25. 1 ſq.
- - differt ab vſurpatione 26. 3 eius probatio tutiſſima ex archiuis 27. 9
Officia Palatina 172. 7
Officia regni 259. 3 ſq.
Oppignoratae ab Imperio res non reluendae 322. 3. n. 3
Ordo Equeſter in Germania 439. 7. Immediati iura et priuilegia 448. 29 ſq. Conf. militaris Ordo.

P.

Pacta mutuae ſucceſſionis 426. 26 ſq.
Pacta Statuum inter ſe 23. 12
Palatia Imperatorum 169. 2 ſq.
Palatini Comites, Arelatenſis regni 270. 39. Bauariae 269 56. Lateranenſes 192. 40. n. 2. 270. 38. Lotharingici regni, ib. 39. n. 2. Rheni 268. 34. Saxoniae ib. 35. Sueuiae 270. 37
Palatinus Elector, eiusque iura ſingularia 239. 29
- - An Index fuerit in cauſis Imperatorem concernentibus? 358. 5. n. Eius cum Bauaro de Vicariatu compoſitio 201. 202. 6 b.
Paragium 422. 12 ſq.
Parmae et Placentiae ad Imperium habitus 88. 36 ſq.
- - ducatus ceſſus Philippo 90 46. n.
Patria poteſtas Statuum Imperii 430. 3
Patricii Romanorum dignitas 77. 4
Pax, Aquisgranenſis 23. 12. 63 32. Badenſis 22. 8. Chieraſcenſis 92. 53. Nouiomagenſis 22. 5. Oliuenſis 52. 62. Publica 10. 2 ſq. Pyrenea 23. 12. Alt-Raſtadienſis 254 36. Religioſa 11. 5 ſq. Ryſvicenſis 22. 6. Vindebonenſis prior 22. 9. poſterior 23 10. Weſtphalica 21. 3 ſq.
Pax Burgenſis (Burgfriede) 452 41. n. 2
Pedemontii principatus, feudum Imperii 93. 56
Pincernae archiofficium, quando ad Bohemos venerit? 186. 28
Piſarum vetus obſequium erga Imperium 82. 23
Placita Imperii 348. 349. 30. ſq.
Plenipotentiarii 414. 20
Pluralitas votorum in Comitiis 347. 26. n. 3
Politiae cura quaenam complectatur? 311. 6 ſq.
- in Imperio vniuerſo ib.
- in territoriis Statuum 401. 9 ſq.
Poloniae Duces, virum Germaniae quondam tributarii? 47. 42 ſq.
Pomeraniae Ducatus origo 262 16. Duces 44. 29
Pomerellia iuris quondam Germanici 48. 47
Portus ſub ſuperioritate territ. 403. 16
Pragenſis Archiepiſcopus 248 16

de Praecedentia controuerſiae Statuum 362. 16
Praelati immediati 278. 63
Praeſcriptio inter gentes liberas 34. 6
Preces primariae 305. 28 ſq. earum conceſſio cur hodie petatur a pontifice? ib. 30
Primogeniturae ius 421. 8 ſq.
Principis titulus 258. 2. dignitas et inſignia 273. 53. 346. 22
Principum ius, (Fürſten-Recht) 274. 55
Priuilegia, eorum conceſſio reſeruatum Caeſaris 381. 9
Proſcriptio, comitiali iudicio reſeruata 311. 5
Protector Germaniae in Curia Romana 195. 43
Protectorii conceſſio, inter reſeruata Caeſaris 381. 9
Prouinciae Comitatus, pars olim regni Burgundici 69. 17
Pruſſia, vtrum ad Imperium ſpectauerit? 48. 48 ſq.
Publicum ius Imperii Germanici 3. 12 ſq.

R.

Ratio Status Imperii 117 12 ſq.
Re- et Correlatio in comitiis 348. 28
Receſſus Imperii 7. 10 ſq. quomodo formentur? 349. 33 ſq.
Recurſus ad comitia 310. 5
Reformandi ius Statuum Imperii 390. 5 ſq.
Regalia, eorum diuiſiones 294. 2. 3
- - maritima ſub Superioritate territ. 493. 16
Regimentum Imperii 351. 19
Regimen politicum territoriorum Germaniae 399. 1 ſq.
Repreſſaliae an in Imperio permiſſae? 408. 3. 4
Reſeruata Imperatoris 378. 1 ſq. intuitu totius Imperii 379 ſq. 4-8. Statuum ipſorum 380. 8. territoriorum illorum 381. 382. 9. 12. cauſae ex illis ortae Conſilio Imperiali Aulico reſeruatae 362. 16
Reſeruatum eccleſiaſticum 12. 3
Retractus nobilium immediatorum 450. 35
Reuiſorium iudicium in Camera Imperiali 371. 14 ſq. inſtaurari debet 372. 16
Reges appellandi ius 154. 22
Rex Romanorum 147. 8
- - viuo Imperatore vti eligendus? 159. 1 ſq.
Rhenus quo ſenſu limes Germaniae dicatur? 42. 19. 20
Römer-Monath vnde dicatur? 325. 13 ſq.
Roma Vrbs, vetus Imperatorum in eam ius 77. 4. 5
Romanus Ducatus 77. 4
Roncalii campi 342. 4
Rothwilenſe iudicium 373. 1 ſq.

S.

Sabaudiae Ducatus, ex reliquiis regni Burgundiae 73. 34 ſq.
Sacrorum ius, intuitu vniuerſi Imperii 295. 6 ſq.
eius definitio 297. 11
ad quinque capita refertur 298. 14
Caeſaris circa illud Reſeruata 380. 6. Statuum in territorio 389. 1 ſq.
Salinarum ius 404. 17
Salisburgenſis metropolis 251. 26 ſq.
Sanctionis diuerſo reſpectu vis 6. 6. n.
Saxones, e praecipuis Germaniae populis 40. 11 ſq.
Saxoniae Ducatus 261. 12
- - Elector, eiusque iura ſingularia 236. 20 ſq.
Saxonicum ius 202. 7 ſq.
Scaldis, limes quondam Neuſtriae et Lotharingiae 42. 19
Sculteti Imperialis officium 286. 6 - 8
Secularifatio 303. 25. 398. 20. n.
Senae, ſubfeudum Imperii 83. 26
Sereniſſimi titulus 153. n. 1
Seruitutes Iuris Publici 388. 16
Sigilla Imperatorum 156. 26 ſq.
Sileſia inferior ceſſa regi Pruſſiae 239. 28. n. 1
Sileſiae erga Germaniam habitus 47. 45 ſq.
Simultaneum diuerſarum religionum exercitium 392. 10 ſq.
Singulorum iura, an ſubiecta pluralitati votorum? 347. 26
Slaui populi 40. 13 ſq. quot modis in ciuitatem Germanicam recepti? 44. 29. an diſtinctio inter terras Iuris Germanici, et Iuris Slauici, locum habeat? 45. 30
Sleſuicenſis Marchia 46. 37
Stapulae ius 381. 9
Statuum Imperii character 209. 3 ſq. origo 212. 8
S. Stephani ordo militaris in Etruria 455. 5. n. 3
Stiriae Ducatus 262. 14
Subofficiales Imperii 192. 193. 41. 42
Subſidium charitatiuum Nobilitatis immediatae 452. 42
Succeſſio: hereditaria in territoriis Germaniae inter deſcendentes 420. 3 ſq. inter collaterales controuerſa 423. 17 *a*. tres illius modi ibid. 17 *b*. pactitia 426. 26. teſtamentaria 427. 29
Sueui e praecipuis Germaniae populis 38. 5
Sueuiae Ducatus 261. 13. 263. 17
Superioritas territorialis Statuum 384. 2 ſq. eorum quoque, qui regna extra Germaniam tenent 385 ſq. 11. n. 2. an Nobilibus immediatis competat? 441. 28
eius

eius differentia a Maieſtate 386. 10

Supplicationis remedium in conſilio Imperiali Aulico 364. 23

T.

Territoriorum Germaniae ratio 384. 4 ſq.

Teſtamenta Statuum 434. 16

Teutonicus ordo 455. 8. 9 ſq.

Thermae referuntur ad Regalia 404. 17

Archi - Theſaurarius Imperii 190. 34

Thuringiae vetus Ducatus 261. 12

Torneamentorum vſus 443. 15

Traiectus ſub ſuperioritate territ. 403. 15

Treuirenſis Archiepiſcopus 249. 20

- - Elector, eiusque iura ſingularia 230. 4 ſq.

Tuſcia, pars regni Italiae 82. 21

Tutela illuſtrium, variaeque illius ſpecies 432. 10 ſq.

- - pactitia 433. 13

- - fructuaria, quaenam dicatur? 434. 15 a. n. 2

- - olim domini directi ibid. n. 1

- - Vinarienſis ibid. 15 b n.

V.

Vectigalium ius et ratio in Imperio 322. 4 ſq.

Venetorum libertas 95. 64. Ditiones illorum in continente Italiae ibid. 65 ſq.

Veniam aetatis ab Imperatore petunt principes Imperii 380. 8. 432. 9

- - Status in territorio illam concedunt 401. 6

Veſontio, vrbs quondam Imperialis 72. 25

Veſontina metropolis 250. 24

Veſtfali pars Saxonum 40. 11

Viae publicae ſub ſuperioritate territoriali 402. 13 ſq.

Vicarii Imperii 196. 1 ſq. eorum poteſtas extra omne dubium poſita 200. 4 b

Vicarii per Italiam 197. n. 1

in Regno Burgundiae ibid. n. 2

Vicariatus Sabaudi 93. 57. 197. 1. n. 2

Vicariatus Palatino - Bauarus controuerſus 201. 6 a.

- - - in certo conſtitutus 202 6 c.

Vicecancellarius Imperii 182 20

Vicecancellarii locus in conſilio Imp. aulico 360. 11

Vicecomitis officium et dignitas 272. 49

Vicedominorum officium et dignitas ib.

Viennenſis Archiepiſcopatus 253. 32

Villae regales 169. 2

Vnctio regalis 131. 3 ſq.

Vnio Electorum 122. 8. 218. 11 *b*

Votum ſ. relatio ad Caeſarem 364. 22

Vrbium Germaniae origo et incrementa 284. 1 ſq.

- - immediatarum recenſio 291

W.

Warda Nobilis quid? 434. 15 *a*. n. 1

Wurtembergiae Ducatus 263 17

*LIPSIAE,*

EX OFFICINA BREITKOPFIANA.

A.N.T. 431 Y719

Digitized by Google

Digitized by Google

X
D.